P. D. THO.
DEL BENE,
CLERICI REGVL.
MARVBIENSIS.

Sacræ Theologiæ Professoris, Examinatoris, S. Officij Qualificatoris in Vrbe, aliarumq; Sacrarum Congregat. Consultoris.

THEOLOGIÆ MORALIS TRACTATVS SEXTVS,

I. De Comitijs, seu Parlamentis.
II. De Alagijs & contractibus.
III. De Donatiuis Tributis, & subsidio Charitatiuo.

CVM DVPLICI INDICE AMPLISSIMO; tum rerum, verborum, & sententiarum, tum Sectionum, Dubitationum, & Tractatuum omnium.



AVENIONE,
Sumptibus GVILLELMI HALLE'.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.
M. DC. LVIII.



INDEX CAPITVM, DVBITATIONVM, ET SECTIONVM, OMNIVM QVÆ IN HOC TRACTATV VI. De Comitijs, seu Parlamentis, continentur.

CAPVT PRIMVM.

De Parlamento in communi.

CAPVT II.

De Causa efficiente Parlamenti, seu de Rege conuocante Parlamentum.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

CAPVT III.

De Causa materiali Parlamenti, nempè de Parlamentarijs, seu de ijs qui intrant in Parlamentum.

CAPVT IV.

De Causa formali, & finali, seu de forma, & fine Parlamenti.



TRACTATVS



Eminentiſſimo & Reuerendiſſ. Principi
FRANCISCO ALBITIO,
S. R. E. Cardinali Ampliſſimo.

THOMAS DEL BENE, Cler: Regul.

SI benigniſſimum Patronum, ſi ſtudiorum præcipuum fautorem, Summus Moderator Deus, Eminentiſſime Princeps, te mihi dat, deſtinat, tuque eis humanitate, laudando, protectione promouendo, lectioni, Scriptionique animum addendo, ſimul ades, ac faues: cur ego non obuiam eam, non occurram reuerentia, obſequio, teſtimonio aliquo huic beneuolentiæ tam ſingulari, amori tam effuſo? Quid ad dubitare, quid timere id, de quo admonet debitum, excitat conſcientia, perſuadent beneficia? Reddam ergo vicem argumentis, etiamſi tenuibus, rependam etiamſi debilibus experimentis, nec ſinam ſollicitari amplius mentis quodam ſecreto, & reprehendi deſidiæ caſcrupulo, vel turpitudinis vitio morderi. Plenus ſim voluntatis calore; audeo, licet gnarus, minus poſſe me, quàm debeam, deficere Vires conatui, perire conſilio nihil demoretur, quando nihil nimium, nihil grande, & eximium, quod non dignum merito tuo, & deterrere quemlibet ingenio, ope, magnitudine clarum poteſt moles, ſiue Maieſtas tuarum Virtutum. Dixerit Scæuola nullam moram, vbi nulla eſt petitio; nihil me moueat, eius ſententia meum ſuffragium non emat; immò certè damno doctiſſimum Iuriſconſultorum. Si modeſtia non poſtulet, ſi naturæ comitas non requirat, ſi indulgentia compatiatur, obnoxius ſubducam me oneri? incuſari perferam doli mali, iudicio caſtigari, & notam hominum peſſimam, omnium deterrimam ſubire ſubire ingrati? Offero igitur Eminentiæ tuæ Variarum Diſputationum Moralium Opus, multis vigilijs compactum, & doctrinis congeſtum Munus; verum minus apto vocabulo nuncupo leue hoc debiti mei monumentum, ſi inſcribam munus, & audacter de meo penu, de meis laboribus,

exiliter de tua dignitate ſentire videor. Quare fœtum meorum ſtudiorum voce faciliori, & gratiori ad aures exprimam lucubrationes meas; Quas mihi tantùm in ſcrinio ſeruaueram, nuncque promens Tibi, iuri publico adſcribo, conſignoque. Ea namque mente ſum, vt interſit aliquando Reipublicæ, ex plurimorum ſententijs ſenſus, opiniones, fundamenta colligi, palam, & in conſpectum exponi, darique aliqua, quæ, ſi minus ad vſum, proſunt tamen ad copiam, & guſtum; & in varietate, ſimilitudine, diuerſitate ſæpè venamur veritatem, & ſcriptorum ſegete veluti multa & feraci, vberem conſequimur meſſem; & quamuis non omnes occupent locum ex ſua dignitate conſpicuum, nec olim Roma triumphos paſſim cuilibet decreuit tantùm, ſed Ouationem, nec Ciuicis Coronis coronauit ſolùm Milites ſuos, ſed muralibus; Diſpar ingenium hominibus diſtribuitur, Vires non eaſdem ſortimur, ſortes non eædem omnibus, & pleriſque laudi, & famæ datum eſt voluiſſe. Inſuper nec, qui vicerit, eſt ſolus fortis, & generoſi peccatoris, ſed qui confiſus eſt, qui ſperauit, qui auſu, qui conatu annixus eſt. Qui fortunam tolerantia ſollicitauit, ſublimis genio; Qui dexteritate perſtrinxit, fœlix ſucceſſu; hic plauſu excipitur, ille conſtantia oſtentatur, agnoſci pulcrum, ſperni ſi iniquum, non indecorum. Cœterum his non excuſo meum conſilium, nec deprecor aliorum iudicium. Satis ſuperque ſit apud te, apud æquos Iudices, me horas, dies, tempus omne, quod ſuperfuit, otio ſubduxiſſe, conſortiumque cum Libris adamaſſe. Num vitio vertitur cultus ſtudiorum? Num improperio legere, ſe ponere, dijudicare aliorum labores, inuenta, deprompta, promulgata? Dum me litterarum cura tangit, dum in virtutum Oſores inuehor, non impleo ea, quæ tibi debita de mea obſeruanuantia vellem exponere; ſed cur anxius hoc requiram oratione, proloquio? Auctus fama, honoribus, cultu, reuerentia non expectas preconium meum; quid adderet, quid poneret? obtunderem aures, non mulcerem; & indignus beneuolentia illa tua, ſi ſentiam, reperendi verbis poſſe, quæ vita ipſa, ipſo ſpiritu non exſoluuntur. Romæ

E. V.

HVMILLIMVS SERVVS

THOMAS DEL BENE, Cler. Reg.

INDEX.

TRACTATVS VI.

DE COMITIIS, SEV PARLAMENTIS, VBI Etiam de Donatiuis, & gabellis.

CAPVT I.

De Parlamento in communi.

DVBITATIO I.

An, & quid sit Parlamentum in communi quoad nomen.

SVMMARIVM.

1. *Parlamenti nomen est magis vulgare, quam iuridicum, non tamen negligendum, tum ob vulgi in verborum interpretatione auctoritatem, tum quia hic terminus communis est italis, & Vltramontanis, & Gallis per Parlamentum Curiam supremam intelligentibus: sicut Italis sonat populorum, seu procerum Congregationem.*
2. *Parlamenti nomen conuenit rei nominatæ, dicitur enim à parlando vulgari, quatenus populus, vel Regni proceres in vnum congregati ad publica negotia consulunt determinant, & discurrunt.*
3. *Item à parlando gallico, quatenus qui curiæ supremæ Collegio incorporati sunt inter se negotia publica, & priuata expediunt, iusque & iustitiam administrant, &c.*
4. *Parlamentum secundum alios dicitur parium lamentum, quia Regni pares, qui sunt de numero ipsius Parlamenti querelas, & planctus aliorum audiunt.*



1 Respondetur; nomen istud *Parlamentum* esse magis vulgare, quàm iuridicum, non tamen propterea negligendum, tum ob vulgi in verborum significatione, & interpretatione auctoritatem, *l. librorum §. quid sit tamen*, vbi gloss. & Bart. *de legatis tertiò, l. labeo ff. de suppel. leg. l. cum de lanionis §. asinum ff. de fun. inst. cap. cum ex literis* 1. vbi Canonistæ *de spons.* & tradunt Io. Andr. *in cap. fundamenta, vers. nepotes de elect.* Butrius, Baldus, Abbas, & Felin. *in exposit. primæ Glos. decreta*; tum 2. quia tali termino non solùm vtimur nos Itali, quatenus per *Parlamentum* intelligimus congregationem populi, vel Regni Procerum, *cap. decet domum, vers. cessent*, vbi Glos. *in verb. parlamenta de immunit. Eccles. in 6.* sed etiam vtuntur Vltramontani, vt Galli, quatenus per *Parlamentum* intelligunt supremam Curiam, *pragm.* quæ incipit *demum conclusit, verb. quò circa ibi Parlamenta* vbi Glos. & alij; tum 3. quia nomen istud conuenit rei nominatæ *l. tam dementis Cod. de Episc. audien. Instit. de donation. §. est & aliud genus.*, 21. *d. c. Cleros per tot. & cap. cum secundum Apos. in princip. de preben.* Vbi Io. Andr. Imola, & Abbas: 2 dicitur enim *Parlamentum à parlando vulgari*, quatenus populus, vel Regni Proceres in vnum congregati ad publica negotia consulunt determinant, & discurrunt; Et *à parlando gallico*, quatenus qui curiæ supremæ 3 Collegio incorporati sunt inter se, ad negotiorum publicorum, & priuatorum expeditionem, iurisque, & iustitiæ administrationem per cameras nonnunquam in toto corpore inito (vbi causarum arduitas, personarum litigantium sublimitas, aut quæuis alia ratio hoc exigit) deliberant, & loquuntur. Vnde secundùm alios *Parlamentum* dicitur, quasi *parium lamentum*, 4 quia Regni pares, qui sunt de numero ipsius Parlamenti querelas, & planctus aliorum audiunt; de quo mentionem facit Paul de Castro *Consil.* 334. & Ægid. de Bellamera *consil.* 1.



DVBITATIO II.

An, & quid sit Parlamentum in communi; quoad rem, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum est quædam Congregatio, & hæc triplex esse dicitur.*
2. *Parlamentum est Consiliariorum Congregatio, quatenus per illam pro vtilitate totius Prouinciæ præses parlamentum congregari curat vt super dubio proposito sanum, & vtile consilium adhibeatur.*
3. *Parlamentum (vt supra dictum est) est Congregatio populi, vel Regni procerum.*
4. *Parlamentum est curia suprema, vt Parisiensis.*
5. *Parlamentum non omnis Princeps habere potest, sed solum qui superiorem non agnoscit.*

1 Respondetur; ex dictis, *Parlamentum esse Congregationem quandam*; & hanc triplicem; primam esse
2 *Congregationem Consiliariorum*, de qua mentionem faciunt Bart. *in l. si quid ordinarium*, & ibi Io. de Plat. *in princip. cod. de legat. lib.* 10. quatenus per illum text. dicunt, quod, vbi super aliquo oportet prouideri pro vtilitate totius Prouinciæ, præses debet, Parlamentum congregari, curare; & sic Parlamentum ponitur pro Consiliariorum Congregatione; quia illud Parlamentum (inquit ibidem Io. de Plat.) fit, & congregatur, vt super dubio proposito sanum, & vtile consi-
3 lium exhibeatur: Secundam esse *Congregationem populi, vel Regni procerum.*, de qua præcedenti dubit. annuebam, & diffusiùs dicam *cap.*
4 *2. & seqq.* Tertiam esse *Curiam supremam.*, vt Parisiensem, de qua mentionem facit; idem Bart. *in l. 2. circa fin. de Decur. lib.* 10. (quatenus ait, quod non omnis Princeps potest habere Parlamentum, sed solùm qui Superiorem
5 non agnoscit) & ego dicam *dubitatio. 3. & seqq.*



DVBITATIO III.

An Parlamentum Parisiense, & simile sit institutum adinstar olim Senatus Romani.

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum Parisiense &c. institutum est adinstar olim Romani senatus quoad numerum, & quædam alia tantum, non autem quoad auctoritatem, & potestatem.*
2. *Senatus Romanus constabat centum viris, quorum centumuirale iudicium dicebatur.*
3. *Senatus Romani Patres, Patres conscriptos appellauit Imperator quod cognomina eorum scripta essent in diademate Principis vel quia imperio prouidebant sicut patres familiæ prouident.*
4. *Senatus Romani Patres aliquando appellabantur prædecessores.*
5. *Senatores dicebantur à senectute, quia ad illam dignitatem eligebantur senes ætate, vel saltem prudentia.*
6. *Consiliarius Principis debet esse purus, vndique iustus optimus & contentus his quæ dantur sibi à fisco, vel à Principe, aliàs debet repelli, & idoneus subrogari, mali enim Consiliarij vocantur regum receptores.*
7. *Omnia superius recensita conueniunt Parlamento Parisiensi, & simili.*
8. *Senatus Romanus famæ restituebat, quod tamen in ordine ad Parlamentum Parisiense, & simile locum non habet: est enim id de reseruatis Principi in signum supremæ potestatis.*
9. *Parlamentum Parisiense &c. Legitimare, arrogationem auctorizare, tabellionem creare, & iurisdictionem ordinariam tribuere non potest: sed pro his, & similibus ad Regem & eius magnum Consilium quotidie recurrere consueuit.*
10. *Locum tenentes generales Regij vel gubernatores in gallia in aliquibus terris, vel Prouinciis deputati non possunt concedere gratias abolitiones nundinas, mercata, legitimationes, nobilitare plebeios, euocare causas coram ordinario pendentes.*
11. *Senatus Romanus condere poterat leges, hinc Senatus-consultum dictum est quod senatus iubet, atque constituit.*
12. *Senatores interrogabantur loco populi quando Consul legem ferebat, sicut antea totus populus interrogabatur quando Consul legem ferebat.*
13. *Consilium, aut aliqui Consiliarij in aliquibus Ciuitatibus non recognoscentibus Superiorem eamdem adhuc auctoritatem habent, quam senatus habebat.*
14. *Consiliarij prædicti vocantur Ciuitatis Patres, vel senatores, vel curiæ principes.*
15. *Parlamentum Parisiense &c. non potest condere leges, quia tale Parlamentum institutum fuit per Reges Galliæ solum ad ius partibus reddendum & non ad alia Regiæ Maiestati reseruata, & per populum in ipsum Principem translata faciendum.*
16. *Parlamentum Parisiense, &c. potest condere leges de consensu principis, potestque è contra princeps condere leges sine consilio procerum, sicut & Papa sine Cardinalibus.*
17. *Clausula illa (de Fratrum nostrorum consilio) importare potiùs videtur quid decentiæ, quam quid necessitatis præsertim in materia non ardua.*
18. *Reges, & Barones plures sunt, qui conuocant suos Consiliarios, quorum Consilium nolunt sequi.*

19. *Roboam perdidit regnum, quia noluit audire Consiliarios suos sapientes, sed Consilium iuuenum.*

1 Respondetur: affirmatiuè, quoad numerum scilicet, & quædam alia, quamuis non etiam quoad auctoritatem, & potestatem.

2 Prior pars probatur, quia Senatus Romanus constabat ex centum viris, quorũ centumuirale iudicium dicebatur, *l. fin. cod. de pet. hæred.* vbi Glos. & Cyn. exponunt virale iudicium, hoc est Senatorum, qui erant centum numero, *l. qui repudiantis*, ibi auctoritate centumuiri, vbi glos. & Doctores *ff. de inoffic. testam. l. maximum vitium*, ibi cum etiam centum viri, vbi Glos. *cod. de liber. preter.* idem dicit Bart. post glos: quam sequuntur Doctores *in rubr. ff. de Senator.* Archidiac. Cardin. & alij in *c. Senatus-Consultum 2. dist.* Ioan. Andr *in cap. fideliter de elect. lib. 6.* & Mart. Laudens. *in tract. de consil. Princip. quæst.* 31. Text. cum Glos. *in l. peritor.* ibi nè trecentum virale iudicium exerceat *ff. de liber. legat.* Luc. de Pen. *in l. omnes cod. decurion. lib.* 10. & Cyn. *in l.*
3 *vna, cod. de cadu. coll. vbi Imperator in princip.* eos vocat patres conscriptos ex eo, quia, vt ait ibi Glossa cognomina erant scripta in diademate Principis, vel quia Imperio prouidebant, sicut patres familiæ prouident, *l. si. funebris cod. ad Velleian.* aliquando verò vocat parentes, vt *in l. ex diui Pij cod. de loc.* aliquando amicos, vt *in l. secundum responsum cod. de contrahen. & commit. stipulat.* & aliquando
4 prædecessores vt in proœm. Inst. qui Senatores
5 dicebantur à senectute; quia in illa dignitate eligebantur senes ætate, vel saltem prudentia, sicuti notauit Archidiac. *in dict. c. Senatus-Consultum*: & merito, quia (sicuti rectè dixit Io. Andr. *in cap. quanto de iure iur.* Mart. Laudens. *de consil Princip. quæst.* 8. & Paris. *de Puteo in tract. sindic. tit. de excessib. consil. Regum*) con-
6 siliarius Principis debet esse purus, vndique iustus, optimus, & contentus his, quæ dantur sibi à fisco, vel à Principe, aliàs debet repelli, & idoneus subrogari; quapropter Pontifex ibi malos Consiliarios vocat deceptores Regum;
7 At hæc omnia conueniunt Parlamento Parisiensi, & simili ergo, &c. Vide Cuymier *in commen. pragm. sanct. in concl. eiusdem §. quocirca super verb. Parlamenta.*

8 Posterior pars probatur; quia Senatus Romanus famæ restituebat, *l. 2. §. de quare ff. de postulan.* & docent. Innocent. Io. Andr. Bald. Abb. & Felin. *in cap. eum te: de re iudicata*; quod tamen in ordine ad Parlamentum Parisiense, & simile locum non habet: est enim id de reseruatis Principi in signum supremæ po-
9 testatis; vt legitimare, arrogationem authorizare, tabellionem creare, & iurisdictionem ordinariam tribuere; quapropter ad hæc, & similia Parlamentum manus apponere nec potest, nec audet; sed prò his, & similibus ad Regem, & eius magnum Consilium quotidie recurrere consueuit. Vnde *in ordinationibus Regis*
10 *Ludouici XII. art.* 69. expressè cauetur, quod locum tenentes generales Regij, vel gubernatores in aliquibus terris, vel prouinciis deputati, non possint concedere gratias, abolitiones, nundinas, mercata, legitimationes, nobilitare plebeios, euocare causas coram ordinario pendentes, &c.

Secundò probatur; quia Senatus Romanus 11
poterat condere leges siquidem cum populus Romanus ità auctus fuisset, vt in vnum causa condendæ legis conuenire non potuerit, factum fuit, vt Senatus vice populi consuleretur, *§. Senatus*, Inst. *de iure natur.* vbi dicitur, *quod Senatus Consultum sit, quod Senatus iubet, atque constituit*; qua propter sicut antea totus populus interrogabatur, quando Consul legem ferebat ad populum, cuius consensu lex ferebatur, *l. lex est*, & ibi Albe. de Rosa *in fin.* & *l. non ambigi-* 12
tur, ff. de legib. ità postea loco populi, Senatores interrogabantur, quando Consul legem ferebat, quorum consensu Senatus-consultum vocatum est. Hinc est, quod in magnis ciuita- 13
tibus non recognoscentibus superiorem, & aliis, deputatur Consilium, aut aliqui consiliarij, qui adhuc eamdem auctoritatem, quam populus in Republica gubernanda, & in statutis; ordinationibus faciendis habent, Glos. *in l. sed ex dolo §. 1. ff. de dolo, & in rubr. cod. quæ sit longa consuetudo*, & Luc. de Pen. *in rubr. de decurion. & in l. omnes eodem tit.* & isti tales secundùm ipsum vocantur ciuitatis patres, vel Senatores, & curiæ Principes; & hoc modo, 14
inquit ipse, quælibet ciuitas habet senatum; quæ autem Solemnitas, & ordo quoad ipsos seruetur, tractant Bart. Io. de Plat. & Luc. de Pen. *in l. 2. cod. de decurion. lib. 10.* & Card. *in c. Senatus-Consultum 2. dist.* sed Parlamentum Parisiense, & simile non potest condere leges; quia tale Parlamentum institutum fuit per Reges Galliæ solùm ad ius partibus 15
reddendum, & non ad alia Regiæ Maiestati reseruata, & per populum in ipsum Principem translata faciendum, ergò, &c. Albe. de Rosa *in rubr. 2. de legib.* & *in l. humanum*, & alij Doctores, quos citat, & sequitur Cos. Gui. *in concl. prag. san. §. quocirca, verb. Parlamenta*, & Io. Faber. *in cit. l. humanum*, & *l. fin. eod. tit.* qui tamen subdunt, quod possit dictum Parlamentum condere leges de consensu Prin- 16
cipis, possitque è contra Princeps condere leges sine consilio procerum, sicut & Papa sine Cardinalibus, non obstante clausula, de qua *in dicta l. humanum*, & illa *de Fratrum no-* 17
strorum concilio, cum id importare videatur potiùs quid decentiæ, quàm quid necessitatis, præsertim in materia non ardua, vt rectè Felin. *in rubr. de constitut. in princip.* & Albe. *in cit. l.* 18
humanum in principio, vbi ait, multos esse Reges, & Barones, qui conuocant suos consiliarios, quorum consilium nolunt sequi; Glos. *in c. 1. & in c. peruenit, dist.* 84. quemadmodum Roboam, qui perdidit Regnum, quia 19
noluit audire Consiliarios suos sapientes, sed consilium Iuuenum, eadem Glos. *in cit. c. peruenit*, & Spec. *in tit. de aduoc. §. 3. verb. habito*, & *in tit. de requis. concil.* & Mart Laudens. *in tract. de Concil. Princip. quæst.* 19. & Luc. de Pen. *in l. omnes, de decurion. lib. 10.*



DVBITATIO IV.

An ad instar olim Senatus Romani successerit Romæ Collegium Cardinalium.

SVMMARIVM.

1. *Senatorem vnum Romæ successisse ad instar olim senatus Romani; qui à summo Pontifice eligitur, male sentit Cynus.*
2. *Collegium Cardinalium Romæ potius videtur successisse ad instar olim Senatus Romani, quia Ecclesia suum habet senatum, cuius Consilio Pontifex omnia agit.*
3. *Argumentum à Senatu ad Cardinales non valet æquiparando eos adinnicem; certum tamen est Cardinales cum Papa facere vnum Collegium, quod in administratione rerum vniuersalis Ecclesiæ congregatur, vt Papæ consulat, & Papam dirigat.*
4. *Collegium Cardinalium rectè dici potest Senatus Papæ, licet non per omnia habeant Cardinales potestatem antiquorum Senatorum.*
5. *Collegium Cardinalium habet in aliquibus casibus maiorem potestatem, quam non habebat Senatus, quia eligit Papam & quia renuente Papa possunt conuocare Concilium generale, & eligere locum.*
6. *Patriarchæ, & Primates si Cardinales in id sint negligentes possunt conuocare Concilium.*
7. *Patriarchæ & Primates in quibus casibus possint, & debeant conuocare Concilium, & cur.*
8. *Senatores olim non eligebant Imperatorem neque hodie, si quidem exercitus olim Imperatorem eligebat, & populus obediendo illum admittebat.*
9. *Papa à nemine potest iudicari, vel deponi, neque ab Augusto, neque à Regibus, neque à Populo, neque etiam ab omni Clero.*
10. *Papa potestatem suam non accepit à Principibus, neque ab Ecclesia, sed solum media Ecclesiæ, seu Cardinalium electione, tanquam conditione sine qua non, à Christo Domino, Hinc est quod eadem potestate excidere non potest, nisi solum Christo Domino auferente.*
11. *Papa, media Ecclesiæ dispositione tanquam ditione sine qua non, eadem Christo Domino auferente, excidit potestate, siquidem iisdem causis quibus res nascitur deperdetur.*
12. *Papa, si in hæresim notoriam labatur, saltem postquam ab Ecclesia fuerit declarata, deponi potest.*
13. *Papa, si Episcopatum resignet, potest Ecclesia acceptare resignationem.*
14. *Papa exterius se gerente vt hæreticum, potest Ecclesia eo submoto, alium eligere; qua ratione submoto liberio Pontifice Felix II. substitutus fuit.*
15. *Ecclesia si tempore schismatis non potest cognoscere quis nam verus Pontifex sit, propter bonum publicum potest alicum eligere.*

RESpondetur: quod (licet Cyn. *in l. fin. de legib. & in l. fin. de pet. hæred.* putet, ad instar olim Senatus Romani successisse Romæ vnum Senatorem, qui à Summo Pontifice eligitur, *cap. fundamenta de elect. in 6.* subdens, talem vnum Senatorem habere tantam auctoritatem, quantam habebant illi centum, *l. sicut, & l. plani ff. quod cuiusque Vniuersitatis*, & *cap. gratum de postu Prælat.* quia successit in locum, & potestatem omnium) tamen dicendum sit, ad instar olim Senatus Romani non successisse Romæ vnum Senatorem, nec istum habere tantam auctoritatem quantam habebant illi centum (vt cum communi Doctorum sententia docet Cardin. *in c. Senatus-consultum 2. dist.*) sed potiùs successisse Collegium Cardinalium 1
quià Ecclesia suum habet Senatum, cuius Consilio Pontifex omnia agit, *c. Ecclesia, 16. quæst. 1.* & ibi Archidiac. *in princip.* Innocent. Abb. & Felin. *in cap. cum te de re iudic.* Specul. *in tit. de legib. §. 3. iuxta princip.* Cardin. *in c. absit 1. dist.* Anan. *in cap. ad deliberandum de Iudæis*, Mart. Laudens. *in tract. de Cardinal. quæst. 11.* Andr. Barba *consil. 1. volum. 1.* Et quamuis non valeat argumentum de Senatu ad Cardinales, æquiparando scilicet Cardinales Senatoribus, (vt rectè adnotarunt Doctores *in locis suprà cit.*) tamen certum est, quòd Cardinales cum Papa faciant vnum Collegium, quòd in administratione rerum vniuersalis Ecclesiæ congregatur, vt Papæ consulat, & Papam dirigat, Clement. *ne Romani*, iuncta Glos. *vers. censum de elect.* & tradunt Archidiac., & Cardin. *in c. in nomine Domini, dist. 33.* Butr. *consil. 412.* 3

Qua ratione Collegium Cardinalium rectè dici potest senatus Papæ; licet non per omnia habeant cardinales potestatem antiquorum Senatorum, vt adnotarunt Abb. & Felin. *in cit. cap. cum te*; in aliquibus tamen habeant potestatem longè maiorem; quia eligunt Papam, *cit. c. in nomine Domini*; & quia renuente Papa, possunt conuocare concilium generale, & eligere locum, vt dixit Butrius *in cit. concil. 412.* Quod & in negligentiam cardinalium possunt facere etiam Patriarchæ, qui Primates sunt post Cardinales; Quin propter aliquas causas id debent, de facto facere: Primò propter notoriam apparentiam delicti scandalizantis totam Ecclesiam: Secundò, vbi apparet incorrigibilitas Papæ: Tertiò per euidentem necessitatem, & vtilitatem reformationis in capite, & in membris; præsertim ad obseruandum iuramentum, quo Papa, & Cardinales iurant congregare Concilium generale, cum super his est necessaria illius congregatio, Butr. *loc. suprà cit.* Mart. Laudens. *in tract. de Cardinal. quæst. 35.* Andr. Barba *dict. consil. 1. lib. 1.* Philip. Dec. *de potest. & authorit. Papæ, & Cardinalium*, Cataldinus Boncompagnius *in tract. de translatione Sacri Consilij Basiliensis*, & ibi Ludou. Bologn. *in addit.* Sed Senatores olim non eligebant Imperatorem, neque hodie, 4 5 6 7 8

... *em de elect. & cap. Apostolica de re* ... tradit. præter alios Philip. Cor. ... 1. ... *m.* 3. Siquidem exercitus olim ... eligebat, & populus obediendo ... admittebat, Cardinal. *in c. in synodo, dist.* 63. ... o. &c.

9 Obijcies: Papa à nemine potest iudicari, vel deponi, neque ab Augusto, neque a Regibus, neque a populo, neque etiam ab omni Clero, *cap. vlt. Concil. Roman. sub Syluestro I.* & videri potest simmaca *de Catholi. institut.* ... 12. *num.* 1. & conuincit ratio; quia cum

10 Papa potestatem suam non acceperit à Principibus, neque ab Ecclesia (nemo etenim dat, quod non habet) sed solùm, media Ecclesiæ, seu Cardinalium electione, tanquam conditione, sine qua non, à Christo Domino; consequens est quod eadem potestate excidere non possit, nisi solum, Christo Domino auferente.

11 Respondetur, concedo totum; & retorqueo argumentum; quia, sicuti Papa media Ecclesiæ electione, tanquam conditione, sine qua non, à Christo Domino accipit potestatem, ita similiter, media Ecclesiæ dispositione, tanquam conditione sine qua non, eadem, Christo Domino auferente excidit potestate (siquidem iisdem causis, quibus res nascitur, deperditur)

12 quod accidit primò, si Papa in hæresim notoriam labatur, saltem postquam ab Ecclesia fuerit declarata, Doctores, quos sequitur Suar. *lib. 3. defens. fidei Cathol. cap.* 18. & *lib. 4. de*

13 *legib. cap.* 7. Secundò, si Papa Episcopatum resignet, Ecclesia resignationem acceptante:

14 Tertiò, si exteriùs se gerat, vt Hæreticum; ideoque Ecclesia alium eligat: qua ratione submoto Liberio Pontifice, Felicem II. substitutum fuisse, ait Bellarmen. *lib. 4. de Pontifice,*

15 *cap.* 9. Quartò, si tempore schismatis Ecclesia non possit cognoscere, quisnam verus Pontifex sit: quo casu propter bonum publicum potest alium eligere, Suar. cit. *cap.* 18. & Bellarm. *de concilio lib.* 2. *cap.* 19. *ad* 3. *argumentum.*

DVBITATIO V.

An Parlamentum Parisiense, & simile, sit constans & stabile?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum Parisiense, &c. est constans, & stabile, non enim loco mouetur pro momento sicut magnum consilium, quapropter quoad hoc Parlamentum videtur dignius.*
2. *Testimonium varium, & mutabile dicuntur proferre mulieres.*
3. *Vagi, nullo certo loco tenentur, & ideo vbique conueniri possunt.*
4. *Clericus, qui tantum abest à suo beneficio, vt dubitetur si viuat, vel mortuus sit; amittit liberam sui beneficij administrationem.*
5. *Romanus Pontifex si curiam suam huc, & illuc sine causa rationabili transferat, peccare dicitur.*

Respondetur affirmatiuè non enim loco mouetur pro momento, sicut magnum consilium; quapropter quoad hoc Parlamentum videtur dignius: siquidem constans, firmum, & stabile, saltem secundum quid, dignius est, quàm inconstans, infirmum, & instabile. 1

Hinc, varium, & mutabile testimonium proferre mulierem, dicitur *in cap. forus in fin. de verb. signific.* 2

Item secundò, vagos, qui nullo certo loco tenentur, vbique conueniri posse, dicitur *in leg.* 1. *Cod. vbi de crim. agi oportet, in l. hæres absens ff. de iudic.* & *in l. eius, qui §. vlt. ff. ad municip.* 3

Item tertiò, Clericum, qui tantùm abest à suo beneficio, vt dubitetur, si viuat, vel mortuus sit, amittere liberam sui beneficij administrationem, tradunt Doctores cum Glos. *in cap. non oportet, 2. de confe.* 4

Item quartò, Romanum Pontificem, si Curiam suam huc, & illuc sine causa rationabili transferat, peccare, dicitur *in c. per venerabilem, §. rationibus, qui fil. sint legit.* & docet Io. Andr. *in nouel. cap. fundamenta super verb. illuc de elect. in* 6. & *in capit. de temp. ordinat. eod. tit.* & Arch. Bononien. *in c. rogamus,* 24. *quæst.* 1. videri etiam poterit text. *in c. mutationes,* 7. *quæst.* 1. 5

DVBITATIO VI.

An Parlamentum Parisiense, & simile habeat territorium?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum Pariense, &c. habet territorium, seu districtum suum, & quoad hoc etiam videtur quid dignius.*
2. *Iudex habens territorium alijs excellit in nomine, auctoritate, & fortitudine.*
3. *Ius inter dicentem, & Iudicem differentia est.*
4. *Iudex territorium, vel districtum habens dicitur tribunali præesse, alij verò dicuntur simpliciter Iudices.*
5. *Iudex habens territorium potest in qualibet parte eiusdem territorij non exempta sedem iudiciariam ponere, ibique omnes causas audire, & decidere, criminosos capere, carcerare, mancipare, & punire.*
6. *Et in loco electo potest non solum in subditos, sed etiam in externos ibi delinquentes contrahentes, vel quasi contrahentes suam iurisdictio-*

nem exercere, licet tales propriè non dicantur subditi.

7. *Diœcesanus propriè alicuius dicitur, qui in sua Diœcesi habet domicilium.*

8. *Delinquens alibi comprehensus remitti debet puniendus ad eum in cuius territorio deliquit tàm de more, quàm de iure.*

9. *Territorium dicitur à terrendo, eoquod Magistratus eiusdem loci tenendi, id est submouendi intra eos fines ius habeant.*

10. *Magistratus territorium, seu administrationem non habentes, parum, & quasi Iudices cartularij reputantur.*

1 RESpondetur: Parlamentum Parisiense, & quodcumque aliud simile, habet territorium, seu districtum suum; & quoad hoc etiam Parlamentum videtur quid dignius; si quidem
2 Iudex habens territorium, alijs excellit in nomine, auctorite, & fortitudine.
3 Primum probatur *ex l. 2. iuncta glos. ff. de iurisd. omn. Iud.* quatenus ibi sit differentia inter ius dicentem, & Iudicem, vt in plus se habeat ius dicens, quàm Iudex; quàm Glos. communiter sequuntur Doctores; & meritò propter *cap. forus verb. si Iudex de verb. signific.*
4 Item probatur; quia Iudex territorium, vel districtum habens dicitur tribunali præesse, alij verò dicuntur simpliciter Iudices, *l. 1. iuncta glos. qui tribunali, ff. de iudic.* & *cap. cum Episcopus, de offic. ordin. in 6.*
5 Secundùm probatur, quia territorium habens potest in qualibet parte eiusdem territorij non exempta sedem iudiciariam ponere, ibique omnes causas audire, & decidere, criminosos capere, carcerare, mancipare, & punire, *cit. cap. cum Episcopus, vbi & Episcopo, & Capitulo, cap. nouit de offic. Legat. vbi de Legato Papæ, l. obseruare §. ingressus*, & *l. si in aliquam, in princip. ff. de offic. Proconf.* & *l. congruit, ff. de*
6 *offic. Præsid.* Et in loco electo potest non solùm in subditos, sed etiam in externos ibi delinquentes, contrahentes, vel quasi contrahentes, suam iurisdictionem exercere, *l. 3. ff. de offic. Præsid. l. 1. Cod. ibi de crim. agi oport. l. hæres absens, §. 1. & 2. ff. de Iudic. cap. vlt. de foro compet.* & *cap. humana §. contrahentes eodem tit. in 6.* licet tales propriè non dicantur subditi, Glos. *in verb. subditos in fin. Clem. vn. de foro compet. cap. à nobis 1. de sent. excomm.* & Abb. *in cap. dilectus 3. in fin. de rescript.* & *in cap. proposuisti de foro compet. & facit*, quod voluit altera Glos. *in cap. statutum, §. cum verò de rescript. in 6.*
7 nempe propriè Diœcesanum alicuius dici illum, qui in sua Diœcesi habet domicilium, &
8 delinquentem alibi comprehensum, remitti debere puniendum ad eum, in cuius territorio deliquit, tàm de more, quàm de iure, Clem. *pastoralis, §. denique iuncta Glos. de re iudic. & auth. vt nul. §. si quis verò* & *auth. si verò Cod. ad Leg.* Iul. *de adult.*
9 Tertium probatur; quia *territorium* dicitur *à terrendo*, & quod Magistratus eiusdem loci terrendi, id est, submouendi intra eos fines ius habens, *l. pupillus, §. territorium ff. de verb. signific.* & Glos. *verb. territorium, cap. vt animarum periculis, §. statuto, de constit. in 6. l. fin. ff. de iurisd. omn. Iudic. l. nulli, §. alias Cod. de Episc. & Cler. l. omne territorium. Cod. de censib. l. fin. de omni agro desert. l. quicumque de fundo limit. lib. 11. l. varum Cod. de incol. lib. 10. c. si quis, 16. qu9st. 5. c. ego Ludouicus dist. 63. & cap. omnes Basilicæ*, & Cler. *ne Romani, §. finè ibi de electione.* Alij verò Magistratus territorium, seu administrationem non habentes, 10
parum, & quasi Iudices cartularij, reputantur, de quibus Glos. *in l. 1. ff. de iurisd.* & ibi Bart. & Alex. & Angel. *in cap. iubemus nulli Cod. de sacros. Eccles.*



DVBITATIO VII.

An Parlamentum Parisiense, & simile sit quoad audientiam, & iustitiæ administrationem continuum?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum Parisiense, &c. est quoad audientiam, & iustitiæ administrationem continuum; cum tamen magni concilij actus sint interpollati, & discontinui, & quoad hoc videtur quid dignius.*

2. *Continua iudicantur maioris effectus, & auctoritatis quam causam discontinuam habentia.*

3. *Continuata possessio per tempus à iure determinatum, scilicet trium annorum, vel decem inter præsentes, & viginti inter absentes sufficit in vsucapionibus, & præscriptionibus.*

4. *Intermissio inducit interruptionem vsucapionis, & præscriptionis inchoatæ naturalem, quæ omnibus prodest.*

5. *Seruitutes si habent causam continuam longa temporis spatio acquiruntur, at si habent causam discontinuam non acquiruntur nisi per spatium temporis immemorabile.*

6. *Tempus requisitum in vsucapionibus, & præscriptionibus est continuum, non vtile, & in multis alijs actionibus ibi recensitis.*

7. *Continuè, & successiuè non potest quis detinere eumdem honorem.*

8. *Filius, Nepos, aut alius vlterior per lineam descendentem non potest habere Ecclesiam, vel beneficium, in quo aliquis parentorum suorum lineæ ascendentis ministrauit sine medio.*

9. *Furor continuus annullati pro iure, vel potius nullum declarat omnem contractum, & actum requirentem consensum, & non admittit delictum, vel quasi delictum; at non sic furor intermissus, dummodo talia in lucido interuallo contingant.*

RESpondetur affirmatiuè; cum tamen magni concilij actus sint interpollati, & discontinui; & quoad hoc etiam Parlamentum videtur quid dignius; quia continua iudicantur maiores ef- 1
2

sessio, & incttritatis, quam causam disconti-nuam ... vt patet.


Primò, quia in vsucapionibus, & præscri-ptionibus requirit continuata possessio per tem-pus prædeterminatum, trium scilicet anno-rum, vel decem inter præsentes, & viginti inter absentes, l. iuste possidere, ff. de vsucap. & cap.
4 possessor malæ fide de regul. iur. in 6. At intermissio facit interruptionem vsucapionis, & præ-scriptionis inchoatæ naturalem, quæ omnibus prodest, l. naturaliter ff. de vsucap. ibi Bart. & Abb. & Felin. in cap. illud de præscrip.

5 Secundò, quia seruitutes, si habent causam continuam longo temporis spatio acquirun-tur; at si habent causam discontinuam, non acquiruntur, nisi per spatium temporis imme-morabile, saltem duplicatum. Glos. in l. serui-tutes in princip. ff. de seruit. Ioan. Andr. Bal. Abb. in cap. cum Ecclesia de caus. pos. & Angel. Paul. de Castro, Salic. in l. 2. Cod. de seruit.

6 Tertiò, quia tempus requisitum in vsuca-pionibus & præscriptionibus est continuum, non vtile, l. ... §. 1. ff de vsucapion. Item etiam in quadriennio, quod datur ad pe-tendam in integrum restitutionem, l. vlt. Cod. de tempor. in integr. restit. cap. 1. & 2. de in integr. restitut. in 6. & Clem. vn. eod. tit. & ibi Glos. Item in actione iniuriarum ciuili, vel prætorea, quæ anno continuo tollitur, l. non ... Cod. de iniur. & ibi Glos. fin. Item in actione de dolo, quæ biennio continuo tantùm durat, l. vlt. Cod. de do. ma. ex quibus omnibus Glos. (quam sequuntur Doctores) in rubr. ff. de diuers. & temp. præscript. circa fin. regulam deducit, quòd omne tempus iure præ-finitum sit continuum, nisi aliud exprima-tur.

7 Quartò, quia continuè, & successiuè non potest quis pluribus annis obtinere eundem honorem Cod. de honor. non continuis in rub.
8 lib. 10. Quin etiam filius, nepos, aut alius vl-terior per lineam descendentem non potest ha-bere Ecclesiam, vel beneficium, in quo aliquis parentum suorum lineæ ascendentis ministra-uit sine medio, cap. ad extirpandas, iuncta Glos. & cap. penult. de fil. presbyt. & cap. ve-nerabilem in fin. de election.

9 Quintò, quia furor continuus annullat ipso iure, vel potius nullum declarat omnem con-tractum, & actum requirentem consensum, & non admittit delictum, vel quasi delictum; At non sic furor intermissus, dummodò talia in lucido interuallo contingant, Iustit. §. furio-sus de inutil. stipulat. scil. pupillus. ff. de acquir. hæredit. l. diuus. & l. congruit, §. furiosi, ff. de offic. præsid. l. tam dementis, Cod. de Episcop. audierit. l. penult. ff. ad leg. pomp. de par. cap. vlt. de succ. ff. ab intest. cap. dilectus, de spons. & Clem. vn. de homic.



DVBITATIO VIII.

An Parlamentum Pariense, & simile habeat maiorem, quàm magnum Principis concis-torium, personarum numerum?

SVMMARIVM.

1. *Parlementum Parisiense, &c. habet maiorem, quam magnum Principis concistorium, persona-rum numerum constat enim ex centum viris; & quoad hoc etiam videtur quid dignius.*
2. *Pluralitas personarum cæteris paribus in omni-bus casibus præfertur parcitati.*
3. *Prout in testibus, qui ab eadem, vel diuersis partibus producuntur, in electionibus Prælatorum in omnibus per Vniuersitatem, vel Collegium explicandis, in pluribus Iudi-cibus ordinarijs, vel delegatis, vel arbitris, in sententia ferenda discordantibus, in delega-tionibus per sedem Apostolicam faciendem, in eligendis arbitris, in conflictu & varietate opi-nionum Doctorum..*
4. *Communis opinio Doctorum excusat victum in litigando à condemnatione expensarum.*
5. *Iudex qui in dubio iudicat contra communem Doctorum opinionem facit litem suam, & debet in syndicatu adinteresse partis læsæ condemna-ri, contra nonnullos recentiores sentientes se-quentem opinionem probabilem in iudicando licet contra communem non debeat subiacere syndicatui.*
6. *Patronis pluribus discordantibus statur indi-cio maioris partis.*
7. *Condemnatus (cum plures Iudices condemna-runt) potest appellare coràm maiori parte, & petere Apostolos.*
8. *Maior numerus præfertur minori in pluribus creditoribus non concurrentibus in vnum cum hærede instituto circa quotam debitorum remit-tendam.*
9. *Idem in casu quod discordent in dilatione quin-quennali data debitori, vt si qui malint, quod debitor cedat bonis.*

RESpondetur: affirmatiuè; quia Par- 1
lamentum Parisiense constat ex centum viris vt dicebam dubit. 3. At in magno Principis concistorio pauciores sunt numero, saltem actu residentes; cum Magistri requistarum ordinarij deseruiant per quarteria (idest, per quartam anni partem) alij verò Conciliarij, qui numerum non exce-dunt, suis officiis incumbant per semestria tem-pora singulis annis; Et quoad hoc etiam Par- 2
lamentum videtur quid dignius; quia, cæteris paribus, pluralitas personarum in omnibus ferè causis præfertur parcitati, vt patet.

Primò in testibus, qui ab eadem, vel diuer- 3

ſis partibus producuntur, *cap. in noſtra de teſtibus, & quæſt. 3. c. ſi teſtes*, vbi Gloſ.

Secundò in electionibus Prælatorum, *cap. licet de vitanda, cap. quia propter, cap. ſcriptum, cap. dudum 1. & cap. Eccleſia de elect. cap. ſi quando, cap. ſi cui, & cap. ſicut, eodem tit. in 6.*

Tertiò in omnibus per Vniuerſitatem, vel Collegium explicandis, *cap. cum omnes de conſtitut. l. quod maior ff. ad municip. cap. 1. & cap. quæſiuit de his, quæ fiunt à maiori parte capit, cap. ea noſcitur, cap. nouit,* & *cap. quanto de his, quæ fiunt à Prælat,* & ibi communiter Doctores.

Quartò in pluribus Iudicibus ordinarijs, vel delegatis, vel arbitris in ſententia ferenda diſcordantibus, *cap. vlt. de re iudic. l. ſi vni, vel ſi duo. ff. eod. & cap. 1. de arbitr. in 6.*

Quintò in delegationibus per ſedem Apoſtolicam faciendis; quia in his integrum præſumitur iudicium, quod multorum ſententia comprobatur, *cap. prudentiam in princip. de offic. de leg.*

Sextò in eligendis arbitris, quo caſu plures, & in diſpari numero eligi debent, *cap. 1. de arbitr.* vbi Io. Andr. Abb. & alij paſſim.

Septimò in conflictu, & varietate Doctorum opinionum, quo caſu in dubio ſequenda eſt, tam in conſulendo, quàm in iudicando & in ſcholis publicè legendo communis opinio, niſi ſit notiorè falſa, vel rationabiliter poſſit conuinci de falſo, Io. Andr. *in cap. 1. ſuper Gloſ. fin. de conſtit.* Felin. & Abb. idem *ex l. 1. ſed nec Cod. de vet. Iur. enucl.* idem Abb. *in cap.*
4 *finem de dol. & contum.* quatenus ait, quod communis opinio Doctorum excuſet victum in litigando à condemnatione expenſarum, & Bart. *in l. vlt. Cod. de pen. iud. qui ma. Iud.* quatenus docet, quòd Iudex qui in dubio iudi-
5 cat contra communem Doctorum opinionem, faciat litem ſuam, & debeat à ſyndicatu adintereſſe partis læſæ condemnari; quod etiam Butr. & Abb. per textum *in cap. 1. de decem. ille in cap. ex literis 1. de ſponſ. iſte in cap. prudentiam, de offic. deleg.* & Felin. *in repet. c. canonum de conſtit.* quamuis nonnulli recentiores ſentiant, quod, qui ſequitur opinionem probabilem in iudicando, licet contra communem, non debeat ſubiacere ſyndicatui; quia, cum probabiliter agat, non peccat, & ſic pœna dignus non eſt: nam pœna ſupponit culpam, ſeu peccatum.

6 Octauò in pluribus patronis diſcordantibus; quo caſu ſtatur iudicio maioris partis, *cap. quoniam in princip. de iure patron.* & facit *Clem. plures in princip. eod. tit.* & notat Gloſ. *in c. piæ mentis 17. quæſt. 8.*

7 Nonò, quia: cum plures Iudices condemnarunt, poteſt condemnatus appellare coram maiori parte, & petere Apoſtolos; ita quod perinde habebitur, ac ſi coram omnibus appellaret, *Clement. 1. de appellat.*

8 Decimò in pluribus creditoribus non concurrentibus in vnum cum hærede inſtituto circa quotam debitorum remittendam; quo caſu, data paritate in quantitate debitorum, & qualitate perſonarum ipſorum creditorum, maior numerus præfertur minori, *l. & ſiuum hæredem, §. hodie ſcil. maiorem, l. ſi plures, & l. reſcriptum in princip. ff. de pact. facit etiam l. 1. ff. de priuileg. creditorum.* Idem in caſu, quod 9
diſcordent in dilatione quinquennali data debitori, vt ſi qui malint, quod debitor cedat bonis, *l. vlt. Cod. qui bon. ceder. poßint,* & Doctores. *in cap. Odoardus de Solution.*



DVBITATIO IX.

An & cui æquiparetur Parlamentum Pariſienſe & ſimile?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum Pariſienſe æquiparatur Senatui Romano ſicuti dictum eſt dubitatione 3. & num. 2.*
Parlamenta alia æquiparantur prætorio præfectis.
3. *Prætorio præfecti erant in locum Magiſtrorum Equitum, quos Princeps quaſi pro Collegis ſibi aſſumebat; & ampliorem in publica diſciplina, quam dicti Magiſtri poteſtatem habebant.*
4. *Prætorio præfecti ad officium non aſſumebantur niſi qui excellerent induſtria quantum ad negotiorum experientiam, & cauſarum peritiam: in fidelitate vt non reuelarent ſecreta; in grauitate ne contemnerentur à ſubditis ob nimiam familiaritatem & in ſapientia animi quoad veritatis agnitionem.*
5. *Prætorio præfecti à ſententiis non licebat appellari; ſed ſolum intra certum tempus Principi, vel ipſis ſupplicari, item contra eorum ſententias ipſis ſolis, vel principi in integrum reſtituere permittebatur. Item legem generalem condebant non autem contra ius commune item ipſis libera facultas competebat inferiores iudices ob culpam remouere, & alios in eorum locos ſubſtituere.*

Reſpondetur: Parlamentum Pariſienſe æquiparatur Senatui Romano, ſicuti dicebam *dubit. 3.* alia 1 2
Parlamenta æquiparantur Prætorio Præfectis; Prætorio Præfecti autem erant in 3
locum Magiſtrorum Equitum, quos Princeps, quaſi pro Collegis ſibi aſſumebat; & ampliorem in publica diſciplina quàm dicti Magiſtri, poteſtatem habebant, *l. vni in princip. ff. de offic. Præf. præt.* Quapropter ad tale officium 4
non aſſumebantur, niſi qui excellerent in induſtria quantùm ad negotiorum experientiam, & cauſarum peritiam: Secundò in fidelitate, vt non reuelarent ſecreta: Tertiò in grauitate, vt ſubditis, ne contemnerentur, nimiam familiaritatem non exhiberent, *l. obſeruandum, de offic. Præf. & c. quando neceſſitas iunct Gloſ. ver. frangatur diſt. 86.* Quartò in ſapientia animi quoad veritatis agnitionem, *cit. l. vni, §. his cunabilis*; vide etiam inſtitut. *in proœmio §.*

cunque in princ. & Angelum ibid. in 2. notand.

5 Cæterum ab eorum sententijs non licebat appellari, sed solùm intra certum tempus Principi, vel ipsis supplicari, *l. vna, Cod. de sent. Praefect. Prætor. & cit. §. his cunabilis*: Item contra eorum sententias ipsis solis, vel Principi in integrum restituere permittebatur, *dict. §. his cunabilis, & l. in caus. 2. §. vlt. & l. seq. ff. de minor.* Item legem generalem (præter, vel secundùm, non autem contra ius commune) condebant, *l. normam, Cod. de offic. Pr. fect. orig. & facit l. non ambigitur, ff. de leg.* Item ipsis, vt imperatori immediatè subditis, & alijs Magistratibus excellentioribus inferiores Iudices ob culpam inutiles, vel indignos ab administratoribus suis ad tempus vel in perpetuum remouere, & alios in eorum locos substituere libera facultas competebat, *l. si quos Cod. de offic. Præf. orig.* Quæ ferè omnia, cum congruant alijs Parlamentis, Guido Pap. *in decis. Parlamenti Delphinalis, quæst.* 50 art. quod dicta Parlamenta antiquorum Prætorio Præfectorum locum, authoritatem, & officium obtineant.



DVBITATIO X.

An in dictis Parlamentis detur aliquandò personæ alicuius transitus, vel translatio?

SVMMARIVM.

1. *Transitus, vel translatio Personæ alicuius aliquando datur in Parlamentis.*
2. *Assessores magni Concilij nonnunquam proprio Principis motu sæpius ad ipsorum importunam suggestionem ad Gurias Parlamentorum vt illic sedeant, transferuntur non è contra.*
3. *Promotio ad honores, dignitates, & officia facienda est gradatim, ita vt de inferiori ad superiorem gradum assensus fiat.*
4. *Monachus qui esse debet, expresse professus, & in regula monachali sufficienter inspectus sit.*
5. *Diaconius prius debet esse quàm presbyter, & presbiter quam Episcopus.*
6. *De Archiepiscopo Episcopum facere dicitur esse nouo quodam mutationis genere paruificare maiorem.*
7. *Archiepiscopus secundum aliquos si cesserit suæ dignitati cum auctoritate summi Pontificis non potest amplius in Episcopum eligi, quod tamen reprobatur per Hostiensem.*

1 Respondetur: affirmatiuè; quia de facto videtur, magni Concilij Assesso-
2 res nonnunquam proprio Principis motu, sæpiùs ad ipsorum importunam suggestionem ad curias Parlamentorum, vt illic sedeant, transferri, non è contra; siqui- 3
dem ad honores, dignitates, & officia promotio facienda est gradatim, ità vt de inferiori ad superiorem gradum assensus fiat, *l. vt gradatim in princip. ff. de negot. gest. & cap. 1. de de Cleric. non resid.* iuxta illud psal. 83. *de virtute in virtutem, &c.*

Hinc prius quis debet esse Monachus, ex- 4
pressè professus, & in regula Monachali sufficienter inspectus, quàm Abbas, *cap. cum causam, cap. cum ad nostrum, cap. officij, & cap. cum Monasterium de elect. iuncto cap. nullus eod. tit. in 6.*

Item priùs quis debet esse Diaconus, quàm 5
Presbyter, & Presbyter, quàm Episcopus, *c. legimus in fin. dist. 93. & cap. ex literis, verb. cum igitur, de excessib. Prælat.* & sic de similibus aliis, &c.

Quapropter, facere de Archiepiscopo Epis- 6
copum dicitur esse, nouo quodam mutationis genere paruificare maiorem, magnum quodammodo minorare, & magis Dearchiepiscopare, quàm Episcopare Episcopum, *cap. 1. verb. miramur, de translat. Episcop.* per quem
Textum dixerunt quidam, quòd, si Archiepis- 7
copus cesserit suæ dignitati cum authoritate summi Pontificis, non possit amplius in Episcopum eligi; quod tamen benè ibi reprobant Hostiensis, Io. Andr. & Abb. per Textum *in cap. 1. de ordin. ab Episcop. qui re. Episc. & in cap. ad supplicationem de renunc.*



DVBITATIO XI.

An seruetur solemnitas aliqua, cum quis admittitur in Præsidentem, vel Consiliarium Parlamenti?

SVMMARIVM.

1. *Solemnitas aliqua seruatur cum quis admittitur in Præsidentem, vel Consiliarium Parlamenti.*
2. *Curia suprema, cum ibi vacat Præsidentis, vel Consiliarij aliquis locus, exacto à singulis ibidem vocem obtinentibus curamento, consueuit tres Regi nominare, vt gratificetur cui voluerit ex tribus.*
3. *Inter tres nominatos ad Præsidentis, vel Consiliarij Parlamenti Parisiensis munus, non debet esse nisi vnus oriundus, vel incola Ciuitatis, vbi residet Parlamentum.*
4. *Assidere nullus debet in Patria sua, vt iustitia procedat sine suspicione, & periculo quod amicis prosit, & inimicis obsit, quamuis de consuetudine id non seruetur.*
5. *Nominatio prædicta, licet videatur habere vim electionis, probabilius tamen non habet, nisi ius postulationis, quia dependet à gratia speciali ipsius Principis.*

6. *Neque per eam acquiritur aliquod ius actuale, vel habituale nominato.*

7. *Per electionem veram, & propriam acquiritur plenum & perfectum ius electo in dignitate spirituali, vel temporali, ad quam fuit legitime vocatus.*

8. *Confirmatio superioris postea interueniens solum confert administrandi facultatem.*

9. *Rex facta dicta nominatione prouidet vni illorum trium ita tamen vt aliquando nullum nominatorum admittat; sed alij conferat de potestate tamen absoluta: nam de potestate ordinaria iniuriam quodammodo illis irrogat.*

10. *Electus vbi Rex elegit vnum ex tribus nominatis debet se subijcere examini omnium præsidentium, & certorum Consiliariorum ad arbitrium dictorum Præsidentium, ita vt si minus sufficiens, & idoneus repertus fuerit, non recipiatur, sed curia eius repulsionem quam primum intimet Regi, vt in eius locum sufficiat alium, quod si idoneus sit curia debet eum recipere.*

11. *Nominatores præstare debent iuramentum quod nominauerint in conscientia, quem nouerint magis doctum, expertum, & dicto officio vtilem, & idoneum.*

12. *Solemnitas quanta requiritur in Prælatis Ecclesiarium Collegiatarum tanta ferè requiretur in promouendis ijs, qui in aliquo parlamento instituuntr.*

1 RESpondetur: affirmatiuè; quia de facto curia suprema, cum ibi vacat
2 Præsidentis, vel Consiliarij aliquis locus, exacto à singulis ibidem vocem obtinentibus iuramento, consueuit tres Regi nominare, vt gratificet cui voluerit ex tribus; sic *in Ordinario Ludouici* XII. *art.* 31. & facit *Clement. plures*, *§. quibus, de iur. patron. cap. cum autem eod. tit. cap. vni, §. item quod in col. de prag. Sanct. cap. duobus, in fin. de rescript. & cap. si à sede Apost. de præb. in 6.*

3 Secundò inter tres illos nominatos non debet esse, nisi vnus oriundus, vel incola Ciuitatis, vbi residet Parlamentum; sic in dict. Ordinar. *art.* 32. forsan ex eo, quia nullus debet assidere
4 in patria sua, vt iustitia procedat sine suspicione, & periculo, quod amicis prosit, & inimicis obsit, *l. si eadem, & l. fin. iunct. Glos. ff. de assessor. l. consiliariis Cod. eod.* facit etiam *l. hi qui, & l. si cui, ff. ex quib. caus. maior.* quamuis de consuetudine dicta iura hodie non seruentur.

5 Tertiò prædicta nominatio (licet videatur habere vim electionis, propter textum in dicto ordinar. *art.* 31. *ibi, nominare, vel eligere*) probabilius tamen non habet, nisi ius postulationis; quia dependet à gratia speciali ipsius principis, *cap. bonæ, de postul. Prælat.* & Glos. *ibid.*
6 *& in cap. cupientes, §. denique, verbi gratia, de elect. in 6.* nec per eam acquiritur aliquod ius actuale, vel habituale nominato, Hostiens.
7 Io. Andr. & Abb. *in cit. cap. bonæ* super Glos. vlt. *& cap. quod sicut de elect.* sed per electionem veram, & propriam acquiritur plenum, & perfectum ius electo in dignitate spirituali, vel temporali, ad quam fuit legitimè vocatus, Glos. *in c quarto, dist.* 63. Abb. *in cap. postquam & cap. transmissa, de elect. & cap. super his, de accusat,* vbi etiam Felin. & passim Canonistæ; 8
ita vt superioris confirmatio, quæ postea interuenit, solùm conferat administrandi facultatem *cit. cap. transmissa, cap. qualiter,* & *cap. auaritia, eod. tit. in 6.* & notat Glos *in l. priuatorum, Cod. de iurisdict. omn. Iudic.* & Bald. *in auth. habita Cod. ne filius pro patre.*

Quartò, facta dicta nominatione Rex pro- 9
uidet vni illorum trium, ità tamen vt aliquando nullum trium nominatorum admittat, sed alij conferat, de potestate tamen absoluta: nam de potestate ordinaria iniuriam quodammodo illis irrogat; adeò, quod si superiorem haberet, compelli posset, vt vnum ex tribus acceptet, *argum. eorum,* quæ notat Glos. *in verb. ex gratia in dict. cap. bonæ,* & *cap. nullus de iure patron.*

Quintò, vbi Rex eligit vnum ex tribus no- 10
minatis, debet electus se subijcere examini omnium Præsidentium, & certorum Consiliariorum ad arbitrium dictorum Præsidentium, ita vt si minus sufficiens, & idoneus inuentus fuerit, non recipiatur, sed Curia eius repulsionem quàm primùm intimet Regi, vt in eius locum subrogare alium dignetur; quod si tamen idoneus fuerit inuentus, Curia debet eum recipere, & instituere, sic in dict. ordinar. Ludouici XII. *art.* 30. *& seq.* vbi subditur, 11
quòd, imminente dicta nominatione, debent singuli de corpore Curiæ in manibus tunc ibi Præsidentis iurare, quòd nominabunt in conscientia, quem nouerint magis doctum, expertum, & dicto officio vtilem, & idoneum.

Ex his omnibus apparet, quod quanta so- 12
lemnitas requiritur in Prælatis Ecclesiarum Collegiatarum, tanta eadem ferè requiratur in promouendis ijs, qui in aliquo Parlamento instituuntur; quia sicut illi eliguntur, &, examine superioris præcedente, confirmantur, & instituuntur, seu installantur, *cap. quia propter, cap. cum nobis. & cap. transmissa, de elect. cap. vlt. eod. tit. in 6. cap. cum satis, & cap. ad hæc, de offic. Archid.* sic hi nominantur per Curiam, prouidentur à Rege, examinantur, & si idonei reperti fuerint recipiuntur, vti suprà dicebamus.



DVBITATIO XII.

An seruetur eadem solemnitas in admittendis Consiliarijs maioris Consilij?

SVMMARIVM.

1. *Solemnitas eadem nec maior seruatur in admittendis Consiliarij maioris Consilij.*

2. *Solemnitates plures requiruntur in electione*

[illegible] q[illegible] ad numerum personarum, quàm [illegible] inferioribus.

3. [illegible]tes 21. su[illegible]stantiales requiruntur [illegible] proceditur per viam scrutinij in ele[illegible] [illegible]orum, quorum morte, vel cessione, [illegible] [illegible]ur viduatæ, ex quibus decem & [illegible] Ab[illegible]as. tres habet Concilij Basilien[illegible] de[illegible].

4. [illegible]tes præd[illegible] [illegible] requiruntur in di[illegible] [illegible]erio[illegible]bus, beneficijs, vel præbendis; [illegible] [illegible]re consensus, in communi tamen, [illegible] præstiti.

5. Imper[illegible]r [illegible] Principibus, tribus Eccle[illegible] [illegible] quatuor sæcularibus eligitur.

6. Imperator per sedem Apostolicam, vel eius authoritate e[illegible]natur, confirmatur, saltem admittitur, [illegible] tandem triplici corona decoratur.

7. [illegible] præd[illegible] [illegible] assumptione Regum, [illegible] Principum sæcularium, præsertim [illegible] [illegible] Principatus sæculares [illegible] [illegible]uerunt per successionem, non per electionem.

1 R[illegible] his nec eandem, nec [illegible] [illegible]itatem seruari, [illegible] reperitur. Cæterum ad [illegible] maioris dignitatis [illegible] requiri c[illegible]ueuit.

2 Hinc [illegible] electione [illegible] plures solemnitates, [illegible] ad [illegible] personarum, requiruntur, [illegible] inferioribus, *c. in [illegible] Domini, dist. 23. cap. licet de elect. cap. vbi per[illegible], eod. tit. in* 6. & Clem. *ne Romani, eod. tit.*

3 Item in electione Prælatorum, quorum morte, vel cessione Ecclesiæ dicuntur viduatæ, requiruntur [illegible], vbi præceditur per viam [illegible], 21. solemnitates substantiales, ex quibus decem [illegible] Abb *ex c. quia [illegible]*, [illegible] tres habet Concilij Basilien[illegible] *sicut in construenda, §. [illegible] §. ad locum, & § deinde* 4 *[illegible] de elect. [illegible] sanc.* quæ solemnitates [illegible] in dignitatibus inferioribus, beneficijs, vel præbendis, sed sufficiunt singulares consensus, in communi tamen, siuè [illegible] præstiti; Innocent. *in cit. cap. [illegible]*, Io. Andr. & Abb. ibidem Glos. *in cap. sicut, de elect. in 6. & in cap. si cui eod. tit.*

5 Item Imperator à septem Principibus, tribus Ecclesiasticis, & quatuor sæcularibus eligitur (vt videre est apud Hostiens. *in cap. venerabilem, de elect.* Glos. *in cap. ad Apostolicæ*, §. *illi autem, de re iudic. in 6.* Baldum *in sua Margarita, verb. [illegible]*, Innocentium *in dict. cap. venerabilem*, & Io. Bersachi *in suo Repertorio verb.* 6 *Archiepiscopus, & verb. Electionarij*) per sedem Apostolicam, vel eius authoritate examinatur; confirmatur, saltem admittitur, si idoneus fuerit, consecratur, iuramento astringitur, & tandem triplici corona decoratur, *dict. cap. venerabilem*, Clement. *ne Romani.* & ibi Glos. *de iureiur.* & Clem. *pastoralis*, §. *cæterùm. de re iudic.* Quæ solemnitates cessant 7 in assumptione Regum, & aliorum Principum sæcularium, præsertim quia hodie Regna, & alij principatus sæculares transferri consueuerunt per successionem, non per electionem; vide *c. Moyses*, 8. *quæst.* 1. *cap. licet, de voto, cap. significauit*, vbi Abb. *de rescript. cap. dilecti, de arbitr. & cap. vlt. de concess. præben.*



DVBITATIO XIII.

An Parlamenta, & magnum Consilium sint æqualis authoritatis, & dignitatis?

SVMMARIVM.

1. *Parlamenta, & magnum Consilium sunt æqualis, authoritatis, & dignitatis.*
2. *Vnitas capitis principalis sufficienter parem auctoritatem, & dignitatem in membris designat.*
3. *Identitas nominis sufficienter eamdem nominatorum substantiam esse demonstrat.*
4. *Legatum de ancilla Agatha nomine factum, illa alienata per Testatorem, reconualescit, si Testator acquirat aliam, cui nomen idem imponat.*
5. *Argumentum illatum à nominis identitate valet.*
5. *Sponsus si donet sponsæ annulum, & postea nuptijs celebratis det ei proprium, valet donatio proprij annuli, licet facta fuerit, constante matrimonio quando regulariter prohibita est donatio inter virum & vxorem ex eo quia annulus proprius succedit in locum prioris alieni.*
7. *Donatio inter sponsos de futuro valida est.*
8. *Vocabula inuenta fuerunt ad res significandas.*
9. *Identitas nominis aliquando tantam parit obscuritatem, & confusionem, quod vitiat dispositionem etiam fauorabilissimam.*
10. *Officium tam Parlamenti, quàm magni Consilij dicitur par, quia singulorum est Principis, ac totius Reipublicæ vtilitati consulere, ac omnia negotia particularia, & vniuersalia ad ipsorum examen deuoluta discutere, & ius suum vnicuique tribuere.*
11. *Officium simile habentes reputantur collegæ.*
12. *Tales inter se habent imperium, neque auctoritatem, vtpote in potestate æquales.*
13. *Dignitatem habere similem reputantur habentes simile ministerium, & par in parem non habet potestatem.*
14. *Similitudo in pluribus intercedit inter Parlamentum, & magnum Consilium, examinant enim & determinant Regi interpositas à Iudicibus spectabilibus, vel clarissimis appellationes.*
15. *Appellationes aliorum inferiorum de iure communi non audiunt, quin de tali iure, neque ad Regem ipsum potest appellari, omisso medio, bene tamen ad Papam.*
16. *A sententijs, quæ aresta vocantur, non licet appellare, sed solùm errorem proponere, sic nec à sententijs magni Consilij.*

17. *Parlamenta faciunt leges, seu ordinationes generales saltem ipsorum territorium distrigentes, dependenter scilicet à consensu Principis, ita etiam faciunt Domini magni Concilij.*

18. *Causæ quandoque euocantur à Principe de Parlamento ad magnum Concilium, quandoque etiam licet rarissimè ipsum Parlamentum euocat cognitionem quamdam causarum coram Senescallis, seu Bayllinis, & alijs Iudicibus sibi subiectis, quod etiam, & multo sæpius facit magnum Concilium.*

19. *Euocatio, seu reuocatio plus operatur quàm appellatio; nam euocatio, etiam iniusta, ità suspendit iurisdictionem inferioris, vt ipso iure sit nullum quod postea in illa causa, etiam inter alias partes, attentatur; sed appellatio iniusta non suspendit potestatem Iudicis à quo.*

20. *Appellatio est quid iuris, & consistit in iure, reuocatio autem est quid facti, & consistit in facto.*

21. *Episcopus potest euocare ad suum examen causam coram Officiali, vel Vicario suo pendentem.*

22. *Magnum Concilium sicut restituit aduersus propriam sententiam ex causa, sic etiam Parlamenta allegato, & probato errore.*

23. *Consiliarij partim sæculares, partim Ecclesiastici adsunt tam in magno Consilio quàm in Parlamento: vbi vide quæ dicantur in laudem Ecclesiasticorum.*

24. *Legatum quoddam dicitur simile Legato vsusfructus, licet inter illa legata tres differentiæ assignentur.*

1 RESpondetur: affirmatiuè; quod indicat.
2 Primò capitis principalis vnitas: omnes enim sub vno, & eodem regio Diademate ciuiliter militant; At capitis principalis vnitas sufficienter parem authoritatem & dignitatem in membris designat iuxta illud: *omnes in Christo vnum sunt, vna fides, vnum baptisma, &c.* ad Rom. 4. & ad Galat. 3. *cap. firmiter, §. vna est, de sum. Trin. Clem. vn. §. ad hoc, in princip. & Clem. frequens §. verum de excess. Prælat. extrauag. vnam sanctam, de maior, & obed. & cap. 1. de coniu. ser.*

3 Secundò nominis identitas: omnes enim eodem communi nomine Consiliarij Regis appellantur; At nominis identitas sufficienter eamdem nominatorum substantiam esse, demonstrat; *argum. l. si idem Cod. de Codicillis, instit. quibus modis testam. infirm. §. alio quoque modo*; facit *l. filio §. Titia, ff. de condit. & de-*
4 *monstr.* quatenùs ibi legatum de ancilla Agatha nomine factum, illa alienata per testatorem, reconualescit, si testator acquirat aliam, cui nomen idem imponat; per quem textum Doctores (inter quos Alber. de Rosa *in suo dictionario vers. argumentum, col. 4. in princip.*) aiunt,
5 quod valeat argumentum à nominis identitate; facit etiam *l. si donare, §. si sponsus, ff. de donat. inter vir. & vxor.* quatenùs ibi, si sponsus do-
6 net sponsæ annulum, & posteà, nuptiis celebratis, det ei proprium, valeat donatio proprij (licet facta fuerit, constante matrimonio; quando regulariter prohibita est donatio inter virum, & vxorem, *l. 1. 2. & 3. ff. eod. & cap. vlt. eodem tit.*) ex eo quia annulus proprius succedit in locum prioris alieni, qui fuit do- 7
natus tempore permisso, (cum inter sponsos de futuro valida sit donatio, *l. quod sponsæ, Cod. de donation. ante nupt.*) consequenter illi duo annuli, vnus dumtaxat, scilicet sponsalitius, reputantur: Item facit, quia vocabula ad res 8
designandas inuenta fuerunt, *Instit. de legat. §. si quis infundi vocabuli ff. de legat. 1.* vnde nonnunquam nominis identitas tantam parit 9
obscuritatem, & confusionem, quod vitiat dispositionem, etiam fauorabilissimam, *l. duo sunt Titij ff. de testam. tutor.*

Tertiò officij paritas; quia singulorum offi- 10
cium est, Principis, ac totius Reipublicæ vtilitati consulere, ac omnia negotia particularia, & vniuersalia ad ipsorum examen deuoluta discutere, & ius suum vnicuique tribuere, *Instit. de iust. & iur. §. iuris præcepta l. iustitia §. 1. ff. eod. cap. cum externi, vers. caueant, de re iudic. in 6. c. non auferamus dist. 24. quæst. 1. dist. 46. c. omnis qui autem.* Accedit quod simile officium habentes repu- 11
tantur collegæ, *l. collegarum in princip. ff. de verb. signific.* & docent Glos. Zabar. & Abb. *in Clem. si quis suadente de pœn.* facit *l. vna §. sanè ff. de offic. Consul. l. ex persona, Cod. de probat. l. apud filium §. apud Collegam, ff. de manu vind. & cap. dilectus, de sequest. poss. & fru.* 12
quapropter tales inter se non habent imperium, vel authoritamem, vtpote in potestate æquales, *l. ille, à quo, §. tempestiuum, ff. ad Senatus-consultum, Trebellianum, l. Magistratus, ff. de recept. arbitr. & cap. innotuit, de elect.* & tradunt Angel. Paulus de Castro. & Alex. *in l. est receptum ff. de iurisdict. omn. Iudic.* vbi ex dictis definiunt quæstionem, *An, si vnus ex iudicibus eiusdem tribunalis deliquerit in proprio territorio, possit per Collegam, vel Collegas puniri; & an, si Archiepiscopus deliquerit in Diæcesi suffraganei, vel Episcopus in Diæcesi Coepiscopi, possit per illum, in cuius territorio deliquit, castigari?* Accedit secundò, quod simile
ministerium habentes par est, quod similem 13
reputentur dignitatem habere, *argum. cap. recolentes, verb. ideoque de statu Monach.*

Quartò vtriusque partis quoad iurisdictio- 14
nem in pluribus similitudinem; siquidem Parlamenta, & magnum Concilium appellationes, quæ à Iudicibus spectabilibus, vel clarissimis, v. g. Ducibus, Comitibus Prouinciarum Præsidibus, ac aliis sine medio Regi subiectis interponuntur, examinant, & determinant, iuxta *l. præcipimus, l. penult. & l. ampliorem §. 1. Cod. de appellat.* appellationes autem aliorum inferiorum de iure communi non 15
audiunt; qui de tali iure, neque ad Regem ipsum potest appellari, omisso medio, *l. Imperatores, ff. de Imperat.* benè tamen ad Papam, *2. quæst. 6. cap. ad Romanum, & cap. dilecti de appellat.* quamuis hodie per decretum Concilij Basiliensis, idem ius, quod est in Papa, in Principe sæculari statutum sit, *c. 1. §. & ne sub vmbra de cau. & c. vno contra friuol. appellat. in prag. sanc.* Item secundò, sicut à 16
sententiis quæ aresta vocantur, non licet appell

pe... sed solum errorem proponere, seruatis
b... de quibus in ordinationibus Ludouici XI.
17 h... nec a sententiis magni Concilij. Item ter-
tiò, sicut Parlamenta faciunt leges, seu ordi-
na... ones generales, saltem ipsorum territorium
di... ge... tes, dependenter scilicet à consen-
su Principis, ita etiam faciunt Domini magni
Concilij, iuxta *l. normam, Cod. de offic. præfect. prætor. orig.* & notat Io. Faber. *in l. vlt. Cod. de*
legib. & cos. Gui. *in concl. prag. sane. §. quo circa,*
18 *verb. Parlamenta*; Item quartò, sicut ex causa,
aliquando motu proprio, sæpius ad alterutrius
litigantium instantiam, Princeps euocat cau-
sas & processus de vno Parlamento ad aliud,
ita similiter euocat de Parlamentis ad magnum
Concilium; nonnunquam etiam, licet raris-
sime, dicta Parlamenta euocant cognitionem
quamdam causarum coram Senescallis, seu
Bayllhuis, aut aliis iudicibus sibi subiectis, vt
supra pendentium; Quod etiam, & multò sæ-
piùs, fa... it magnum Concilium, & hoc qui-
dem ex ... ul... a cau... a facere possunt, *argum. cap.*
19 *v... nostrum de appellat.* quia plus operatur euoca-
tio, seu reuocatio quàm appellatio; nam euo-
catio, etiam iniusta, ità suspendit iurisdictio-
nem inferioris, vt ipso iure sit nullum, quod
poste in illa causa, etiam inter alias partes,
attentatur; sed appellatio iniusta non suspen-
di potestatem iudicis à quo, *cap. cum appella-*
tionibus in princip. de appellat. in 6. & ratio dis-
paritatis est; quia appellatio est quid iuris, &
20 consistit in iure reuocatio autem est quid facti,
& consistit in facto, Innoc. Io. Andr. Abb &
Bald. *in cit. cap. cum appellationib.* facit etiam
ad dictum principale Text. *in cap. licet de offic.*
legat. & in cap. pastoralis, §. præterea, de offic.
deleg. & quod notant Innocentius, Dominicus,
& Geminianus *in cap. Romana in princip. de*
appellat. in 6. scilicet Episcopum posse euocare
21 ad suum e... men causam coram Officiali, vel
Vicario suo pendentem, facit etiam Text. *in l.*
iudicium sol... ur ff. de iud. & quod docet Steph.
Aufr. *in add... ad decis. Capellæ Tholosanæ, quæst.*
22 480. Item quintò sicut magnum Concilium
restituit aduersus propriam sententiam ex cau-
sa, sic etiam Parlamenta, allegato, & proba-
to errore, causæ, *2. §. vlt. & l. sequenti, ff. de*
minor. & l. vn. §. his cunabilis, in fin. ff. de offic.
præfect. prætor.
23 Quinto personarum diuersi status mixtura;
quia tam in magno Concilio, quàm in Parla-
mentis adsunt Consiliari, partim seculares, par-
tim Ecclesiastici; cum hi sint, saltem secundum
debitum in pœnis benigniores, in Consiliis
maturiores, in recipiendis muneribus, quæ
iustum impediunt iudicium tardiores, & ge-
neraliter in omnibus actionibus suis perfectio-
res, quàm laici; vide *cap. nisi cum pridem, §.*
verum de renunc. 1. quæst. 1. c. vilissimus, & de
elect. cap. cum in cunctis in princip.
Ex his itaque omnibus habetur, quod Par-
lamenta, & magnum Concilium dici possint
æqualis authoritatis, & dignitatis, & dici pos-
sint similia inter se, scilicet secundum quid;
cum re vera in quibusdam aliis dissimilia sint,
vt patet ex dictis *dubit. 5. & seqq.* facit Text.
24 *in l. in annos singulos, ff. de ann. legat.* vbi quod-
dam legatum dicitur simile legato vsusfructus,
licet inter illa legata très differentiæ ibidem
assignentur; & notant Abb. & Felin. *in cap.*
transmissa, de constitut. & Albe. de Rosa *in di-*
ctionario, verb. similitudo.



DVBITATIO XIV.

An Parlamenta, & magnum Concilium possint cognoscere de causis Ecclesiasticis?

SVMMARIVM.

1. *Parlamenta, & magnum Concilium non possunt cognoscere de causis Ecclesiasticis contra affirmantes quod possint propter mixturam Ecclesiasticorum, & laicorum.*
2. *Laicis de rebus Ecclesiæ, vel negotiis spiritualibus, aut quasi disponendi nulla competit potestas, immo ipsis manet obsequendi necessitas, non authoritas imperandi.*
3. *Negotia Ecclesiastica, præsertim spiritualia vtpotè prorsus extra sphæram laicorum, sunt per Ecclesiasticos, non per laicos tractanda.*
4. *Idem dic procedere in Imperatore, vel quocumque alio Principe, cuiuscumque sit auctoritatis.*
5. *Idem in connexis spiritualibus, vt est causa iurispatronatus Ecclesiastici.*
6. *Causæ spirituales, vel quasi non possunt laicis delegari.*
7. *Excipe nisi Pontifex aliter voluerit: nam per suam supremam auctoritatem potest dictas causas committere etiam mulieri.*
8. *Prælatus potest laico delegare causas ciuiles mere temporales licet Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum.*
9. *Prælatus, neque etiam Papa facere potest quod laicus iurè suo, siuè tanquam ordinarius iudicet Clericum, vel aliam personam Ecclesiasticam; quia priuilegium fori est de iure diuino.*
10. *Clericorum bona exempta sunt de iurè diuino ab exactionibus laicorum.*
11. *Clericorum genus debet esse audax quia defenditur lege diuina.*
12. *Fori Priuilegium, & gabellarum est de iure diuino saltem radicaliter, & per consequens etiam per Papam immutabile.*
13. *Ecclesiastici regulariter non possunt coram Iudicibus secularibus criminaliter, vel ciuiliter trahi.*
14. *Ecclesiasticorum bona etiam patrimonialia eximuntur à quibuscumque collectis siue realibus subsidiis pedagiis, quidagiis, salinaribus, & aliis oneribus realibus, vel mixtis per secularem potestatem imponendis.*
15. *Priuilegium Canonis ne scilicet percutiantur est solum de iure positiuo, quod primo introduxit Innocentius II.*

16. *Priuilegia etiam plura Clericorum sunt solum de iure positiuo, in quibus Pontifex amplam habet potestatem.*

17. *Imperator, vel Rex non potest reuocare priuilegia, quæ semel Ecclesiasticis concessit; quia cum hi non sint de iurisdictione laicali, habent ea vim, & effectum contractus, qui ex post, etiam per Principem non potest reuocari.*

18. *Laico compromitti non potest de iuribus spiritualibus, quia hodie arbitria fere in omnibus sunt exæquata iudiciis, & arbitri compromissarij iudicibus ordinariis aßimilantur.*

19. *Consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam inducta etiamsi sit immemorabilis, non subsistit.*

20. *Index laicus etiamsi cognoscat simul cum iudice Ecclesiastico de causis spiritualibus inualidat processum ratione mixtionis iudicis laici.*

21. *Ius eligendi habentes, si scienter ad secum eligendum admittant excommunicatum maiori excommunicatione, electio non valet.*

22. *Malum ex singulari defectu, & modicum fermenti totam massam corrumpit.*

23. *Gesta per iudicem secularem in talibus causis sunt ipso iure nulla, consequenter non est opus sententia hominis nisi solum declaratoria talis nullitatis tanquam à non suo iudice.*

24. *Iudex laicus neque incidenter potest cognoscere de causis spiritualibus, etiamsi index secularis adeatur principaliter actione petitionis hæreditatis, & contra agentem opponatur exceptio natalium, scilicet quod non sit legitime natus. hæc enim. quæstio debet per secularem remitti ad iudicem Ecclesiasticum, interim cognitionem causæ principalis supersedendo.*

25. *Iudex Ecclesiasticus potest cognoscere incidenter de causa mere temporali, & non è contra laicus de mere spirituali.*

26. *Iudex Ecclesiasticus habet potestatem super temporalia si non directè (vt supra spiritualia) saltem indirectè quando scilicet sic exigit bonum commune Ecclesiæ, vel salus animarum, & finis spiritualis, ad quem temporalia omnia deseruiunt, & à Deo ordinata sunt.*

27. *Iurisdictionis secularis habitus est penes Ecclesiam, & eius ministros per illa verba pasce oues meas, & per illa alia, ecce duo gladij hic.*

28. *Iurisdictio duplex temporalis, & Ecclesiastica residet penes Ecclesiam, prior quoad habitum tantum, posterior etiam quoad vsum, & exercitium, ita quod iuridice loquendo dici potest Ecclesiam iurisdictionis temporalis esse proprietariam nude, Imperatorem autem, & alios Principes seculares esse infructuarios.*

29. *Imperator; vel Princeps alius superiorem in temporalibus non cognoscens, conueniri potest coram Papa super obseruatione contractus, iuramenti, violatione pacis & aliis de iure diuino, naturali, vel gentium, rebus, quibus subijcitur.*

30. *Princeps Romanus licet sit solutus, non tamen est solutus canonibus.*

31. *Romanus Pontifex vacante Imperio succedit in exercitio iurisdictionis temporalis.*

32. *Romanus Pontifex electus in Regem Romanorum, & futurum Imperatorem examinat, confirmat, vel admittit, aut reprobat, inungit, coronat saltem tertia corona aurea, & iuramento fidelitatis adstringit, eumdem quoque, & alios seculares Principes ex causa vrgentissima deponit.*

33. *Romanus Pontifex Principi negligenti prouidet de Coadiutore.*

34. *Romanus Pontifex in Regno siciliæ, Bononiæ, & diuersis aliis locis Ecclesiæ Romanæ, per Constantinum Magnum in persona Sancti Syluestri Papæ, pleno iure concessis, vtroque gladio vtitur.*

35. *Romanus Pontifex generaliter in omnibus causis, & negotiis grauioribus, quæ alias terminari non possunt, adhibet vtrumque gladium.*

36. *Clerici, & eorum iura nequeunt cognosci per iudicem secularem, etiamsi partes litigantes consentiant in eum.*

37. *Consensus Priuatorum, cum id esset in preiudicium tertij, non potest tribuere iurisdictionem ei, qui non habet, sed solum Princeps, qui eam habet, lex scripta, consuetudo, vel vniuersitas approbata.*

38. *Limitatur Primò nisi agatur per viam delegationis à Papa, vel ab alio Prælato iurisdictionem habente.*

39. *Limitatur Secundò nisi laici se habeant per modum facti, & non iurisdictionis, vt tabelliones, Consiliarij, Aduocati, Nuncij, vel Procuratores, vel alius nudum ministerium exhibendo: sic enim. possunt laici negotia Ecclesiastica; etiam spiritualia pertractare.*

40. *Notarius laicus potest redigere in scriptis vota electorum etiam, in negotio spiritualis electionis.*

41. *Notarius laicus etiam à sæculari Principe creatus potest conficere instrumenta super actibus, & causis mere spiritualibus.*

42. *Laicus potest constituti procurator ad renunciandum beneficium Ecclesiasticum.*

43. *Laicus potest esse Procurator ad beneficium acceptandum.*

44. *Aduocatus, & Procurator ex vna, ac Procurator, & simplex Nuncius ex alia parte fraternizare videntur in multis, saltem in iudicibus subalternis, in quibus iidem Aduocati, & procuratoris officio promiscuè vtuntur.*

45. *Aduocati officium est proponere quæ in iure consistunt; Procuratoris autem ad lites, siuè iudicia proprie officium est, allegare solum in facto consistentia.*

46. *Laici requisiti per Prælatos, & iudices Ecclesiasticos debent eis præstare auxilium, consilium, & fauorem.*

47. *Limitatur tertiò in certis quibusdam aliis casibus specialibus, ex quibus enumerat octo gloss. ord. in c. Princeps 23 quæst. 5.*

48. *Limitatur quartò ratione priuilegij sedis Apostolicæ, ratione cuius potest laicus conferre beneficia.*

49. *Laicus ratione priuilegij sedis Apostolicæ cognoscit de quibusdam criminibus, quæ priui-*

legata dicuntur, vt in Gallia de portu armorum, de fractione salua-guardiæ Regiæ, de fabricatione falsæ monetæ, &c.

Limitatur quintò si sit solum quæstio iuris; quia si sit solum quæstio facti, iudex sacularis etiam potest cognoscere.

11. Limitatur sexto si agatur solum de possessorio, non de petitorio pro rebus, vel iuribus spiritualibus.



1 Respondetur: quod (licèt aliqui propter dictam mixturam, quòd scilicet in dictis supremis Curiis Consiliarij, & sæculares, & Ecclesiastici adsint, affirment, posse dictas supremas Curias de causis, etiam mere spiritualibus, nedum de annexis cognoscere, & definire) negandum tamen omnino sit, quia etiam dato, omnes Consiliarij sint Ecclesiastici, adhuc nullo pacto id possunt attentare de iure, considerata ipsorum origine; siquidem fuerunt instituti ab eo, qui nullam in huiusmodi causis authoritatem habet, cum laicis de rebus Ecclesiæ, vel
2 negotiis spiritualibus, aut quasi, disponendi nulla competat potestas; quinimo quoad hæc ipsis maneat necessitas obsequendi, non authoritas imperandi, *96. dist. c. bene quidem, cap. Ecclesiæ de constit. & cap. vlt. in fin de rebus Eccles. non alien.* & meritò, quia negotia Ec-
3 clesiastica, præsertim spiritualia, vtpotè prorsus extra sphæram laicorum, sunt per Ecclesiasticos, non per laicos tractanda, *cap. decernimus de iudic. & cap. 1. in fin. de consang. & affin.* Vide quæ dicebamus *lib. de immunit. & iurisdict. Ecclesiast. cap. 9. & 10. dub. 11.*

Quod ob dictas rationes procedit etiam in
4 Imperatore, vel quocumque alio Principe, cuiuscumque sit authoritatis, *cap. tua, de decis.*

Item secundò in connexis spiritualibus, vt
5 est causa iuris patronatus Ecclesiastici, *cap. quanto de iudic.* & facit *cap. præterea 1. de transact. & cap. de iure patronatus.*

Item tertiò per viam delegationis: non enim
6 causæ spirituales, vel quasi, possunt laicis delegari, *argum. cap. cum te consulente, & cap. super quæstionum, §. vlt. de offic. deleg.* & docet Glos. *in cap. contingit de arbitr. & in cap. 2. de Iudic.* & nos dicebamus *cit. lib. de immunit. & iurisdict. Ecclesiast. cap. 9. & 10. dubit. 11.* Excipe, si Pontifex aliter voluerit: Pontifex
7 enim ob suam supremam authoritatem potest dictas causas committere, etiam mulieri, *c. mensuam, 2. quæst. 5.* & facit *dist. 32. §. verum,* & notant Doctores ibi, & *in dict. cap. contingit,* & *dict. cap. decernimus*; Quamuis causas ciui-
8 les, merè temporales, licèt Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, possit Prælatus laico delegare, Doctores *in cit. iuribus*; non tamen possit, nec etiam Papa, facere, quod
9 Clericum, vel aliam personam Ecclesiasticam iudicet laicus iure suo, siue tanquam Ordinarius; quia priuilegium fori est de iure diuino, Innocent. *in cap. 2. de maior. & obed* vbi expressè dicit quod Clerici fuerunt exempti à Deo, per text. *in cap. si Imperator 96. dist.* per quem textum etiam Glos. ait, quod, antequam esset aliqua constitutio, Clerici non erant de foro, & quòd constitutiones, quæ super hoc emanarunt, sunt declarationes iuris diuini; quam Glos. sequuntur Hostiens. Io. Andr. & Abb. *in dict. cap. 2. & in cap. Ecclesia in fin de constitut.* Idem tradit Glos. *in cap. quamquam* 10
in verbo diuino, de censib. in 6. quoad bona eorumdem Clericorum; quod scilicet etiam ista sint exempta ab exactionibus laicorum de iure diuino; altera Glos. *in auth. de non alien. aut permut. reb. Eccles. in princip. super verb. degenerari*, vbi ait, quod genus Clericorum debet 11
esse audax, quia definitur lege diuina ibi, *nolite tangere Christos meos*, hoc est, Sacerdotes, *psal. 104.* & ex hoc securi sunt, *25. quæst. 1. c. sunt quidam*; quam alteram Glossam sequuntur Doctores, quos citat Andr. Barba. *in repert. rubr. de rebus Eccles. non alien. ad 3. col. 2.*

Ex his itaquè, tam priuilegium fori, quàm 12
priuilegium gabellarum sunt à iure diuino, saltem, (vti *lib. de immun. & iurisdict. Eccles. cap. 1. dub. 2.* dicebam) radicaliter, & per consequens etiam per Papam immutabilia, *dict. c. cum quidam*, ita vt regulariter Ecclesia- 13
stici non possint coram Iudicibus sæcularibus criminaliter, vel ciuiliter trahi, *cit. lib. de immun. & iurisdict. Ecclesiast. cap. 6. & 7.* & concordat ius ciuile, *auth. statuimus, auth. Clericus Cod. de Episcop. & Cleric.* & ius Canonicum, *cap. 1. & 2. cap. si diligenti, & cap. significasti de foro compet. cap. Clerici de Iud. 11. quæst. 1. cap. inolita, & cap. placuit cum pluribus aliis concordantibus*; ità vt eorum bona, 14
etiam patrimonialia, eximantur à quibuscumque collectis, siue realibus subsidiis, pedagiis, quidagiis, salinariis, & aliis oneribus realibus, vel mixtis per sæcularem potestatem imponendis, vt per Glossam cum text. *in dicto cap. quamquam, cap. 1. & cap. Clericus de immun. Eccles. in 6. cap. non minus, cap. aduersus eod. tit. Clem. præsenti de censibus l. placet*, vbi Bart. Bald. Angel. Salic. & Ias. *de sacros. Eccles. & l. 1. & 2. Cod. de Episcop. & Cleric.* & nos *lib. de immunit. & iurisdict. Eccles. cap. 5. per tot.*

Priuilegium autem Canonis, ne scilicet per- 15
cutiantur, est solum de Iure positiuo, Innocent. *in cap. nouerit. de sent. excommun.* & alij passim. & nos *cit. lib. de immunit. & iurisdict. Eccles. cap. 2. dubit. 4.* & patet, quia id primò introduxit Innocentius II. *c. si quis suadente 17. quæst. 4.* similiter solum de iure positiuo sunt multa alia eorumdem Ecclesiasticorum priuile- 16
gia, ex quibus Doctores enumerant 14. *in Clement. 1. de vita, & honestat. Cleric.* & duo alia *in cap. vn. de Cleric. coniug. in 6.* quapropter in his Pontifex (etsi non sic in duobus supradictis, quæ sunt etiam de iure diuino) amplam habet potestatem, *argum. cap. proposuit de concess. præbend.* Secus Imperator, vel 17
Rex, qui non potest reuocare priuilegia, quæ semel Ecclesiasticus concessit; quia, cum hi non sint, vti suprà dicebat, de iurisdictione laici, habent vim, & effectum contractus, qui ex post; etiam per Principem, ob rationem dictam, non potest reuocari, Innocent. Io. Andr. Butr. & Felin. *in cap. nouit. de Iudic.*

Bart. *in repet. l. omnes populi in 4. quæst. 3. quæstion. principalis col. 10. in princip. ff. de iust. & iur. & in l. quod semel* cum Glos. *ff. de decr. ab Ord. fact.* & idem Felin. *in cap. 1. de prob.* Vide etiam, quæ dicebam *cit. lib. de immun. & iurisdict. Eccles. cap. 1. dubit. 2. & cap. 5. dubit. 14. sect. 11. & 12.*

18 Item quartò per viam compromissi: non enim de iuribus spiritualibus in Laicum compromitti potest, *cap. contingit de arbitr.* etiam cum Clerico: nisi authoritas Iudicis ordinarij, vel delegati super hoc interueniat, *cap. per tuas fin.* cum Glos. *eod. tit.* & meritò; quia hodie arbitria ferè in omnibus sunt exæquata Iudicijs, & arbitri compromissarij Iudicibus ordinarijs assimilantur, *l. 1. ff. de recept. arbitr. & cap. cum dilectus, vbi* Glos. Imola, & Abb. *de arbitr.*

19 Item quintò, etiamsi de hoc sit consuetudo, quantumcumque antiqua, *cap. sacrosanctam, & cap. Messana de elect.* & facit *cap. causam, quæ de præscr. cap. ex eo cum* Glos. *de elect. in 6. & cap. Clerici de Iudic. vbi*, Io. Andr. & Felin. & quamuis tanto tempore fuerit obseruata, quod de contrario memoria non extet, Doctores *in cap. 2. de præbend. in 6.* inter quos Io. Andr. & Abb. *in cap. cum Apostolica 3. col. Cod. de his, quæ fiunt à Præl.* idem Abb. & Fel. *in dict. cap. causam, quæ de præscr.* & nos *cit. lib. de immun. & iurisdict. Ecclesiast. cap. 5. dubit. 14.* dicebamus.

20 Item sextò, etiamsi Iudex Laicus cognosceret de dictis causis simul cum Iudice Ecclesiastico: nam ipsorum processus non valebit ratione mixtionis Iudicis Laici, *argum. dict. cap. per tuas*, à contrario sensu, *cap. cum super de*
21 *offic. deleg. cap. consulti sumus de proc.* & ibi Glos. Io. Andr. & Abb. *cap. illa de elect. quatenùs ibi*, si habentes ius eligendi, scienter ad secum eligendum admittant excommunicatum excommunicatione maiori, electio est ipso iure nulla, & *l. multum interest, Cod. si quis alter, vel sibi*; & meritò, quia malum ex singulari defectu, & modicum fermenti totam massam corrumpit;
22 *1. ad Corinth. & 5. ad Galatas*, & Glos. *in l. si vnus, §. pactus, ff. de pact.*

Ex quibus sequitur, quod licet dictæ supremæ curiæ fuissent institutæ à Prælato Ecclesiastico, etiam à Papa, adhuc neque possent de dictis causis cognoscere, tanquam Iudices ordinarij, propter mixturam Laicorum.

23 Item septimò, quod dixi, adeò verum est, vt gesta per Iudicem sæcularem in talibus causis sint ipso iure nulla; consequenter non sit opus sententia hominis, nisi solum declaratoria talis nullitatis tanquam à non suo Iudice, sicque nullam potestatem habente attentata, *l. 1. & 2. Cod. si à non compet. Indic. cap. ad nostram de consuet. cap. at si Clerici in princip. de Iudic. & cap. cum secundùm leges de Hereticis in 6.*

24 Item octauò, etiam si Iudex laicus cognosceret de dictis causis incidēter v.g. si Iudex secularis adeatur principaliter actione petitionis hæreditatis, & contra agentem opponatur exceptio, nataliū scilicet quod nō sit legitimè natus, de hac incidenti quæstione natiuitatis Iudex secularis intromittere se non poterit, sed eam ad Iudicem Ecclesiasticum ordinarium remittere debebit, interim cognitionem causæ principalis supersedendo, *cap. tuam de ordin cognit. & cap. lator, qui fil. sint legit.* Secus è contra; 25
quia potest Iudex Ecclesiasticus cognoscere incidenter de causa merè temporali, *cap. 1. & 2. eod. qui fil. sint legit. & cap. de prudentia de donat. inter vir. & vxor.* Et ratio disparitatis est; quia Laicus est omninò incapax ad cognoscendum de rebus, & causis spiritualibus, vti suprà ex allegatis Iuribus dicebam; non sic autem Ecclesiasticus est omninò incapax ad cognoscendū de rebus, & causis merè temporalibus, seu prophanis, quia Ecclesiasticus habet potestatem super temporalia, si non directè, (vt suprà spiritualia) saltem indirectè, quando 26
scilicet sic exigit bonum commune Ecclesiæ, vel salus animarum, & finis spiritualis, ad quem temporalia omnia deseruiunt, & à Deo ordinata sunt, sicuti diffusè dicebam *lib. de imminu. & iurisdict. Eccles. cap. 10. dubit. 1.* Vel quia (vt volunt Innocent. Hostiens. Io. Andr. Butr. Bald. Abb & Felin. *in cap. nouit. de Iudic.* Io glosator. *decret. c. quoniam 11. dist. & in c. ad verum*, Glos. *3. dist. 96. & in c. inter* super Glos. fin. *32. quæst. 2.* Bart *in cap. causam, quæ, 1.* Glos. *2. qui fil. sint legit.* Io. Andr. *in sua glos. in Clem. ad nostrum verb. Ecclesiæ de hæredit.* & colligitur *ex Extrauag. Bonifacij VIII.* quæ incipit, *vnam sanctam, in* 27
tit. de maior. & obed.) Habitus iurisdictionis sæcularis est penès Ecclesiam, & eius Ministros per illa verba, *pasce oues meas*, Io. vlt. *cap. significasti de elect.* & per illa alia: *Ecce duo gladij hic*, Luc. 22. & Marc. 8. ex quibus duobus gladijs gladij materialis executionem, sex exercitium Christus Dominus interdixit Petro, ibi: *conuerte gladium in locum suum*, Matth. 26. *conuerte gladium in vaginam*, Io. 18. Vnde sur- 28
rexit communis Canonistarum sententia, quod apud Ecclesiam duplex iurisdictio, temporalis, & Ecclesiastica, prior quoad habitum tantùm, posterior, etiam quoad vsum, & exercitium, ità quod, iuridicè loquendo, dici possit Ecclesiam iurisdictionis temporalis esse proprietariam nudè, seu habere proprietatem nudam, Imperatorem autem, & alios Principes sæculares esse infructuarios, iuxta definitionem vsusfructus traditam *in l. 1. ff. de vsufructu*; quapropter meritò talis habitus aliquando reducitur ad actum, & vsusfructus reuertitur ad proprietatem siquidem Imperator, vel Princeps 29
alius superiorem in temporalibus non cognoscens, conueniri potest coram Papa super obseruatione contractus, iuramenti, violatione pacis, & alijs de iure diuino, naturali, vel gentium rebus, quibus subijcitur, *Clement. Pastoralis, §. cæterùm, de re iudicata, & c. sunt quidam, 25. quæst. 1.* & facit *cap. vlt. in princip. de consuetud. & instit. de iure natur. §. sed naturalia*, & notat Io. Faber *instit. quibus modis testam. infirmetur, §. vlt.* vbi dicit, quod Princeps Romanus licet sit solutus, non tamen est 30
solutus Canonibus, per Textum *in cap. Apostolica de re iudic. in 6. & in Clement. Romani de iureiuran.* Videri etiam poterit Abb. *in cap. 1. de probat.* Imola, Card idem Abb. & Felin. *in cap. nouit de Iudic.* Secundò, vacante impe- 31

ni succedit Romanus Pontifex in exercitio iurisdictionis Imperialis, *cap. licet ex suscepto, de foro compet.* quapropter electum in Regem
31 Romanorum. & futurum Imperatorem examinat, confirmat, vel admittit, aut reprobat, iniungit coronat saltem tertia corona aurea, & iuramento fidelitatis adstringit, *cap. venerabilem, de elect. cit. Clem. ne Romani, & Clem. Pastoralis in fine.* Eundem quoque, & alios sæculares Principes ex causa vrgentissima deponit. *cit. cap. ad Apostolicæ, & 15. quæst. 6. c. alius,* & facit *cap. felicis de pœnis in 6. &*
33 *Clement. 1. eod. tit.* Tertiò Principi negligenti prouidet de coadiutore, *cap. grandi de*
34 *supplen. neglig. Prælat in 6.* Quartò Regno Siciliæ, Bononicæ & diuersis alijs locis Ecclesiæ Romonæ per Constantinum Magnum in persona S. Syluestri Papæ pleno iure concessis, vtroque gladio vtitur, *c. Constantinus, 96. dist. & ca. fundamenta in princip. de elect. in 6.* &
35 facit *cap. si duobus in fin. de appellat.* Quintò tandem generaliter in omnibus causis, & negotiis grauioribus, quæ aliàs terminari non possunt adiri ur sedes Apostolica quæ in dictis casibus vtrumque gladium adhibet, *cap. per venerabilem §. rationibus in princip. qui fil. sint legit. ibi, si difficile, & ambiguum iudicium apud te prosp. xerit inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, &c.*

36 Item non, etiamsi partes litigantes consentiant in Iudicem sæcularem *cap. significasti, & cap. si diligenti, de foro compet. 11. quæst. 1. c. placuit, & cap. molita,* & notat Glos. *in l. 1. ff. de iudic & l. 1. de Iurisdict. omn. Iudic.* &
37 probatur quia, sicuti dicebam, Iudex Laicus nullam habet iurisdictionem in huiusmodi causis & consensus priuatorum cum id esset in præiudicium tertij non potest tribuere iurisdictionem ei qui non habet *l. priuatorum Cod. eod. cit. cap. significasti,* sed solùm Princeps, qui eam habet, lex scripta, consuetudo, vel vniuersitas approbata, Glos. *in l. & quia, verb. nec prius, ff. de iurisdict. omn. Iudic.*

38 Limitatur tamen Responsio, nisi agatur per viam delegationis à Papa de quo non dubitatur, vel ab alio Prælato iurisdictionem habente, secundum ea, quæ dicebam *ampliat. 3.*


39 Limitatur secundò, nisi Laici se habeant per modum facti, & non iurisdictionis, vt tabelliones, consiliarij Aduocati nuncij, vel procuratores, vel aliàs nudum ministerium exhibendo: sic enim possunt Laici negotia Ecclesiastica, etiam Spiritualia, pertractare: de primo vide Canonistas, vt Io. Andr. Abb. & alios *in cap. quia propter in princip. de elect.* vbi
40 tenent, quod Notarius Laicus possit redigere in scriptis vota electorum, etiam in negotio spiritualis electionis, *& in cap. sicut, ne Clerici,*
41 *vel Monachi,* vbi tenent, quod Notarius Laicus, etiam à sæculari Principe creatus, possit conficere instrumenta super actibus, & causis merè spiritualibus: De secundo vide etiam Canonistas, vt Imolam, Card. & Ancharanum *in cap. decernimus, cap. statutum, §. assessorem de rescriptis in 6. & in cap. ad nostram de consuetud.* De tertio quarto, & quinto est Text. *in cap. 1. in princip. de procur. lib. 6.* per quem
42 Textum Glos. *verb. procuratorem, Clement. vn. de renunc.* ait, quod Laicus possit constitui procurator ad renunciandum beneficium Ecclesiasticum, & Io. Andr. *in cap. quod alicui, de reg. iur. in 6. & cap. accedens in nouel. de prabend.* docet, quod Laicus possit esse procurator ad beneficium acceptandum; & Domin. 43
Heminian. Paul. & Anchoran. *in tit. cap. 1.* 44
tradunt, quòd Aduocatus, & Procurator ex vna, ac Procurator, & simplex nuncius ex alia parte, fraternizare videantur in multis, saltem in Iudicibus subalternis, in quibus ijdem Aduocati, & Procuratoris officio promiscuè vtuntur: etsi *in l. 1. §. postulare ff. de postum. l. 1. in princip. ff. de procur. l. 1. §. pueritiam ff. de postul. & instit. quibus ex causis maior. non li. §. cum autem de Procuratore,* & nunc ponatur differentia, 45
quòd propriè Aduocati officium sit proponere, quæ in iure consistunt; Procuratoris autem ad lites, siue iudicia, propriè officium sit, allegare solùm in facto consistentia: De vltimo casu 46
generali probatur ex Text. *in cap. 1. de offic. ordin.* cum simili, quod scilicet Laici requisiti per Prælatos, & Iudices Ecclesiasticos debeant eis præstare auxilium, consilium, & fauorem. Vide Bart. & Paulum de Castr. *in l. à Diuo Pio. §. sententiam ff. de re iudic.*

Limitatur tertiò in certis quibusdam alijs 47
casibus specialibus, ex quibus enumerat octo Glos. ord. *in c. Princeps, 23. quæst. 5.* & plures Ancharan. *in Republ. c. ea quæ, quæst. 12. & 14. de reg. iur. in 6.* vide etiam Glos. *in cap. Clericum 11. quæst. 1. & cap. periculum, §. præterea de elect. in 6.*

Limitatur quartò ratione priuilegij sedis 48
Apostolicæ, ratione cuius potest Laicus conferre beneficia *cap. Dilectus, de praben.* Videri etiam poterit *c. Adrian. 2. c. cum longe 53. dist. & c. in nomine Domini, vers. quapropter dist. 23.* & tradunt Io. Andr. *in nouel. in cap. 2. eod. tit. in. 6.* Abb. & Felin. *in cap. causam, de præscrip.* similiter ratione priuilegij sedis Apostolicæ 49
cognoscit Laicus de quibusdam criminibus, quæ preuilegiata dicuntur, vt in Gallia de portu armorum, de fractione saluæ-guardiæ Regiæ, de fabricatione falsæ monetæ vel si officiarijs Regijs suum officium exercentibus offensio, vel resistentia inferatur, & de similibus alijs de quibus satis dixi *cit. libr. de immun. & Iurisd. Eccles. cap. 1. dubit. 15. & cap. 5. dub. 14. & 15. & cap. 9. dubit. 6.*

Limitatur quintò, si sit quæstio iuris; quia, 50
si sit solum quæstio facti, v. g. an vsuræ fuerint solutæ, an matrimonium inter aliquos fuerit contractum Iudex sæcularis etiam potest cognoscere, secundùm Bart. *in l. Titia ff. solut. matrim. l. 2. verb. iuxta præmissa, ff. de Iurisd. omn. Iudic.* Felinum *in cap. cum sit de foro compet.* Card. *in Clem. 2. de Iudic.* Abb. *in cit. cap. cum sit, & c. lator qui fil. sint legit.* Bart. Bald. Salic. & Paulum de Castro *in l. quoties, Cod. de Iudic.* qua de re etiam satis dixi *cit. lib. de immun. & iurisd. Eccles. cap. 4. & 9.*

Limitatur sextò, si agatur solum de posses- 51
sorio, non de peritorio pro rebus, vel iuribus spiritualibus, secundùm Glos. *in cap. cum dilecti verb. iuramento, de elect. & cap literas in fin. de iuram. calumn.* Abb. & Felinum *in cap. fin. de Iudic.* qua de re vide quæ diffusè dicebam *in locis suprà cit.*



DVBITATIO XV.

An Parlamentum, & magnum Concilium possint cognoscere de causis Ecclesiasticis, saltem data negligentia Iudicis Ecclesiastici?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum, & magnum Concilium non possunt cognoscere de causis Ecclesiasticis, etiam data negligentia Iudicis Ecclesiastici.*
2. *Iudex Ecclesiasticus licet possit supplere negligentiam iudicis sæcularis, non tamen potest Iudex laicus supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici.*
3. *Superior regulariter supplet negligentiam inferioris & non è contra, cum inferior subordinetur maiori.*
4. *Excipe casum necessitatis si scilicet superior Ecclesiasticus monitus nolit prouidere, vel periculum sit in mora quod moueatur.*
5. *Necessitas facit licitum quandoque id, quod per leges non est licitum.*
6. *Necessitas publici, vel priuati incommodi auertendi non tribuit magistratui laico iurisdictionem in Ecclesiasticas personas; sed solum tribuit in eas ius defensionis, quam naturalis ratio cuilibet in quemlibet dictat, & permittit, &c.*

1 Respondetur: negatiue; quia,
2 licet Iudex Ecclesiasticus possit supplere negligentiam iudicis sæcularis, *cap. licet ex suspecto, cap. ex transmissa, & cap. ex tenore de foro compet.* non tamen potest Iudex laicus supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici, *cap. qualiter de Iudic.* Et ratio disparitatis desumitur ex dictis *in dubit. præced. in princip.* & ex maioritate, & excellentia Ecclesiasticæ potestatis ad temporalem, *69. dist. c. duo sunt, & cap. solitæ de maior. & obed.* quia cum inferior
3 subordinetur maiori, & non è contra, superior regulariter supplet negligentiam inferioris, & non è contra, *cap. ne pro defectu, cap. 2. §. 1. de concess. præbend. cap. quamquam de elect. in 6.* & Glos. *in cap. cum iniunctis §. Clerici eod. tit. in antiq.*

4 Dixi regulariter; quia non nego, quod excipiendus sit casus necessitatis, si scilicet superior Ecclesiasticus monitus nolit prouidere, vel periculum sit in mora, quod moneatur:
5 *quod enim per leges non est licitum, necessitas quandoque facit licitum, cap. 4. extra de regul. iur.* Sed hoc exactè considerandum est, quod
6 necessitas publici, vel priuati incommodi auertendi non tribuat Magistratui laico iurisdictionem in Ecclesiasticas personas, sed solùm tribuat in eas ius defensionis, quam naturalis ratio cuilibet in quemlibet dictat, & permittit; quapropter, vt quod dixi, habeat locum opus est, vt aliqua in aliquem prius Ecclesiasticæ personæ præcesserit violentia, vel saltem periculum proximum insit violentiæ, quam necesse sit, laicos per se ipsos, vel per suos Magistratus repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ; quando scilicet, vti dicebam, superior monitus non vult prouidere, vel periculum est in mora, quod moneatur; qua de re vide *cap. seq. dub. 21. & cit. lib. de immun. & iurisd. Eccles. cap. 1. dubit. 15. sect. 5. cap. 6. dub. 10. cap. 7. dub. 8. & cap. 9. dub. 5. & 6.*



DVBITATIO XVI.

An Clerici possint esse Iudices in causis sæcularibus.

SVMMARIVM.

1. *Iudicium dicitur à iure dicendo, quia in eo per sententiam cum auctoritate profertur quod iustum, seu iuri consonum est.*
2. *Qui iurisdictioni præest Iudex quasi ius dicens, appellatur.*
3. *Iudicium diuiditur in Ecclesiasticum, & sæculare.*
4. *Iudicium Ecclesiasticum, seu ad Iudicem Ecclesiasticum pertinens est, si lis sit de rebus, seu causis Ecclesiasticis, vt de matrimonio, beneficiis, vel decimis, &c. vel si sit circa personas Ecclesiasticas.*
5. *Actor laicus sequitur forum rei.*
6. *Clericus actor coram Iudice sæculari, licet in causis ciuilibus eodem iudicio reconueniri possit propter regulam generalem quod actor eligens Iudicem pro se, debet eumdem recipere contra se per modum reconuentionis, non solum in eodem negotio, sed etiam in diuerso, probabiliter tamen de iure Canonico Regula non procedit.*
7. *Iudicium sæculare seu ad Iudicem sæcularem pertinens iudicium est, si res sit de re non Ecclesiastica, sed sæculari, & inter laicos, vel saltem si reus laicus sit.*
8. *Clerici possunt constitui Iudices in causis sæcularibus ciuilibus etiam in Principum sæcularium Curiis, non item in causis criminalibus quamuis citra mortis, vel mutilationis sententiam, excepto tamen casu si fidei defendendæ causa, vel bonum spirituale animarum id exigat.*
9. *Causæ miserabilium personarum antiquitus etiam cognoscebantur ab Episcopis.*
10. *Sanctum Augustinum valde occupatum fuisse in huiusmodi causis, testatur Pollidonius.*

11. *Clerici etiam Prælati, & multo magis Religioſi non poſſunt eſſe officiales, etiam pro iuſtitia exercenda, generaliter Principum ſæcularium; vnam tamen cauſam, etiam criminalem dummodo mortis, vel alicuius membri amiſſionis pœnam non exigat, ex delegatione Principis ſæcularis licite recipere poſſunt.*

12. *Iura prohibentia Clericis exercitium officiorum, vel aliorum negotiorum ſæcularium debent intelligi quando generaliter, & indifferenter volunt illa explicare.*

1 SVppono, iudicium dici *à iure dicendo*; quia in eo per ſententiam cum authoritate profertur, quod iuſtum, ſeu iuri conſonum eſt, *cap. forum de verbor. ſignific. & l. nemo Cod. de ſen-*
2 *tent. & interlocut. omn. Iudic.* quare qui iuriſdictioni præeſt, Iudex, quaſi ius dicens, appellatur, *cit cap. forus.*

3 Suppono ſecundò. Iudicium diuidi in Eccleſiaſticum, & ſæculare.

4 Eccleſiaſticum, ſeu ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinens, iudicium eſt, ſi lis ſit de rebus, ſeu cauſis Eccleſiaſticis, vt de matrimonio, beneficiis, vel decimis, &c vel ſi ſit circa perſonas Eccleſiaſticas: hæ namque coram ſuo, ideſt Eccleſiaſtico Iudice, conueniri debent,
5 etiamſi actor laicus ſit, quia actor forum Rei ſequitur, *cap. ſi Clericus, cap. cum ſit de for. compet. & l. 2. Cod. de iuriſd. omn. Iudic.*

6 Vbi nota, quod, licet ſecundum Gloſſam à pluribus receptam *in cap. 1. verb. ſuper ſuis de mutuis petitionibus* Clericus actor coram Iudice ſæculari in cauſis ciuilibus eodem iudicio reconueniri poſſit, propter regulam generalem, *quod actor eligens Iudicem pro ſe, debet eumdem recipere contra ſe per modum reconuentionis, non ſolum in eodem negotio, ſed etiam in diuerſo, l. remult. Cod. de ſent. & interl cut.)* nihilominus Abb. *in cap. etſi Clerici, num. 10. de Iudic.* & alij apud Martham *part. 4. de iuriſdict. centur. 2 caſ. 1 7 num. 2.* ſatis probabiliter ſentire videntur regulam iſtam de reconueniendis Clericis coram Iudice ſæculari, canonico iure receptam non eſſe.

7 Sæculare vero, ſeu ad Iudicem ſæcularem pertinens, iudicium eſt, ſi res ſit de re non Eccleſiaſtica, ſed ſæculari, & inter laicos, vel ſaltem ſi Reus laicus ſit. His ſuppoſitis.

8 Reſpondetur: quod (licet in cauſis Eccleſiaſticis laici Iudices eſſe non debeant vti patet ex dictis *dubit. præcedenti, & ex concilio Calcedonenſi ſeſſ. 2.* quia laici ſpiritualia tractare non debent, *cap. 2. de Iudic.* vt pote omninò extra propriam ſphæram, ſicuti *cit. dubit.* dicebam; Quod ſecundùm dicta ibidem, & ſecundùm Abbatem *in cap. contingit de arbitr. num. 4.* ampliari debet, vt laicus, neque adiuncto ſibi Clerico, in cauſa ſpirituali Iudex eſſe poſſit ſine authoritate Pontificis, vti colligitur *ex cap. Meſſana de electiõ.* quamuis ſecus in compromiſſo, in quo laicus vnà cum Clerico ſuper cauſa ſpirituali authoritate Epiſcopi conſtitui non prohibetur, *cap. per ſuas, de arbitr.* quia arbitrari de re ſpirituali non eſt actus ſpiritualis, ſicut eſt iudicare, & quamuis ſecus in quibuſdam aliis actibus (quia poſſunt laici in cauſis Eccleſiaſticis eſſe conſiliarij, ſyndici, & actores; cum hi non agant authoritatiuè, aut tamquam proprio iure, ſicuti notauit Abb. *in cit. cap. 1. num. 9.*) nihilominus in cauſis ſæcularibus ciuilibus Clerici nihil obſtat, quod in principum etiam ſæcularium Curiis, Iudices conſtituantur, vti colligitur ex dictis, *dub. 14. ampliat. 8.* & docent Canoniſtæ, præſertim Abb. *in c. Clericis num. 10. Ne Clerici, vel Monachi, & in cap. non eſt, num. 4. de voto*; Non item in cauſis criminalibus, quamuis citra mortis, vel mutilationis ſententiam, ſicuti habetur *ex cap. ſed nec, & cit. c. Clericis, Ne Clerici, vel Monachi, & l. ſi qui, Cod. de Epiſcop. audient.* Excepto tamen caſu, ſi fidei defendendæ cauſa, vel bonum ſpirituale animarum id exigat, Doctores, præſertim Molin. *tract. 3. diſp. 8. num. 10. argum. cap. in Archiepiſcop. de raptorib.*

Quin imo olim valdè vſitatum fuiſſe, quod 9
tales cauſæ, præſertim miſerabilium perſonarum, ab Epiſcopis iudicarentur, tradit Baronius *anno Chriſti 398. num. 63. & anno 401. num. 60.* & pro æquiſſimo, ac penè neceſſario iudicatum fuiſſe, quod ſcilicet, vti dicebam, fideles, in cauſis ciuilibus, præſertim ſi grauatos ſe ſentirent, Epiſcopi, tamquam Chriſtianorum, maximè oppreſſorum, & miſerabilium defenſoris officium, & iudicium, poſtularent, eiuſque ſententiæ, tamquam vltimæ, & irrefragabili ſtandum foret, dicunt Imperatores, Conſtantinus *in reſcripto ad Ablauium l. 1. Cod. Theodoſ. de Epiſcop. iudicio,* Arcadius, & Honorius *in l. 9. Cod. Iuſtinian. de Epiſcop. audient. ibi Epiſcopale iudicium ratum ſit omnibus, qui ſe audiri à Sacerdotibus elegerint; eamque illorum iudicationi adhibendam eſſe reuerentiam, iubemus, quam veſtris deferri neceſſe eſt poteſtatibus, à quibus non licet prouocare*; Atque
in huiuſmodi cauſis S. Auguſtinum valdè occu- 10
patum fuiſſe, teſtatur Poſidonius *cap. 19.* vitæ illius, & ipſemet Auguſt. ſcribens *de opere Monachor. cap. 29. ibi Multò mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & cauſarum alienarum pati de negotiis ſæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo prædicendis quibus nos moleſtiis affixit Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. non vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio.*

Cæterùm Clerici etiam Prælati, & multò 11
magis Religioſi non poſſunt eſſe Officiales, etiam pro iuſtitia exercenda, generaliter Principum ſæcularium, *10. quæſt. 1. c. te quidem, c. 2. c. ſed nec, & c. Clericis ne Clerici, vel Monachi*; vnam tamen cauſam, etiam criminalem dummodo mortis, vel alicuius membri amiſſionis pœnam non exigat, ex delegatione Principis ſæcularis licitè recipere poſſunt, *cap. Archiepiſcopatum, de raptoribus,* & docet Hoſtienſis, Io. Andr. Abb. *in dict. c. ſed nec* In- 12
nocent. *in cap. vn. in fin de obligat. ad ratiocin.* vbi ait, quod iura prohibentia Clericis exercitium officiorum, vel aliorum negotiorum ſæcularium debent intelligi, quando generaliter, & indifferenter volunt illa explicare, vnum tamen poſſunt; ſequitur Abb. *loco ſuprà*

cit. & in cap. 1. de postul. facit, cap. venerabilem in princip. qui fel. sint legit. vbi Archiepiscop. Arelatensis fuit procurator pro quodam nobili viro; facit c. sopitæ, ibi Abbas Sancti Proculi omnium aliorum procurator, de casibus cap. in nostra in princip. ibi Presbyteros procuratores instituens de procurat. & cap. accedentes in princip. ibi Præpositus Sancti Nazarij, & à Canonicis Sancti Stephani, & procuratores de præscript.

DVBITATIO XVII.

An Clerici possint esse Aduocati, vel Procuratores in causis sæcularibus.

SVMMARIVM.

1. *Clericus in sacris, vel beneficiatus coram Iudice sæculari in causis sæcularibus non potest esse Aduocatus, vel Procurator, nisi causam suam, vel suorum, vel Ecclesiæ, vel personarum miserabilium suscipiat.*
2. *Clerici possunt esse Aduocati in causis Ecclesiasticis coram Iudice sæculari, si scilicet coram eo persona Ecclesiastica, vel res ad Ecclesiam pertinens defendenda sit.*
3. *Clerici possunt esse Aduocati in omnibus causis coram Iudice Ecclesiastico nisi sint Sacerdotes: Sacerdotibus enim postulare non permittitur nisi in propria causa, vel suorum sibi coniunctorum, vel Ecclesiæ, vel personarum miserabilium.*
4. *Clericus si contra Ecclesiam, à qua beneficiatum obtinet, si pro extraneo Aduocatus, vel Procurator esse præsumat, tanquam Ecclesiæ ingratus, beneficio illo spoliandus est.*
5. *Religiosi licet Canonici Regulares sint Aduocati, vel Procuratores esse non possunt præterquam in causa sui Monasterij iubente Prælato, vel cum præsumpta voluntate Prælati.*
6. *Mandatarius in contractu, & in omni alio negotio tripliciter se habere potest. Vide quomodo id intelligatur.*
7. *Mandatarius vt inter nuncius nullum Ius, siue obligationem sibi acquirit, sed tantum Domino, seu principali.*
8. *Mandatarius si ipsemet agat, contrahat, obligationesque & actiones sibi acquirat, mandanti postea cedere debet.*
9. *Executio sententiæ ordinariæ fit in bonis Domini, non Procurator nisi ille in rem suam datus sit, vel se mandatum habere mentitus fuerit, vel cum nullum defensor mandatum proferre posset, satisdederit Dominum rem ratam habiturum.*
10. *Si quis ab altero contrahendi v. g. quid emendi mandatum quidem habeat, contractum tamen, nullo exposito mandato, veluti suo nomine celebret, & tunc non solum ius, & obligationem sibi ipsi acquirit, sed etiam executio sententiæ in eiusdem bonis fieri solet, licet postea actioni mandati hoc ipsum à mandante repetere possit.*



Respondetur: & dico primò: Clericus in sacris vel beneficiatus coram Iudice sæculari in causis sæcularibus non potest esse Aduocatus, vel procurator, nisi causam suam, vel suorum, vel Ecclesiæ, vel personarum miserabilium suscipiat, *cap. 1. de postulan.* & explicat ibi Abb. *num. 1.* Innocent. *num. 1. vn. de obligatis ad ratiocin.* Syluest. Aduocatus, *quæst. 2.* Armilla *eod. verb. num. 5.* qui rectè notant per sensum contrarium, quod dicti Clerici possint esse Aduocati in causis Ecclesiasticis coram Iudice sæculari, si scilicet coram eo persona Ecclesiastica, vel res ad Ecclesiam pertinens defendenda sit; Quin & possint esse Aduocati in omnibus causis coram Iudice Ecclesiastico, nisi sint Sacerdotes: Sacerdotibus enim postulare non permittitur, nisi in propria causa, vel suorum sibi coniunctorum, vel Ecclesiæ, vel personarum miserabilium, *cap. cum Sacerdotibus, eod. tit.* vbi subditur, quod Clericus, si contra Ecclesiam, à qua beneficiatum obtinet, pro extraneo Aduocatus, vel procurator esse præsumat, tanquam Ecclesiæ ingratus, beneficio illo spoliandus sit. Hinc vniuersim ait Abbas *loco cit.* quod exercens officium Aduocati, vel Procuratoris aduersus eum, à quo beneficium accepit, v. g. Vassallus contra Dominum, vitium ingratitudinis incurrat.

Dico secundò: Religiosi tamen, licet Regulares Canonici sint, Aduocati, vel Procuratores esse non possunt, præterquam in causa sui Monasterij, iubente Prælato, *Clem. Religiosus, de procurator. & cap. ex parte de postulan.* & docet Abb. communiter receptus *in cap. 1. num. 3. de officio Iudicis*, quod adeò verum est, vt, si Religiosus à Monasterio absens sit, possit etiam in dicto casu cum voluntate Prælati præsumpta in Iudicio agere, *argum. l. si longius §. filius famil. ff. de iudic.* quamuis debeat agere nomine non suo, sed Monasterij Nauar. *Comment. 2. de regular. num. 29. & 64.*

An autem Procurator, vel mandatarius, cum contrahit iussu alterius, acquirat actionem, & obligationem sibi ipsi, an verò mandanti?

Respondetur: distinguendo, quod mandatarius in contractu, & in omni alio negotio tripliciter se habere potest: Primò, vt merè internuncius Domini, seu principalis, cuius nomine, tanquam instrumentum contrahit, talis est, v. g. famulus, qui à Domino iussus equum eius nomine conducit: Item Procurator, siue legatus, qui ab alio mittitur ad matrimonium contrahendum, ad prolem ex baptismo suscipiendam, &c. Et tunc nullum ius, vel obligationem sibi acquirit sed tantùm domino, seu principali: Secundò, vt mandatarius ipsemet agat, contrahat, obligationesque, & actiones sibi acquirat, quas postea mandanti cedere debeat; quapropter *in l. 1. Cod. de sentent. & interlocut. omn. Iudic* statuitur, vt, si

procurator mandato Domini absentis in iudicio causam agit, non Dominus, sed procurator condemnetur, (quod non semper obseruari, notat Glos. ibidem, & alia Glos. *in cap. suscitata, verb. Monasterium de integr. restit.* & Mynsinger. *centur. 6. obseru.* 11.) executio tamen
9 sententiæ ordinariè fit in bonis Domini, non procuratoris, nisi ille in rem suam datus sit, vel se mandatum habere mentitus fuerit, vel cum nullum defensor mandatum proferre posset, satisdederit, Dominum rem ratam habiturum, *l. Plautius ff. de procurat. & §. sin autem*
10 *instit. de satisdat.* Tertiò si quis ab altero contrahendi, v. g. quid emendi, mandatum quidem habeat, contractum tamen, nullo exposito mandato, veluti suo nomine celebret; & tunc non solùm, ius & obligationem sibi ipsi acquirit, sed etiam executio sententiæ in eiusdem bonis fieri solet, licet postea actioni mandati hoc ipsum à mandante repetere possit.



DVBITATIO XVIII.

An Clerici possint esse Cancellarij, vel Consiliarij Principum secularium? vbi etiam, an aliquando irregularitatem defectu lenitatis incurrant?

SVMMARIVM.


1. *Clerici possunt esse Cancellarij, vel Consiliarij Principum secularium, etiam si sint Prælati.*
2. *Archiepiscopus Strigoniensis erat consiliarius Regis Vngariæ.*
3. *Prælati possunt consulere Principi seculari in condendo legem generalem, & non incurrunt irregularitatem, si ex tali lege per accidens pœna mortis, vel membri mutilationis imponatur.*
4. *Prælati existentes in consilio Principis, interrogati possunt respondere de iure generaliter loquendo sine nota irregularitatis; v. g. falsam monetam Principis cudentes debere igne comburi, homicidam voluntarium vltimo supplicio damnari, &c. at secus est in casu occurrenti, vbi mors, vel membri abscißio imponitur.*
5. *Inquisitores hæreticæ prauitatis, & Prælati Ecclesiastici, eorumque officiales irregularitatem non incurrunt, si Reum, velut incorrigibilem, seculari potestati tradant, postquam officio suo in proprio Tribunali functi fuerint, quia ipsi mortis sententiam, nec pronunciant, nec exequuntur; sed seculari potestati id munus relinquunt; ad quod generatim adhortari possunt sine periculo irregularitatis.*
6. *Episcopi, & Prælati, qui temporalem etiam iurisdictionem habent (licet propria præsentia authoritatem sententiæ sanguinis præstare non debeant alioquin irregularitatem incurrant) nihilominus possunt leges pœnales contra malefactores ferre, Iudices creare, causarum criminalium cognitionem etiam in particulari committere adiecto mandato in genere, vt iuris ordo seruetur, & secundum leges iudicetur.*
7. *Episcopi, & Prælati supradicti possunt sine periculo irregularitatis sententiam à Iudice laico latam moderari, v. g. si Reus propter latam sententiam morte afficiendus sit, non rota, vel igne sed pœna mitiori afficiatur.*
8. *Clericus, vel iurisperitus etiam in particulari de aliquo reo interrogatus, an liceat, vel deceat, eum denunciare, vel condemnare, &c. Si ius generatim explicet, nihil in particulari suadendo, vel iubendo, neque irregularitatem incurrit, quamuis exinde præuiderit mortis supplicium secuturum, & cur contra aliquos DD.*
9. *Confessarius potest aliquid amplius scilicet absolutionem Iudici denegare, nisi officio suo satisfecerit, ac reum Reipublicæ noxium morti damnare proponat.*
10. *Confessarius potest Reum, vt in iudicio crimen morte dignum fateatur hortari, cum iuridicè interrogatus, ad confitendum obstringetur.*
11. *Qui in persona, vel rebus suis, aut suorum, aut etiam Ecclesiæ suæ, iniuriam passus est, potest etiam sine irregularitatis periculo Rem Iudici denuntiare, quin & eumdem à seipso in custodia detentum tradere, actionem ciuilem contra eum instituendo, dummodo expresse protestetur se sanguinis vindictam non postulare, quamuis interim ex qualitate criminis prauideat fore, vt Iudex ex officio Reo mortis supplicium infligat.*
12. *Cui est permissus finis, permissa sunt etiam media ad eum necessaria.*
13. *Clericus in foro seculari si denunciet, vel accuset de iniuria, vel damno alieno, quamuis protestetur se criminalem vindictam non intendere, irregularitatem incurret, si mortis, vel mutilationis supplicium, crimine sic exigente Iudex inflixerit.*
14. *Protestatio in causa criminali non adiuuat Aduocatum, & Testes, si ex ipsorum allegationibus Iudex ad pœnam mortis seu sanguinis inferendam procedat, quominus ij non incurrant irregularitatem.*
15. *Clerici ordinarie non possunt compelli ad testimonium ferendum in causa criminali.*
16. *Clerici ad cauendum, vel auertendum malum proprium, & etiam alienum Reipublicæ, vel priuatæ alicuius Personæ innocentis potest sine crimine irregularitatis Reum accusare si agatur de iniuria inferenda, & de crimine testari, & cur.*
17. *Protestatio non est necessaria in casu recensito, siquidem opus suapte natura ab irregularitate liberum est.*
18. *Irregularis non est qui infantem ob necessitatem frigida aqua baptizat, etsi idcirco Infans citius moriatur.*
19. *Irregularis neque est qui causa liberandi bona proximi è manibus furis clamat, & si propterea fur capiatur, & à Iudice pœna mortis puniatur.*
20. *Irregularis neque est qui contra proximi iniustum aggressorem clamore tollit, etsi hac occasione mors aggressoris sequatur.*
21. *Irregularitas non contrahitur ab eo, qui cla-*

morem tollit, ita vt prævideat fore, vt fur vel Raptor capiatur, & occidatur, vel id faciat ad conseruandas, vel recuperandas res proprias, aut alienas, vbi vide plures casus distinctos.

22. *Clericus sine peccato, & irregularitatis periculo (quamuis protestetur capere se vindictam citra mortis, vel mutilationis pœnam) actionem criminalem de delicto, quod morte, vel mutilatione dignum est, instituere non potest.*

23. *Aliter dicendum si crimen nec mortem, nec mutilationem meretur; in tali namque casu potest accusare etiam non præmissa protestatione, excessus enim non est imputandus Accusatori, sed Iudicis sæuitiæ.*

24. *Protestatio præmissa licet accusator animo intendat, vt malefactor per Judicis officium morte puniatur, non inducit irregularitatem dummodo suam, vel suorum iniuriam ciuili accusatione prosequatur.*

1 Respondetur affirmatiuè, etiam si sint Prælati; sic Io. Andr. Abb. & passim alij Canonistæ *in c. Clericis, & c. sed nec procurationes, ne Clerici, vel Monachi, & cap. non*
2 *est, de voto*, vbi Archiepiscopus Strigonensis erat consiliarius Regis Vngariæ; adduci etiam potest Textus *in noua constitutione Federici Imp. incipiente, habita, in princip. Cod. de fil. pro pa. ibi: Episcoporum, Abbatum, &c.* per quem Tex-
3 tum dicit ibi Bald. quòd Prælati possint consulere Principi seculari in condendo legem generalem; & quod, licet per accidens ex tali lege pœna mortis, vel membri mutilationis imponatur, irregularitatem non incurrant; &
4 Hostiensis *in cit. cap. Clericis*, ait, quò Prælati existentes in consilio Principis, interrogati possint respondere de iure generaliter loquendo sine nota irregularitatis; v. g. falsam monetam Principis cudentes debere igne comburi, *l. 2. Cod. de falsa moneta.* homicidam voluntarium vltimo supplicio damnari, *l. 1. ff. ad leg. Cornel. de sicar. & institut. de public. Iudic. §. item lex Cornelia de sicar.* & sic de similibus, &c. quamuis in casu occurrenti, vbi mors, vel membri abscissio imponitur, taliter consulendo, vel respondendo, irregularitatem incurrant: sic Hostiensis, & adducit *cap. sicut dignum de homicid. & 31. dist. c. 1. vbi* Glos. Io. Andr. & Abb. & Doctores. *in cap. ex literis, de excessibus Prælat.* qua de re tamen mox in fine dicam ego distinctiùs.

5 His adde, quod neque Inquisitores hæreticæ prauitatis, & Prælati Ecclesiastici, eorumque officiales irregularitatem incurrant, si reum, velut incorrigibilem, seculari potestati tradant, postquam officio suo in proprio Tribunali functi fuerint; quia ipsi mortis sententiam nec pronuntiant, nec exequuntur, sed seculari potestati id munus relinqunt; ad quod exequendum etiam generatim adhortari possunt sine periculo irregularitatis, sicuti docent Medina *in summa lib. 1. cap. 11. §. 10.* Henriq *lib. 14. cap. 12. num. 5. in comment. liter. O.* Auila *de censur. part. 7. disp. 5. sect. 2. dubit. 2.* contra Couarr. *part. 2. Clement. §. 5. num. 6.* & alios.

Adde secundò, quod pari ratione Episcopi, 6
& Prælati, qui temporalem etiam iurisdictionem habent (licet propria præsentia authoritatem sententia sanguinis præstare non debeant, *cit. cap. ex literis*, alioquin irregularitatem incurrant, Glos. *ibi, verb. corporalem*, & Abb. *num. 2.*) nihilominus possint leges pœnales contra malefactores ferre, Iudices creare, causarum criminalium cognitionem, etiam in particulari, committere, adiecto mandato in genere, vt iuris ordo seruetur, & secundùm leges iudicetur, *cap. vlt. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* & docet Glos. *in cit. cap. ex literis, vers. nec iudicent*, Abb. *ibidem num. 2.* Syluest. *verb. homicidium 2. quæst. 7.* S. Antonin. *part. 3. tit. 28. cap. 2. ante §. 1.* Caiet. *2. 2. quæst. 33. art. 7.* Couarr. *cit. §. 5. num. 8.* Molin. *tract. 3. disput. 8. num. 2.* Auila *cit. sect. 2. dub. 4.* qui subdunt contra Henriq. *lib. 14. cap. 12. num. 6. liter. N.* talem commissionem fieri posse, etiam in causa particulari; quamuis non possint sine nota irregularitatis definitè iubere, seu damnare, quod reus iste mortis, aut mutilationis pœna afficiatur, sicuti notat Nauar. 7
lib. 5. consil. 16. de homicid. edit. 2. possint tamen sine periculo irregularitatis sententiam à Iudice laico latam moderari, v. g. si reus propter latam sententiam morte afficiendus sit, non rota, vel igne, sed pœna mitiori afficiatur; quia hoc modo non sunt causa mortis, vel supplicij, sed potiùs, vt pars supplicij dematur: qui est actus misericordia, non seueritatis.

Adde tertiò, quod si Clericus, vel iurisperi- 8
tus, etiam in particula, de aliquo reo interrogatus, an liceat, vel deceat, eum denunciare, vel condemnare, &c. ius generatim explicet, nihil in particulari suadendo, vel iubendo, neque irregularitatem incurrat, quamuis exinde prouiderit, mortis supplicium secuturum; quia ad id is directè non mouet, sed solùm rei veritatem aperit, qua cognita, alter se ipsum ad id, quod iustum est promouet, Glos. *cit. cap. ex literis, verb. consuluit de excessibus Prælat.* & Molin. *tract. 3. disp. 74.* contra Syluestrum, *verb. homicidium. 1. quæst. 8.* Henriq. *cap. 16. num. 4.* Auilam *cit. sect. 2. dub. 6.* & alios, qui sentiunt, quod si in particulari immineat periculum mortis, vel mutilationis, non possit Clericus de iure consulens, etiam generalem responsionem dare.

Cæterum rectè subdit Molina, & docet Suar. *num. 8.* & admittunt Henriq. & Auila, 9
confessarium plus etiam posse, scilicet absolutionem Iudici denegare, nisi officio suo satisfacere, ac reum reipublicæ noxium morti damnare proponat: Item reum, vt in iudicio crimen 10
morte dignum fateatur hortari, cum iuridice interrogatus ad confitendum obstringitur, Auila. *dub. 17.* & Henriq. *cap. 16. num. 4. litera B.* & suadet ratio, quia non est credibile, Ecclesiam voluisse irregularitatis obicem ponere, quo minus iurisperiti, & confessarij scientia, & munere suo rectè fungatur.

Adde quartò, quòd qui in persona, vel rebus suis, aut suorum, aut etiam Ecclesiæ suæ iniuriam passus est, possit etiam sine irregularitatis periculo Reum Iudici denunciare, quin

& eumdem à se ipso in custodia detentum tradere, & actionem ciuilem contra eum instituendo dummodo expresse protestetur se sanguinis vindictam non postulare quamuis interim ex qualitate criminis præuideat fore, vt Iudex ex officio reo mortis supplicium infligat, Couarr. in Clement. *part.* 2. §. 5. Caiet. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. Sot. *de iust. & iure lib.* 5 *quæst.* 5. *art.* 1. *in fin.* Molin. *tract.* 3. *disp.* 8. *num.* 3. Nauar. *cap.* 27. *num.* 213. Suar. *tom.* 5. *disput.* 47. *sect.* 7. & Auila *de censur. part.* 7. *disput.* 5. *dub.* 9. & sumitur *ex cap.* 2. *de homicid. in* 6. vbi etiam redditur ratio : *si Prælati, vel Clerici propter metum huiusmodi, quia Iudex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona liberè deprædandi*; Vnde etiam sequitur quod Ecclesiasticus, sicuti potest sine nota irregularitatis reum Iudici cum tali protestatione denunciare, sic etiam possit ad talem finem capere, detinere, & tradere; quia cui est permissus finis permissa sunt etiam media ad eum necessaria,
12 Couarr. *cit.* §. 5. *num.* 3. & Molin. *tract.* 3. *disput.* 74. *num.* 11.

Dixi primò, *in persona, vel rebus suis, vel suorum*, scilicet domesticorum, vel ità coniunctorum, vt iniuria per consequentiam in ipsum conquerentem redundare censeatur; Doctores, & præcipuè Molina *tract.* 3. *disp.*
13 44. *num.* 11. quapropter, si quis in foro sæculari denunciet, vel accuset de iniuria, vel damno alieno, quamuis protestetur se criminalem vindictam non intendere, irregularitatem incurret si mortis, vel mutilationis supplicium crimine sic exigente, Iudex inflixerit, Nauarr. *num.* 217. §. 12. Couarr. *num.* 4. Molin. *num* 8 Suar. *num.* 11. Auila *dub.* 11. *concl* 2. & alij communiter; & ratio sumitur ex dictis quia scilicet Canones speciatim volunt succurrere iis, qui iniuriam ad se attinentem iudicio prosequuntur vt ipsis tantum nihil obsit, si tali occasione Iudici præbeant occasionem mortis, vel mutilationis sententiam inferendi : qualem indulgentiam non concedunt eis, qui prosequuntur, in causa aliena, & cum protestatione.

14 Hinc sequitur, quod Aduocatum, & testes in causa criminali nihil adiuuet protestatio, si ex ipsorum allegationibus Iudex ad pœnam sanguinis inferendam procedat, Couarr. *cit.* §. 5. *num.* 5. Molin. *disput.* 74. *num.* 10. Suar. *disput.* 47. *sect.* 3. *in fin.* Henriq. *lib. cap.* 12. *num.* 9. & Clar. *lib.* 5. *sentent.* §. *vlt. quæst.* 24. *num* 8. quia aduocatus & testes non propriam, sed alienam causam prosequun-
15 tur : Quæ etiam ratio est, cur Clerici ordinariè non possint compelli ad testimonium ferendum in causa criminali, Abb. *in cap. sententiam num.* 13 *ne Clerici, vel Monachi*, Sot. *de iust. lib.* 5. *quæst.* 7. *art.* 1. *in fin.* Auila *dub.* 13. Mascard. *volum.* 3 *probat. concl.* 1357. *num* 61. & alij passim; quod id per Canones prohibitum sit, *argum. cit. cap. sententiam, & c. his, à quibus*, 23. *quæst.* 8.

16 Dixi secundò, *qui iniuriam passus est*; quia, si agatur de iniuria inferenda, vel de crimine pernicioso pendente in futurum (quod alia ratione, quàm per iudiciale processum impediri non possit) tunc non solùm ad cauendum, vel auertendum malum proprium, sed etiam alienum reipublicæ, vel priuatæ alicuius personæ innocentis, reum accusare vel de crimine testari quilibet poterit sine nota irregularitatis; quia Canones nunquam istam infligunt propter officium debitum ex lege naturali, vel diuina charitatis, vel alterius virtutis : qualis est actus accusandi reum, si sic necesse sit ad defendendum, vel liberandum rempublicam, vel innocentem priuatam aliquam personam ab impendenti aliquo graui periculo, Caiet. *cit.* 4. 7. Suar. *cit. disp.* 47. *sect.* 2. *num.* 11 Sot. *de sec. mem.* 2. *quæst.* 4. *concl.* 2 *in fin.* & Henriq. *cap.* 12. *num.* 8.

Quapropter in tali casu, neque protestatio 17
necessaria erit; siquidem opus suapte natura ab irregularitate liberum est, Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 109. *& tract.* 3. *disput.* 8. *num.*
9. Auila *dub.* 11. *concl.* 3. & Sà *verb. irregula-* 18
ritas ex deform. licit. num. 4. vbi pari ratione rectè subdit irregularem non esse, qui infantem ob necessitatem frigida aqua baptizat, &
si idcirco infans citiùs moriatur : Item neque 19
irregularem esse, qui causa liberandi bona proximi è manibus furis clamat, etsi proptèrea fur capiatur, & à Iudice pœna mortis puniatur:
Item neque irregularem esse, qui contra proxi- 20
mi iniustum aggressorem clamore tollit, etsi hac occasione mors aggressoris sequatur : quia talis defensio est de iure naturæ, quæ a lege positiua impediri non debet,

Cæterum, quidnam dicendum sit, si quis 21
clamorem tollat, ita vt præuideat fore quod fur vel raptor bonorum capiatur, & occidatur ?

Respondetur distinguendo : vel id facit ad conseruandas, vel recuperandas res proprias, aut alienas; si primum : Iterum distinguo, vel fur deprehenditur, & postea Iudici traditur & occiditur, & tunc non contrahitur irregularitas; quia ipsemet iniuriam patiens in tali casu posset furem capere, ac Iudici tradere, præmissa protestatione : Vel fur occiditur à circumstantibus & tunc etiam satis probabiliter contra Innocentium, & Abb. *in cap significasti*, 2. *de homicid.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 236. Sylueftrum *verb. homicidium* 3. *quæst.* 7. & Suar. *disp.* 47. *sect.* 2. *num.* 21. neque contrahitur irregularitas; quia non contrahitur, tanquam ex homicidio casuali culpabili; cum homo, ille clamando, & homines aduocando ad res suas saluandas nihil peccarit; Neque incurritur irregularitas tanquam ex homicidio inculpato quidem, sed commisso cum defectu lenitatis; quia non se habet tanquam persona publica in Iudicio vt per se patet, Couarr, *part.* 2. Clement. §. 5. *num.* 3. & Auil *part.* 7. *disput.* 5. *sect.* 2. *dub.* 15. Si secundum, etiam ex satis probabili sententia Doctorum neque incurritur irregularitas, etsi contingat postea, furem à Iudice, vel à circumstantibus occidi : quia talis homo opus charitatis exercuit, ergo non debet idcirco irregularitatem contrahere; tum quia non ea intentione, vt fur occideretur clamauit : consequentèr ad id moralitèr coöperatus non censetur; cum solum impedire voluerit proximi damnum.


22 Dixi tertiò, *actionem ciuilem contra eum instituendo*; ad compensationem scilicet illati damni, vel ad pœnam pecuniariam ipsi applicandam: nam actionem criminalem de delicto, quod morte, vel mutilatione dignum est, Clericum sine peccato, & irregularitatis periculo (quamuis protestetur, capere seuindicta citram mortis, vel mutilationis pœnam) instituere non posse, consentiunt Doctores apud Suar. *num.* 10. & Auilam *dub.* 10. & meritò; quia, cum Iudex ab Actore postulatus soleat, ac debeat iudicare secundùm leges, consequens est, quòd protestatio illa actoris accusantis de crimine, quod mortem, vel mutilationem meretur. facto contraria sit. & inutilis.

23 Aliter dicendum, si crimen nec mortem nec mutilationem mereretur; in tali namque casu potest accusare, etiam non præmissa protestatione, sicuti rectè dixit Molin. *tract.* 3. *disput.* 8. *nu.* 5. siquidem, si in dicto casu Iudex propria sæuitia, vel ignoratia, vel accidentaria causa, mortem, vel mutilationem infert, id accusatori imputari non potest, Molin. *loco cit.* Couarr. *part.* 2. §. 5. *num.* 3. Nauarr. *num.* 214. Henriq. *cap.* 12. *num.* 8. & *Auila dub.* 9. §. *secundò notandum*, *argum. cap. postulasti de homicid.* iuncta Glos. *in cap.* 2. *de homicid. in 6.*

Dixi quartò, *dummodo expreßè protestetur, &c.* quia sic expresè habetur *in cit. cap.* 2. *de homicid. in 6.* & ratio esse potest; quia qui de crimine (quod morte, vel mutilatione dignum esse, nouit) etiam ciuilitèr denunciat, vel accusat, censetur talis mortis, vel mutilationis (cum ad eam decernendam Iudex ex officio, vt plurimum ratione denunciationis, vel accusationis moueri soleat) causa existere per indirectam voluntatem: quæ tamen indirecta voluntas secundùm canonum constitutionem retractari censetur per protestationem illam: eo saltem casu, quo quis suam, vel suorum iniuriam prosequitur.

24 Hinc colligitur, quòd, licet protestatio ficta sit, & accusator animo intendat, vt malefactor per Iudicis officium morte puniatur, nihilominus irregularitas euitetur; è contrà verò irregularitas contrahatur, si quis protestationem intermittat, licet interiori animo cupiat mortem, vel mutilationem non inferri accusato. Ratio; quia accusans de crimine, quod scit esse dignum morte, vel mutilatione & Iudicem ob id ex officio talem pœnam inflixurum, irregularitatem contrahit, siuè talis pœnæ sententiam directè intendat, siue non, præterquam si Canones excipiant; at Canones tantum excipiunt casum, si quis suam vel suorum iniuriam ciuili accusatione prosequitur, præmissa protestatione externa, quòd pœnam sanguinis non intendat, ergo, &c. Vide Couarr. *cit. cap.* 5. *num.* 2. Henriq. *cap.* 11. *in fin.* & Auilam *dub.* 9. quamuis dissentiant quoad priorem partem Syluest. *verb. homicidium* 2. *quæst.* 8. & Nauarr. *loco suprà cit. num.* 226.





DVBITATIO XIX.

An, si Clerici delinquant in officio, quod à Principe seculari habent, poßint à Principe seculari pœnis pecuniarijs puniri, & tali officio priuari?

Respondetur: de hac re dixi, *lib. de immunit. & libert. Ecclesiast. cap.* 9. *dubit.* 35. & *cap.* 14. *dubit.* 11.



DVBITATIO XX.

An Clerici poßint esse Notarij?

SVMMARIVM.

1. *Clerici non possunt esse Notarij.*
2. *Tabellionis officium est vile, ideoque indecens Ecclesiasticis.*
3. *Tabellionis munus an Clericus Beneficiatus in causis Ecclesiasticis exercere possit alij Doctores negant, alij asserunt, saltem vbi est in Diœcesibus hac consuetudo: Romanà tamen Curia tantum excepta.*




Respondetur: negatiuè: patet ex *c. sicut, ne Clerici, vel Monachi*, vbi expresè præcipitur, vt qui in sacris ordinibus constituti sunt, per substractionem beneficiorum compellantur officium tabellionis relinquere, (quod valdè probabiliter Abb. *cit. c. sicut num.* 7. & Syluest. *verb. tabellio, quæst.* 3. §. *tertium*, extendunt ad alios Clericos, si beneficiati sint) & meritò; quia officium tabellionis est vile, ideoque indecens Ecclesiasticis, *argum. l. non aliter. ff. de adoption.* 1 2

An autem in causis Ecclesiasticis, v. g in Concistorio Episcopi, Clericus beneficiatus tabellionis munus exercere possit? Doctores non conueniunt: plerique negant, id extra curiam Papæ licitum esse Clerico in sacris, non indigenti, sed sufficiens beneficium, vel sustentationem habenti; quia vniuersim, & sine distinctione (inquiunt ipsi) prohibetur *in dict. c. sicut*; ita Glos. *ibi*, *verb. Clericis*, Abb. *num.* 6. Syluest. *cit. quæst.* 3. & Rosella *verb. Tabellio* §. 4. his tamen non obstantibus, attendendam arbitror Diœcesium consuetudinem: per hanc enim, cum officium tabellionis 3

nis

... in Ecclesiasticis causis Ecclesiasticas per... absolute non dedeceat, contrarium in... potuit.



DVBITATIO XXI.

An Clerici possint esse fideiussores?

SVMMARIVM.

1. *Fideiussor est qui de alterius obligatione interposita propriæ fidei, & obligationis cautione, securitatem præstat.*
2. *Fideiussoris obligatio alteri obligationi accessoria est, & sine ea consistere non potest; quamuis sufficiat, si solum obligatio naturalis præcedat, ita vt hoc casu etiam ciuiliter compelli possit.*
3. *Fideiussoris obligatio nulla exoriri potest si is, cuius promissioni fideiussor accedit, nec ciuiliter, nec naturaliter obligetur.*
4. *Fideiubens pro Religioso contrahente, existimandum est ad id obligari quod Prælatus, &*
5. *Capitulum ratum habuerit. Religiosus ex delicto obligationem contrahit, quatenus satisfacere poterit, ideoque tali obligationi fideiussor valide accedit.*
6. *Fideiussor pro fideiussore valide accipi potest.*
7. *Fideiussor licet possit intensius, seu efficacius, quam debitor principalis etiam ciuiliter obligari, non tamen potest extensius, id est ad plus obligari.*
8. *Fideiussor non potest pure obligari si debitor principalis sub conditione obligatus fuerit.*
9. *Fideiussor, liberato principali, etiam ipse liberatur.*
10. *Fideiussor datur etiam in iudicio præter fideiussorem extra iudicium.*
11. *Reus si ei pœna corporis imponenda sit non dimittitur fideiussione, secus autem si tantum pecuniaria, vel corporis leuis tamen.*
12. *Fideiussor alius simpliciter dictus, qui fidem suam interponit in id, quod principalis debet: alius Indemnitatis dictus, qui non obligat se simpliciter, sed ad quantum minus creditor à debitore suo consequetur.*
13. *Fideiussor Indemnitatis non potest ante conueniri quam facta discussione principalis debitoris.*
14. *Fideiussor simpliciter dictus prior conueniri potest, quamuis opponere possit exceptionem ordinis.*
15. *Actio hypothecaria non potest institui contra tertium possessorem, nisi prius excusso debitore.*
16. *Excipe primo nisi fideiussor renunciarit beneficio auth. Præsente, C. de fideiussor. cum illud in ipsius tantum fauorem introductum fuerit.*
17. *Excipe secundo nisi notorium sit principalem debitorem soluendo non esse; quia tunc frustra fieret discussio.*
18. *Excipe tertio, si debitor conueniri, vel eius bona excuti non possint, quia est nimis potens, vel iniuriosus, vel alio migrauit.*
19. *Excipe quarto si consuetudine, vel statuto aliter receptum sit.*
20. *Fideiussores si pro eodem debito plures intercesserint singuli in solidum obligantur; quamuis, si omnes ad soluendum idonei sint, competat ipsis exceptio ex epistola Hadriani Imperatoris.*
21. *Fideiussor si pro principali debitore debitum soluat, cogere potest creditorem, vt cedat sibi omnem actionem, tum personalem, tum hypothecariam, quam contra eumdem debitorem habet, præterquam quod agere possit etiam contra principalem actione mandati ad damni, & interesse compensationem.*
22. *Fideiussor etiam ante Iudicis sententiam tenetur in conscientia soluere debitum in defectum principalis.*
23. *Fideiubere non est nisi de alieni debiti solutione fidem suam interponere, siue alienam obligationem in suam fidem recipere.*
24. *Fideiussor tenetur naturali iure promissionis suæ fidem interpositam, & acceptam seruare.*
25. *Fideiussor in quatuor casibus potest iure petere liberationem suæ fideiussionis, & quinam sint vide ibi per extensum.*
26. *Quicumque principaliter obligatur, idem etiam fideiussor esse potest.*
27. *Excipe mulierem, quæ si fideiusserit opponere potest exceptionem Senatus-Consulti Velleiani, quominus soluere cogatur, quod etiam habet locum in conscientiæ foro.*
28. *Mulier si per errorem soluit, creditor interim solutum sibi retinere potest, quia mulier tam naturaliter quam ciuiliter obligata erat, repetere tamen eidem competit in Senatus-Consulto Velleiano.*
29. *Iustus exceptione perpetua, & fauorabili quocumque errore soluat, solutum repetere potest; non item si exceptio odiosa fuerit vt in Senatus-Consulto Macedoniano.*
30. *Fideiussio Mulieris ipso iure nulla est, nullamque obligationem gignit, nisi publico instrumento cum testium subscriptione confirmata fuerit; præterquam si mulier pretium pro fideiussione acceperit, quia tunc efficaciter obligatur, sublato omni Senatus-Consulti priuilegio.*
31. *Mulier in praxi publico instrumento se obligans, exceptioni Senatus-Consulti Velleiani valide renunciat, modo à Notario prius certiorata id faciat.*
32. *Mulier spectato iure communi beneficio Velleiano extra iudicium valide non renunciat, nisi præterea iuramentum cum plena sui cognitione accedat.*
33. *Clericus licet non possit fideiubere in præiudicium Ecclesiæ potest tamen fideiubere in præiudicium proprium, quamuis etiam tunc ex fideiussione non teneatur, nisi quatenus commode soluere potest, ita vt non egeat.*
34. *Religiosus si absque licentia Prælati, & maioris partis Capituli fideiusserit, vel mutuum*

acceperit, Monasterium tali fideiussione non obligatur, nisi quatenus in eius vtilitatem quid versum fuerit.

35. *Amplia id procedere quotiescumque Persona in potestate alterius constituta sine iussu illius expresso, vel tacito contraxit, quod v. g. Prælatus, Pater, & Dominus in tantum obligentur in quantum in eorum vtilitatem aliquid versum fuisse demonstretur.*

36. *Monasterium non obligatur ex contractu, vel delicto Religiosi nisi in quatuor casibus.*

37. *Monasterium obligatur ex delicto Religiosi, si is communicato consilio cum Prælato, & Capitulo, delictum commisit, quia delictum Prælati, & Capituli nocet Ecclesiæ.*

38. *Monasterium obligatur ex Contractu Religiosi, si is administrationi præpositus aliquid egit, vel contrassit secundum limites commissionis, & officij, si quidem neque ex ipsius Prælati contractu obligatur, si limites suæ administrationis excedat.*

39. *Monasterium obligatur si Religiosus in Academia, vel alibi cum licentia Prælati degens, sumptus faciat, vel pecunias mutuò accipiat secundum quantitatem ipsi destinatam, si quidem sic etiam de filio familias statutum reperitur.*

40. *Monasterium obligatur ex contractu Religiosi, si quid in rem seu vtilitatem Monasterij versum fuerit.*

41. *Versum in rem alterius dicitur, si quid v. g. Domino sit vtiliter comparatum, vel in eius quoscumque Sumptus necessarios, aut vtiles expensum; secus si quid ad meram voluptatem pro Domino sit impensum, nisi Dominus in id ipsum consenserit.*

42. *Vtilitas, & lucrum non spectatur nisi impendiis deductis.*

43. *Seruus si mutuam pecuniam accepit, & Domino dedit, vt manumitteretur, pecunia non censetur in rem, seu vtilitatem Domini versa, nisi quatenus excessit pretium iustum manumissionis.*

44. *Venditor vini non potest contra Dominum agere de in rem verso, quia Dominus dedit pecuniam famulo vt vinum emeret, quia sibi retenta, habitaque fide de pretio habuit, quia Dominus ex vino in familiam suam inuectó ditior factus non est, cum pro vino pretium, æquiualens dederit.*

45. *In rem alterius versum dicitur, quando is tantum dedit, quantum accepit.*

46. *Seruus si mutuam pecuniam accepit, & Domino dedit, vt libertatem acciperet, pecunia illa non censetur in rem Domini versa, nisi quatenus forsan excessit iustum pretium manumissionis.*

47. *Æquum non est vt vel credulitas Creditoris Domino obsit, vel calliditas serui noceat; quare curiosus creditor esse debet quo vertatur.*

48. *Venditor vini in tali casu neque agere potest contra Dominum ex iussu, & cur.*

49. *Constitutus ad recipiendam pecuniam non præiudicat Domino, si confiteatur pecuniam se recepisse, quia non ad confitendum, sed tantum ad recipiendum constitutus fuit.*

50. *Venditor vini si sciuisset quale iussum famulus de emendo vino habuerit, & tamen pecunia credita vendidisset, Dominum ex iussu obligatum non haberet; & eo magis cum ignorauit.*

51. *Venditor viti, vel Dominus cum pati debeat, potius pati debet qui in culpa aliqua est, quam qui in nulla, sed Dominus in nulla culpa est, venditor autem est in aliqua culpa nimiæ credulitatis.*

52. *Dominus si procuratorem Domus constituerit generalem, cuius omnes negotiationes, & contractus ad familiam sustentandam ratos haberet, attendendum est num mandatarius mandati formam obseruet.*

53. *Amplia dicta de seruis ferè locum habere etiam in hominibus liberis famulatui alicuius addictis, cum vicem illorum aliquo modo teneant.*

54. *Habens actiones quod iussu, vel exercitatoriam, & institoriam, potest etiam agere de in rem verso quamuis stultè faceret, sicut etiam stulte faceret qui omissa actione institoria, qua totum consequi posset, experiri malit actionem de peculio.*



Vppono, quod fideiussor est, qui de alterius obligatione, interposita propriæ fidei, & obligationis cautione, securitatem præstat, *Instit. de fideiussor. in princip. l. græcè ff. eod. & l. vbi autem, §. qui verò, ff. de versor. obligat.* dicitur enim fideiussor, quia *fide sua iubet.*, quod ab altero debetur. 1

Hinc sequitur, quod obligatio fideiussoris alteri obligationi accessoria sit, & sine ea consistere non possit, quamuis sufficiat; si solùm obligatio naturalis præcedat, ità vt in hoc casu fideiussor etiam ciuiliter compelli possit, v. g. si pro seruo, vel minore fideiubeat, *Instit. de fideiussor. §. 1. l. naturaliter ff. de cond. indebiti, & l. Marcellus ff. de fideiussor.* 2

Sin autem is, cuius promissioni fideiussor accedit, nec ciuiliter, nec naturaliter obligetur, nulla in fideiussore obligatio exoriri poterit, *l. qui contra, & l. fideiussor. in princip. ff. eod.* vt si lex omninò resistat contractui, v. g. venditioni rei sacræ, *l. cum lex ff. eod.* Vel si quis (vti docet Abb. *in cap. ex rescripto, de iureiur. num. 1.*) fideiubeat pro Religioso sine authoritate, & consensu Prælati, ac Monasterij contrahente; cum Religiosus propria authoritate nihil, sibi vel alteri acquirere possit, ideoque omnis obligationis ex contractu incapax sit, quidquid in contrarium dixerit Sanch. *lib. 7. Moral. cap. 31. num. 37.* & Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 28. num. 6.* quibus tamen concedendum est cum Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 140.* quod si quis pro Religioso contrahente fideiubeat, existimandum sit, fideiussorem ad id se obligare, quod Prælatus, & Capitulum rem ratam habebit; Item concedendum est, quod Religiosus ex delicto, v. g. furto, vel damno dato obligationem contrahat, quatenùs satisfacere poterit; ideoque tali obligationi fideiussor validè accedet. Cæterùm pro fideiussore fideiussor alius accipi potest, *cit. l. græcè, in fin.* quin id fieri sæpè 3 4 5 6

[illegible], videlicet fideiussori à debitore principali [illegible] constituatur fideiussor, qui priorem [illegible] seruet.

Sequitur secundò, quod licet fideiussor possit [illegible]ius, seu efficacius, quàm debitor principalis, v. g. etiam ciuiliter obligari, sicut supra dicebam, non tamen possit extendi, [illegible] est, ad plus obligari, *§. fideiussores in-[illegible] eod. & cit. l. græce*, vbi expressè dicitur, quod fideiussor non possit obligari in causam
8 duriorem, possit tamen in leuiorem, v. g. in minorem summam; quapropter dicendum, quod si debitor principalis sub conditione obligatus fuerit, fideiussor non possit purè obligari quia non potest esse plus in accessorio, quam in principali, Gomez. *2. resol. cap.* 1[illegible] *num.* 2 & Molin. *tom.* 2 *disp.* 541.

9 Sequitur tertio, quod si principalis debito suo liberetur, vt quia ipsi condonatum est, liberatur etiam fideiussor, Doctores communiter [illegible] Nauarr. *de restit. lib.* 3. *cap.* 4. [illegible] 1[illegible] quia, ruente principali, ruit accessorium.

10 Suppono secundò, quod præter fideiussorem extra iudicium, [illegible] etiam fideiussor in iudicio. [illegible] autem in iudicio est, qui se obligat, quod reus criminis, vel debiti sistetur in iudicio criminali, vel ciuili, & interdum, quod [illegible] fuerit, soluetur, *cit. l. græce*, [illegible] *post litem, ff. de fideiussor.* Mol. *disp.* 347. & Cler. *in pract. crim. § fin. quæst.* 46.

11 Hic adde, quod si crimen graue, præsertim notorium sit pro quo corporalis pœna imponenda est, reus non dimittitur; sin autem crimen [illegible] sit, *in vincula coniciendus non est, qui paratus est dare fideiussorem, cit. l. Diuus, ff. de cust[illegible] & exhibit. reor.* & Canonistæ *super rubr. de [illegible]r.*

Suppono tertio, quod [illegible] fideiussor sim-
12 pliciter [illegible], qui [illegible] fidem suam interponit [illegible] id quod principalis debet, & datur fideiussor indemnitatis dictus, qui [illegible] non obligat se simpliciter, sed ad [illegible] creditor à debitore suo conse-
13 [illegible] fideiussor iste posterior non potest ante conueniri, quam facta discussione principalis debitoris, Doctores *in l. vlt. ff. de rebus creditis*;
14 At fideiussor prior conueniri potest, quamuis opponere possit exceptionem ordinis, vt scilicet [illegible] discussio fiat bonorum debitoris principalis, si præsens fuerit; in eius vero defectum [illegible] soluere paratus sit, *auth. præsente, Cod. de fideiussor.* Idem etiam locum habet in
15 actione hypothecaria, quæ contra tertium possessorem ad reuocationem hypothecæ institui non potest, nisi priùs excusso debitore, *Auth. hoc si debitor, Cod. de pignorib.* & ibi Glos. & *Auth. sed hodie, Cod. de action. & obligat.*

16 Excipe primò, nisi fideiussor renunciarit beneficio dictæ authenticæ; cum illud in ipsius tantùm fauorem introductum fuerit, Glos. & Doctores ibidem; item Glos. *in cap. peruenit, verb. non soluentibus*, & Abb. *num.* 8. *de fideiussor.* Gomez 2. *resol. cap.* 13. *num* 14. & Gaill. *lib.* 2. *observat.* 27. *num.* 21. *argum. l. quod fauore, Cod. de legib. & l. penult. Cod. de pactis.*

Secundò, nisi notorium sit, principalem debitorem soluendo non esse; quia tunc frustra fieret discussio; quapropter statim tunc actio contra fideiussorem, vel pignoris possessorem institui poterit, Glos. communitèr recepta *in l. decem, verb. excussum, ff. de verbor. obligat.* Bald. *ibidem*, Gomez *loco cit.* & alij Doctores *in cit. l. vlt. ff. de rebus creditis.* 17

Tertiò, si debitor conueniri, vel eius bona excuti non possint; v. g. quia est nimis potens, vel iniuriosus, vel aliò migrauit, &c. *Auth. de fideiussor. & mandator.* Gomez *cit. num.* 14. Molin. *disp.* 545. & Less. *cap.* 28. *num.* 9. Vel, etsi debitor bona præsentia habeat, non possint tamen ea vendi, quia nemo est, qui emat: quo casu creditor diù expectare non cogitur, sed contra fideiussorem agere potest, Doctores, quos citat, & sequitur Gomez, *loco cit.* 18

Quartò, si consuetudine, vel statuto aliter 19
receptum sit, vt v. g. post moram principalis, etiam non facta bonorum illius excussione, statim fideiussor conueniri possit, Gail. *cit. obseruat.* 27. *num.* 29. *& seqq.*

Suppono quartò, quòd, si plures fideiusso- 20
res pro eodem debito intercesserint, singuli in solidum obligantur; quamuis, si omnes ad soluendum idonei sint, competat ipsis exceptio ex Epistola Hadriani Imperatoris (si huic fauori suo non renunciauerint) vt obligatio in portiones diuidatur: Quod, si alij soluendo non sint, cogitur etiam vnus, qui soluendo est, totum præstare; vel etiamsi alij soluendo sint, & vnus, non opposita exceptione, integrum soluat repetendi ius non habet; cogere tamen creditorem potest, vt sibi contra alios fideiussores cedat actionem, per quam eos compellat, vt singuli solutionis portionem refundant, *§. si plures instit. de fideiussor. l. non rectè, Cod. eod. & l. si dubitet, §. ità demum, de fideiussor.* & ibi Glos.

Item, si fideiussor pro principali debitore de- 21
bitum soluat, cogere potest creditorem, vt cedat sibi omnem actionem, tum personalem, tum hypothecariam, quam contra eumdem debitorem habet, *l.* 2. *Cod. eod.* præterquam quod agere possit etiam contra principalem actione mandati, vt omne damnum, & interesse, quod ratione fideiussionis incurrit sibi compensetur: quia nemini officium suum damnosum esse debet, *cap. peruenit de fideiussor.* & sumitur *ex l. si seruus communis*, *§. quod verò, ff. de furt.* & docet Syluest. *verb. fideiussor. quæst.* 12. & Petr. Nauarr. *de restit. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 162.

Suppono quintò, quòd fideiussor, etiam 22
ante Iudicis sententiam tenetur in conscientia soluere debitum in defectum principalis, sicuti rectè contrà nonnullos tenet Petr. Nauar. *cit. cap.* 4. *num.* 150. & probatur, quia fideiubere 23
non est, nisi de alieni debiti solutione fidem suam interponere, siue alienam obligationem in suam fidem recipere; sed quilibet tenetur 24
naturali iure promissionis suæ fidem interpositam, & acceptam seruare, ergo, &c.

Quamuis in quatuor casibus secundùm Glos. 25
in §. si quid: Instit. eod. tit. possit fideiussor iure petere liberationem suæ fideiussionis; Primò

ſi ſic conuentum fuerit, vt ſcilicet elapſo certo tempore, vel cum fideiuſſor petit, fideiuſſione liberetur, *l. ſi pro ea*, *Cod. mandati.* Secundò, ſi debitor principalis bona ſua dilapidare incipiat, vt periculum fideiuſſori immineat, *cit. l. ſi pro ea*, *& l. lucius*, *ff. eod.* & ibi Gloſ. idem docet Abb. *in cap. vlt. de fideiuſſor.* ſi debitor in longinquas regiones diſcedat. Tertiò, ſi fideiuſſor longo tempore in obligatione manſerit quod tamen arbitrio Iudicis ex circumſtantiis æſtimandum eſt, *cit. l. Lucius*, & Gloſ. *ibid.* Quartò, ſi fideiuſſor ad ſoluendum condemnatus ſit poteſt, antequam ſoluat, contra debitorem principalem agere, vt ipſum liberet, & indemnem ſeruet, *cit. l. ſi pro ea*, *cit. l. Lucius*, *& l. fideiuſſor pro venditore*, *ff. eod. & cap. vlt. de fideiuſſor.* vbi Gloſ. *verb. ſi diù*, Abb. *in cap. conſtitutus*, *eod. tit. num.* 2. Syluest. *verb. fideiuſſor*, *quæſt.* 15. Gomez, *num.* 10. & Molin. *diſput.* 546.

26 Suppono ſextò, quod ordinariè quicumque principaliter obligatur, idem etiam fideiuſſor eſſe poteſt, *l.* 3. *ff. de fideiuſſor.*

27 Excipe mulierem, quæ ſi fideiuſſerit, opponere poteſt exceptionem Senatus-Conſulti Velleiani, quominùs ſoluere cogatur, *cit. l.* 3. & ibi Gloſ. *verb. mulierem*, *& tot tit Cod. ad Senatus-conſultum Velleian.* Quod etiam locum habet in conſcientiæ foro: cum id ob ſexus fragilitatem, cauſa boni publici, introductum fuerit, Abb. *in cap. quia plerique de immunit. Eccleſ. num.* 27. Gomez. *locò ſuprà cit. num.* 16. Molin. *diſput.* 540. & Leſſ. *cap.* 28. *num.* 25.

28 Quamuis ſi mulier per errorem ſoluit, creditor interim ſolutum, ſibi retinere poſſit, quia mulier tam naturaliter, quàm ciuiliter obligata erat; ſed, cum exceptio, quæ mulieri ex Velleiano Senatus-conſulto competit, perpetua, & fauorabilis ſit, mulier errore ſolutum condicere, & repetere poteſt, *l. qui exceptio-*

29 *nem*, *ff. de condict. indebiti*; vbi Doctores regulam tradunt, quod tutus exceptione perpetua, & fauorabili quocumque errore ſoluat, ſolutum repetere poſſit; non item ſi exceptio odioſa fuerit, vt in Senatus-conſulto Macedoniano.

30 Accedit, quòd *in l. antiquæ*, *§. vlt. ad Senatus-conſ. Velleian.* ſtatuitur, vt fideiuſſio mulieris ipſo iure nulla ſit, nullamque obligationem gignat, niſi publico inſtrumento cum teſtium ſubſcriptione confirmata fuerit; præterquàm, ſi mulier pretium pro fideiuſſione acceperit; quia tunc efficaciter obligatur, ſublato omni Senatus-conſulti priuilegio; ſiquidem tunc non ex leuitate, vel naturali fragilitate, ſed ex præmio conſequendo fideiuſſiſſe præſumitur.

31 Denique complures Doctores cum Gloſſa *in l. vlt. ff. & Cod. ad Velleian.* ſentiunt, & teſtantur ferè de praxi, quod mulier publico inſtrumento ſe obligans, exceptioni Senatus-conſulti Velleiani validè renunciet, modo ex certa cognitione, (v. g. à Notario prius ſatis inſtructa) id faciat Gail. *lib.* 2. *obſeruat.* 77. & Andr. Fachineus *lib.* 3. *controuerſ. cap.* 59. quamuis ſatis probabiliter Couarr. *in c. quamuis pactum*, *part.* 2. §. 3. *num.* 8. Gomez, *num.* 17. Molin. *diſput.* 540. & Leſſ. *cap.* 28. *num.* 16. teneant, quod mulier, ſpectato iure communi, beneficio Velleiano extra iudicium validè non renunciet, niſi præterea iuramentum, 32
cum plena ſui cognitione, accedat; ſiquidem eadem facilitate, qua ad fideiubendum adducitur, ad renunciandum etiam Velleiano adduci poſſet; ob quam eamdem rationem minor natu beneficio reſtitutionis in integrum renunciare non poteſt, poteſt autem maior factus, Doctores præcipuè Abb. *in cap. ſi diligenti*, *de foro compet. num.* 9.

His ſuppoſitis reſpondetur, &

Dico primò: Clericus, licet non poſſit fideiubere in præiudicium Eccleſiæ poteſt tamen fideiubere in præiudicium proprium; patet *ex ſuppoſito* 6. & ita conſuetudine obſeruatur; quamuis Clericus etiam tunc ex fideiuſſione non teneatur, niſi quatenùs commode ſoluere poteſt, ita vt non egeat, iuxta *cap. Odoardus*, *de ſolution.* vide Gomez, *num.* 18. Petr. Nauarr. *de reſtitut. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 173. & Leſſium, *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 18. vide etiam quæ dicam *tract. de iuramento cap.* 2 *dubit.* 23. 33

Dico ſecundò: Religioſus (licet ſi ſit Prælatus, & ſimus in re modica, poſſit fideiubere ſine Capituli conſenſu expreſſo; quia de huiuſmodi rebus diſponendi tacitum Capituli conſenſum habere cenſetur) tamen, ſi non ſit Prælatus, abſque licentia Prælati, & maioris partis Capituli fideiubere non poteſt: patet *ex cit. ſuppoſito* 6. *& ſuppoſito* 1. *Corollar.* 1. Quapropter, ſi talis Religioſus abſque licentia Prælati, & maioris partis Capituli fideiuſſerit, vel mutuum acceperit, Monaſterium tali fideiuſſione non obligatur, niſi quatenùs in eius vtilitatem quid verſum fuerit; Innocentius III. *in cap. quod quibuſdam de fideiuſſor.* Syluest. *verb. fideiuſſor*, *quæſt.* 3. *&* 4. Angel. *eodem verb. num.* 7. Molin. *tom.* 2. *diſp.* 540. *verb. Religioſus*, & Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 14. *num.* 38. 34

Et hoc dicendum eſt, quod (quotieſcumque perſona in poteſtate alterius conſtituta ſine iuſſu illius expreſſo, vel tacito contraxit) abſolute loquendo, licet non obligetur Prælatus ex contractu Religioſi, pater ex contractu filij, dominus ex contractu ſerui, &c. obligatur tamen, quatenus in vtilitatem ipſius aliquid verſum fuiſſe, demonſtratur; Innocent. *in cap. olim*, §. *item nondum*, *de priuileg.* Gabriel. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 8. *art.* 3. *dub.* 10. Angel. *verb. Monaſterium*, §. 1. & Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 31. *num.* 9. vbi docent, Monaſterium non obligari ex contractu, vel delicto Religioſi, niſi in quatuor caſibus. 35 36

Primò, ſi Religioſus communicato conſilio cum Prælato, & Capitulo delictum commiſit; quia delictum Prælati, & Capituli nocet Eccleſiæ, Gloſ. *in regul. delictum* 76. *in* 6. *argum. & cap.* 2. *de ordin. cognit.* 37

Secundò, ſi Religioſus adminiſtrationi præpoſitus aliquid egit, vel contraxit ſecundum limites commiſſionis, & officij; ſiquidem neque ex ipſius Prælati contractu Monaſterium obligatur, ſi limites ſuæ adminiſtrationis excedat; vt ſi pecuniam mutuò accipit ad res ſur- 38

p[illegible], vel etiam ad vanas. Secus, si accipiat ad subleuandam Monasterij necessitatem, sed postea, mutato consilio, malè expendat, Doctores, quos sequitur Sanch. *loco suprà cit. num.* 13.

39 Tertiò, si Religiosus in Academia, vel alibi cum licentia Prælati degens, sumptus faciat, vel pecunias mutuo accipiat, secundùm quantitatem ipsi destinatam. siquidem sic etiam de filio familias statutum reperitur *in l. sed Iulianus, §. proinde, ff. ad Macedonian.* & docent Doctores, quos sequitur idem Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 31. *num.* 15.

40 Quartò, si quid in rem, seu vtilitatem Monasterij versum fuerit, Doctores communiter.

Quid autem sit, aliquid in rem alterius versum esse?

41 Respondetur *ex l.* 3. *ff. de in rem verso*, esse, si quid v. g. Domino sit vtiliter comparatum, vel in eius quoscumque sumptus necessarios, aut vtiles expensum; vt, si triticum pro familia alenda sit comparatum, vel domini æs alienum solutum. Secus, si quid ad meram voluptatem pro domino sit impensum, nisi dominus in id ipsum consenserit, quamuis, si causa meræ voluptatis, seu ad solum ornatum quid fuerit insumptum & illud sine incommodo domini non mandantis impendi, separari possit, id ipsum fieri, dominus pati debeat, *l.* 3. *§. sed mutua ff. de in rem verso.*

42 Cæterùm non nudè, vtrùm res in substantiam domini versa sit, attendi debet, sed spectatis etiam impendiis; quia vtilitas, & lucrum non spectatur, nisi impendiis deductis. quare,

43 si seruus mutuam pecuniam accepit, & domino dedit, vt manumitteretur, pecunia non censetur in rem, seu vtilitatem domini versa, nisi quatenus excessit pretium iustum manumissionis; ideoque quatenus dominus ex pecunia serui ditior factus est, *l.* 2. *& 3. ff. eod. tit.*

44 Hinc (si quis famulo dedit pecuniam, qua vinum emeret pro familia, sed famulus, retenta pecunia contra domini voluntatem, vinum habita fide de pretio, loco domini accepit, & ad alendam familiam inuexit, postea verò cum pecunia fugit) venditor vini non potest contra dominium agere de in rem verso; quia dominus ex vino in familiam suam inuecto, ditior factus non est; cum pro vino pretium æquiualens dederit, *l.* 2. *ff. de in rem verso.*

45 (ex quo Doctores ibi regulam tradunt, non dici in rem alterius versum, quando is tantum dedit, quantum accepit) & *l.* 3. *ff.* eodem, vbi

46 expressè habetur, si seruus mutuam pecuniam accepit, & domino dedit, vt libertatem acciperet, pecuniam illam non censeri in rem domini versam, nisi quatenus forsan excessit iustum pretium manumissionis; quia vtilitas, seu lucrum non censetur, nisi deductis impendiis, vti dicebam.

Neque obstat, quod seruus vinum à venditore acceperit, quasi in rem domini versurus: non enim idcircò dominus tenetur; *cum æquum*

47 *non sit, vt vel credulitas creditoris domino obsit, vel calliditas serui noceat: quare curiosus creditor esse debet, quò vertatur, cit. l.* 3. *§. sed sic sic, ff. de in rem verso.*

Dices: saltem vini venditor agere poterit 48
contra dominum ex iussu.

Respondetur: nego antecedens; quia dominus non iussit, neque consensit, vt obligatio mutui, vel crediti contraheretur, sed vt pecunia præsenti emeretur; constat autem, mandatum non extendi vltra comprehensa in illo; quapropter Abb. *in cap. cum olim* 1. *num.* 4. *de* 49
offic. deleg. ait; quòd constitutus ad recipiendam pecuniam, non præiudicet domino, si confiteatur, pecuniam se recepisse; quia non ad confitendum, sed tantùm ad recipiendum constitutus fuit.

Accedit, quod si vini venditor sciuisset, 50
quale iussum famulus de emendo vino habuerit, & tamen pecunia credita vendidisset dominum ex iussu obligatum non haberet; ergo neque habet, cum ignorauit; quia, ignorantia non facit, maius iussum interuenisse.

Accedit secundò, quòd, cum vel venditor 51
vini, vel dominus pati debeat, potiùs pati debet, qui in culpa aliqua est, quàm qui in nulla, sed dominus in nulla culpa est (cum famuli opera vsus fuerit, de quo: sicuti suppono. nihil fraudis suspicari debebat) venditor autem vini est in aliqua culpa nimiæ credulitatis; cum nihil in iure, & praxi receptius sit, quàm, vt si quis iussum, vel mandatum alterius alleget, eius rei testimonium aliquod attendere debeat; alioquin (si mercatores famulis quibuscumque aliquid, tanquam ex iussu, mutuo, vel pecunia credita accipientibus credere, non ostenso ipsis mandato, securè possent) sexcentis fraudibus via aperiretur.

Quamuis alia ratio sit, si dominus procura- 52
torem domus constituerit generalem, cuius omnes negotiationes, & contractus ad familiam sustentandam ratos haberet; in quo casu etiam attendendum erit, num mandatarius mandati formam obseruet, eiusque fines non egrediatur, *l.* 1. *§. non autem, & §. si igitur, ff. de exercitatoria.*; quia in quocumque mandato, etiam generaliter dato, semper præsumitur mandatum id, quod est de consuetudine mandantis, *l. vniuersorum, ff. de pignorat. actione.*

His adde primò, quòd de seruis dictum est, 53
id hodiè ferè locum habere etiam in hominibus liberis famulatui alicuiùs addictis cum vicem illorum aliquo modo teneant, Doctores, inter quos Mynsinger. *institut. quod cum eo, qui in aliena potest. §. præterea.*

Adde secundò, eum, qui habet actionem, 54
quod iussu, vel exercitatoriam, & institoriam, posse etiam agere de in rem verso; quamuis stultè faciat, si omissa actione, per quam mox totum à domino propter voluntatem, & iussum eius consequi posset, adigat se ad difficultatem probandi, rem creditam in vtilitatem domini versam fuisse, vt non plus in iudicio consequi possit, quàm quantùm in vtilitatem domini versum fuisse, ostensum fuerit, §. *cæterum, instit. eod. tit.* vbi simili ratione dicitur, stultum etiam esse illum, qui omissa actione, v. g. institoria, qua totum consequi posset, experiri malit actionem de peculio, in qua probare debebit, seruum, aut filium familias peculium habere, & tantùm consequi, quantùm ex illo solùm solui possit.



DVBITATIO XXII.

An Clerici possint esse negotiorum gestores?

SVMMARIVM.

1. *Qui sine mandato pro absente negotium vtiliter gerit, is contra illum quamuis ignorantem, acquirit actionem, qua compellitur rem gestam ratam habere, & expensas necessarias, vel vtiles, & damnum, vel lucrum cessans, & laboris mercedem praestare.*
2. *Negotiorum gestorum actio competit etiam si negotij euentus infelix fuerit, dummodo negotij gestor prudenter, & vtiliter egerit.*
3. *Negotiorum gestor cogitur administrationis rationem Domino reddere, & si quid ipsius culpa, etiam leui, neglectum est, resarcire, nisi negotium desertum fuerit à nullo alio suscipiendum, quia tunc suscipiens non tenetur nisi de dolo, lata culpa.*
4. *Negotiorum gestor interdum tenetur ad exactissimam diligentiam ideoque tenetur de culpa etiam leuissima, si scilicet alter negotium diligentius acturus fuisset.*
5. *Negotiorum gestor ordinariè non tenetur de casu fortuito nisi in tribus casibus, & qui ij sint.*
6. *Fideiussor si pro principali debitum soluat, habet aduersus eum actionem ex mandato si fideiubere iussus fuit, actionem autem negotiorum gestorum, si ad fideiubendum sponte accessit.*
7. *Inuentor rei alienae licet mercedem tanquam iure sibi debitam petere non possit, si tamen rem inuentam ad Dominum pertulit, laboris huius mercedem iustam petere poterit.*
8. *Si quis ex pietate, vel mera liberalitate in alterum expensas fecerit, non potest postea mutato animo, actione negotiorum gestorum eas repetere.*
9. *Dominus si quid in curationem famuli aegrotantis liberali affectione impendit, non potest postea de constituta mercede id detrahere; quia iam donauit: Secus, si à principio protestatus sit, vel aliter ex indicijs colligatur.*
10. *Salarium constitutum Aduocato, repeti potest ab haeredibus eiusdem mortui, quia per eum non steterat quominus causam ageret; idque statutum est fauore publici vtilissimi muneris.*
11. *Amplia id locum etiam habere in professore scientiarum, nisi pactum, vel consuetudo aliud requirat.*
12. *Mater, & Auia praebentes alimenta filio, vel nepoti, si nihil protestentur, neque contrarium ex circumstantiis colligi possit, censentur ex pietate, vel affectu materno, non animo repetendi praebuisse: Secus, si circa alias res liberorum expensas fecerint.*
13. *Referuntur circumstantiae vnde colligi potest, alimenta à supradictis data fuisse animo repetendi.*
14. *Vitricus Priuigno in dubio non praesumitur alimenta praebere gratis, sed animo repetendi, si Priuignus bona propria habeat quapropter ad Priuignum pertinebit probare alimenta praestita sibi fuisse affectu paterno.*
15. *Vitricus à Iudice cogi potest vt iuret se alimenta praestitisse animo repetendi.*
16. *Priuignus si in seruitio Vitrici fuit, alimenta à Priuigno repetere non poterit Vitricus.*

RESpondetur de hac re quid dicendum sit, patet ex dictis *dubit.* 17. *&* 21. *praecedenti*; siquidem, qui sine mandato absenti negotium vtilitèr gerit, is contra illum, quamuis ignorantem, acquirit actionem, qua compellitur rem gestam ratam habere, & expensas necessarias, vel vtiles, & damnum, vel lucrum cessans, & laboris mercedem praestare, *l.* 2. *& tot tit. ff. de negot. gestr.* Quod vtilitatis causa introductum est, *§.* 1. *instit de obligat. quae ex quasi contract. nascuntur.* ibi: *ne absentium desererentur negotia, quae sanè nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem,* &c. Et competit actio negotiorū gestorum, etiam si negotij euentus infelix fuerit, dummodo negotij gestor prudenter, & vtiliter egerit, *l. sed an, §. is autem, ff. de negot. gest.* v. g. si equum alicuius de manu furis, vel militis, tanquàm illius negotium gesturus, exiguo pretio redimas, sed dum equum ad Dominum reducis casu perit, adhuc pretium, & expensae tibi debentur, *l.* 2. *ff. eod.* & docent Doctores, quos sequitur Med. *lib.* 1. *instruct. cap.* 14. *§.* 30. *reg.* 4. 1 2

E contra negotiorum gestor cogitur administrationis rationem Domino reddere, & si quid ipsius culpa, etiam leui, neglectum est, resarcire, nisi negotium desertum fuerit, à nullo alio suscipiendum; quia tunc suscipiens non tenetur, nisi de dolo, & lata culpa, *l.* 3. *§. interdum, de negot. gest.* & Glos. ibidem; quamuis interdum negotij gestor teneatur ad exactissimam diligentiam, ideoque teneatur de culpa, etiam leuissima, si scilicet alter negotium diligentiùs acturus fuisset, *l. si pupillo, §. videamus, ff. eod. & §.* 1. iuncta Glos. *verb. ad exactissimam, instit. de obligat. quae ex quasi contr. nascuntur.* 3 4

De casu autem fortuito negotij gestor ordinariè non tenetur; nisi in tribus casibus, Primò, si Dominus illum admonuit, ne sua negotia, nisi tali conditione adeat, vt ad casum etiam fortuitum teneatur, *l. negotium, Cod de negot. gest.* & ibi Glos. Secundò, si negotij gestor sua culpa causam praestitit, vt res fortuitò periret, quae alioquin non periisset, *l. fine ff. eod.* Tertiò, si quis nomine absentis nouum, & insolitum negotium, quod scilicet ille nunquam agere consueuerat, aggressus sit, v. g. negotiationem; quia tunc etiam de casu fortuito tenetur, *l. si negotia, ff. eod.* & tradunt Glos. ibid. *verb. sit solitus,* & Molin. *tom.* 2. *disp.* 553. *& seq.* 5

Ex his sequitur primò, quod fideiussor, si 6

[illegible] pali debitum soluit, habet aduer- [illegible] ex mandato, si fideiubere [illegible] actionem autem negotiorum gesto- [illegible], [illegible] ad fideiubendum sponte accessit, *l. sed* [illegible] *ff. de negot. gestis.*

7 [illegible]equitur secundò, quòd (licet rei alienæ [illegible]tor inuentionis mercedem, tanquam [illegible] sibi debitam petere non possit, vti colligitur *ex l. falsum, §. qui alienum, ff. de furtis, ibi: qui alienum quid iacens lucri faciendi causa sub-stulit, furti obstringitur;* & videri potest Rebell. *lib. 17. quæst. de negot. gestis, num. 15.*) tamen, si rem inuentam ad Dominum pertulit, laboris huius mercedem iustam petere poterit; quia licet teneatur ex iustitia rem inuentam Domino suo restituere, *c. si quid inuenisti, 14. quæst. 5.* non tamen tenetur deferendi laborem, & expensas donare, Couarr. *reg. peccatum, part. 2. §. 3. num.* [illegible] & alii passim.

8. [illegible] si quis ex pietate, vel mera liberalitate [illegible] alterum expensas fecit, non potest [illegible] animo, actione negotiorum [illegible] repetere, *l. 1. & l. si alimenta,* [illegible], v. g. si quid in curatio-

9 [illegible] famuli ægrotantis liberali affectione impendisti, non potes postea de constituta mercede id detrahere; quia iam donasti: Secus, si a principio protestatus sis, vel ex indiciis colligi possit, non habuisse te animum donandi, sed repetendi: non enim Dominus tenetur ex lege iustitiæ famulo ægrotanti, & ea, ad quæ conductus est, non præstanti, præbere expensas, vel salarium, *l. si vno, §. item cum, ff. locati*, & docet Glos. *ibi, verb. personis*, Sylvest. *verb. familia, quæst. 2.* Couarr. *3. resol. cap. 13. num. 8.* Molin. *disp. 554. circa fin.* Dirz. *lib. 1. pract. 99. quæst. 8. §. 2. concl. 10.* & Sa *verb. conductor, num. 5.* præterquàm, si loci consuetudo sit, vt Dominus famulo ægrotanti nihil de annua mercede diminuat.

10 Dices, *in l. 1. §. Diuus, ff. de var. & extraordinar. cognition.* habetur, salarium constitutum repeti posse ab hæredibus aduocati mortui, quia per eum non steterat, quominùs causam ageret.

Respondetur cum Glos. *ibi, verb. repeti*, & Couarr. *cit. num. 8.* id priuilegio, ac fauore publici vtilissimi muneris statutum esse; & locum etiam habere in professore scientiarum ob legitimum impedimentum non docente; 11
Glos. *ibidem.* & Gail. *lib. 1., obseruat. 44. num. 13.* nisi pactum, vel consuetudo aliud requirat.

His adde, quod Mater, & Auia præbentes 12
alimenta filio, vel nepoti, si nihil protestentur, neque contrarium ex circumstantiis colligi possit, censentur ex pietate, vel affectu materno, non animo repetendi præbuisse, *l. Nesennius, ff de negot. gestis, & l. alimenta, Cod. eod.* Secus, si circa alias res liberorum expensas fecerint. Porrò circumstantiæ, vnde 13
colligi possit, etiam alimenta eis data fuisse animo repetendi, sunt hæ: Prima, si liberi propriis bonis abundent, & in liberos facti sint maiores sumptus, quàm matris, & auiæ facultates ferre videantur: secundò, si mater, & auia bona filiorum penes se habeant; quia tunc ex iis bonis alimenta præbere præsumuntur; Vitricus autem Priuigno, in dubio 14
non præsumitur alimenta præbere gratis, sed animo repetendi, si priuignus bona propria habeat, sicuti colligitur *ex l. si paterno Cod. de negot. gestis*; quapropter ad priuignum pertinebit probare, alimenta præstita sibi fuisse affectu paterno, Glos. *in cit. l. si paterno, verb. repetiturus*, Rebell. *loc. cit. num. 6.* & Molin. *cit. disp. 554. ad fin.* vbi subdit, in tali dubio Vitricum à Iudice cogi posse, vt iuret se ali- 15
menta præstitisse animo repetendi. Cæterum, si priuignus in seruitio Vitrici fuit, alimenta 16
à priuigno vitricus repetere non poterit, Glos. *cit. eod. verb. repetiturus.*

Dixi de Parlamento, provt Parlamentum stat pro Curia suprema, vt Parisiensi, & simili; nunc dicam de Parlamento, provt Parlamentum stat pro Congregatione Procerum Regni, vt in Regno Neapolis, & Siciliæ; Et primo de causa efficienti, seu de conuocante tale Parlamentum: Secundò de causa materiali, seu de Parlamentariis intrantibus tale Parlamentum: Tertiò de causa formali, seu de forma talis Parlamenti: Quartò de causa finali, seu de donatiuis, & gabellis, de quibus tractari solet in tali Parlamento.



CAPVT II.

DE CAVSA EFFICIENTE PARLAMENTI, Seù de Rege conuocante Parlamentum.

DVBITATIO I.

An conuocare Parlamentum generale ſpectet ad Regem;

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum generale conuocare ſpectat ad Regem.*
2. *Concilium generale conuocare propter bonum commune Eccleſiæ ſpectat ad Papam.*
3. *Eccleſiæ bonum commune procurare ex officio ſpectat ad Papam.*
4. *Concilium generale conuocare ſpectat ad eum, qui nationum omnium Epiſcopis imperare poteſt, hic autem eſt ſolum Romanus Pontifex, tanquam aliorum Epiſcoporum, totiuſque Eccleſiæ Caput.*
5. *Parlamentum generale conuocare ſpectat ad Regem, qui imperare poteſt omnibus Baronibus Regni.*
6. *Legatus à latere licet habeat ampliſſimam poteſtatem non poteſt tamen conuocare Concilium generale, ſicut etiam pro Rex non poteſt conuocare generale Parlamentum Regni.*
7. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*
8. *A cenſuris abſoluendi conceſſa facultas non extenditur ad cenſuras in Bulla Cœnæ Domini comprehenſas.*
9. *A cenſuris in Bulla Cœnæ Domini comprehenſis abſoluendi conceſſa facultas non extenditur ad cenſuram propter hæreſim, niſi ſpeciatim explicetur.*
10. *Concilium generale ſicut aliquando conuocatur ſine Papa vrgente ſcilicet neceſſitate; ita Parlamentum generale, ſi res non patiatur dilationem, conuocari poteſt ante Regis intimationem.*
11. *Princeps ſubditus, ſi ſcilicet vrgeat neceſſitas, & ſupremus Princeps apud quem belli, & pacis ius extat, longe abſit, neque ad eum recurſus facile haberi poſſit, poteſt bellum ſaltem defenſiuum inſtituere, quamprimum id ſupremo Principi ſignificaturus.*
12. *Epicheia, quotieſcumque ratio ſuadet in legibus obſeruari debet, imo ipſa lex hic & nunc quando ratio id ſuadet ſeruanda non eſt: idque fuiſſe vſu receptum Auctor teſtatur in Parlamento Regni Neapolis.*



Eſpondetur affirmatiuè, & probatur à pari, quia conuocare Concilium generale propter bonum commune Eccleſiæ, ſpectat ad Papam: ergo conuocare Parlamentum generale propter bonum commune regni, ſpectat ad Regem. Antecedens patet *ex c. ſignificaſti de elect. & diſt.* 17. *per tot. in decret.* & habetur ex praxi, & traditione Eccleſiæ: Sic enim teſtatur Iulius Papa apud Athanaſ. *Apol.* 2. Socrat. *lib.* 2. *cap.* 13. Sozom. *lib.* 3. *cap.* 7. *&* 9. & Nicephor. *lib.* 9. *cap.* 10. ſic etiam teſtatur Damas Papa, *epiſt.* 4. *ad Epiſcopos Affricanos cap.* 1. & Lucent. Legat. Roman. *in Calcedonenſi Concilio act.* 1. ac tandem ſic etiam teſtantur Patres *in Concil. Occu-*

... ad. 18. & ratio est, quia ad Papam spe-
ctat ex officio bonum commune Ecclesiæ pro-
curare; tum quia Concilium generale conuo-
4 care spectat ad eum, qui nationum omnium
Episcopis imperare potest; hìc autèm est solus
Romanus Pontifex, tanquam aliorum Episco-
porum, totiusque Ecclesiæ caput; sicut eum
appellatum reperies *in Concilio Ephesino genera-
li tom. 2. cap. 15. & in Calcedonensi act. 1. & in
eadem act. 3. in epistola synodica ad Leonem I.*
ergo, &c. Consequentia probatur à pari, quia
sicut bonum commune Ecclesiæ procurare, ex
officio spectat ad Papam, ita bonum commu-
ne regni procurare, ex officio spectat ad Re-
gem; tùm quia sicut conuocare Concilium ge-
nerale spectat ad Papam, qui potest imperare
5 Episcopis omnium nationum ita conuocare Par-
lamentum generale spectat ad Regem, qui im-
perare potest omnibus Baronibus regni. Vide
Caiet *in opusc. de Author. Papæ, & Concilij, cap.
15. & 16.* Belarmin *de Concil. lib. 6. cap. 12.*
& Bellugam *in specul. Principum Rubr. 1.
num. 3*

6 Hinc sequitur, quòd licèt Legatus à latere
habeat amplissimam potestatem, vti notauit
Cucchus *in Instit. lib. 2. de Legat. Apostol. tit. 5.*
& habeat etiam amplissimam potestatem
Prorex, vti notauit Freccia *de subfeud. lib. 2.
tit. Quis dicatur Dux*, *num. 33.* & Regens de
Ponte, *de potestat. Proregis in princip.* iis tamen
non censetur collata potestas conuocandi Con-
cilium vel Parlamentum generale quia per
talem potestatem huiuscemodi personis con-
cessam, non intelligitur concessa potestas alta,
vide Caietan. *citat. cap. 15.* Belarmin. *de
Concil. lib. 1. cap. 12.* Couarruuiam *pract. quæst.
cap. 4* & Pellugam *loc. supra cit.*

7 Et ratio sumitur *ex regul. 81. in 6.* vbi ha-
betur, quod in generali concessione non ve-
niunt ea quæ quis non esset verisimiliter in
8 specie concessurus, Quapropter dicitur, quòd
in priuilegio seu facultate absoluendi ab om-
nibus censuris, non censentur comprehendi
censuræ in Bulla Cœnæ Domini, nisi exprimàn-
9 tur, & in priuilegio, seu facultate absoluendi
à censuris in Bulla Cœnæ Domini, non cense-
tur comprehensa censura proptèr hæresim, nisi
speciatim explicetur, quia inter censuras in
genere, censuræ in Bulla cœnæ Domini, &
inter censuras in Bulla cœnæ Domini censura
propter hæresim peculiarem reseruationem ha-
bere solent, propter rationem iàm dictam;
atque sic etiam praxis, & stylus Curiæ Romanæ
ostendunt, & ex communiori docent Suarez
de censur. disput. 22. sect. 3. num. 3. Sanc. *lib. 2.
moral. cap. 12.* & Layman *lib. 6. tract. 5. p. 2.
cap. 5. num. 3.* etsi alij nonnulli contrarium
sentiant.

10 Aduerte tamen, quòd sicut aliquando (si
scilicet vrgeat necessitas) conuocatur Conci-
lium generale sine Papa, qua de re Caietan.
vbi supra, & Bellarmin. *cap. 14.* ità similiter,
si vrgeat necessitas, idest, si res non patiatur
dilationem, quia periculum est in mora, con-
uocari potest ante Regis intimationem Parla-
mentum generale, scilicet à Prorege, præser-
tìm ad instantiam maioris partis Baronum;
quin etiam, & iis negligentibus, ad instan-
tiam cuiuscumque Baronis; videatur Belluga
loco supra cit. num. 4. & sequent. & Abbas *in c.
cum olim num. 2. de testament.*

Adde, quòd in dicto casu, si scilicet vrgeat 11
necessitas, & supremus Princeps, (apud quem
belli, & pacis ius extat, ex Augustin. *lib 2.*
contra Faustum *cap. 74 & 75. in c. quid culpa-
tur 23. quæst. 1. & ex l. extat, Cod. de eo, quod
metus causa*) longè absit, nec ad eum recursus
facile haberi possit, potest Princeps subditus
bellum, saltem defensiuum, instituere, quàm-
primùm id supremo Principi significaturus, vt
rectè dixit Lælius Zechius *lib. 1. de Principe cap.
5. num. 4.* & ratio est, quia sic in tali casu ex-
postulat bonum commune; videatur Caietan.
vbi supra, Bellarmin. *cap. 14.* Abb. *in citat c.
cum olim*, Bellug. *num. 4. & seqq. vsque ad fin.*
& Decius *in c. licèt de euit. elect. num. 19.*

Nec id mirum videri debet, quia regula ge- 12
neralis patitur exceptionem, quotiescumque
ita ratio suadet; Vndè in constitutionibus
Principum Epicheia ortum habuit. vt si scili-
cet obseruatio legis hìc, & nùnc in aliquo casu,
finem legis extirpet vel Reipublicæ obsit, hìc,
& nùnc in tali casu lex obseruari non debeat,
atque ita *in 5. & 6. Ethicor.* tradit Aristot. quem
ad hoc probandum citat Caietan. *loco cit. cap.
15. in princ.* & ita etiam habetur *in l. 1. ff. de
regul. Iur.* vbi id notànt communitèr Docto-
res.

Confirmatur, quia sic fuit in praxi receptum
Anno 1524. (vt in Capitulis, & Priuilegiis
Neapolis *fol. 81.* à tergo videre est) & anno
1621. in Parlamento generali extraordinario
cònuocato ab eminentissimo Cardinali Zap-
pata Regni Neapolis Prorege, nec non in aliis
multis generalibus Parlamentis.

Confirmatur secundò, quia sic practicatur
in Regnis Hispaniæ: ergò multò magis sic
practicari debet in Regno Neapolis, & aliis
Regnis, in quibus, cùm à Rege suo multùm
distent, non est ita facile accessus ad ipsum
Regem, sicuti est in Regnis Hispaniæ.



DVBITATIO II.

*An, si Rex in Parlamenti conuocatione atte-
statur, se esse in necessitate ad subuenien-
dum sibi, vel bono communi, creden-
dum ipsi sit in dubio à Consiliariis, &
Parlamentariis?*

SVMMARIVM.

1. *Regi credendum non est, si euidenter constet
veritate in oppositum contra Regem.*
2. *Regi in dubio credendum est ob eius auctorita-
tem, secus si veritas liqueat, cum veritati
præsumptio cedat.*
3. *Regi credendum non est, etiamsi moraliter
constet de veritate in oppositum contra Re-
gem.*

4. *Contra Iuris præsumptionem admittitur probatio in contrarium.*

5. *Regi credendum non est in casu, quo neque euidenter, neque moraliter constet de veritate in oppositum contra ipsum, præsertim si Regnum sit tributis nimis grauatum, & Regis attestatio de necessitate non sit adminiculata.*

6. *Regi non creditur in præiudicium Tertij, sed requiruntur tunc alia adminicula.*

7. *Census ignorantia, id est, cuius causa iusta ignoratur, nullo iure diuino, vel humano probatur, quod intelligas de censibus nouiter impositis, vel de imponendis; nam de antiquis præsumitur iusta causa, licet non sciatur.*

8. *Causa nouarum Impositionum imponendarum, non est necessarium quod sit nota omnibus, & singulis dè Populo; sed sufficit quod sit nota Principi, & Consiliariis eius, & Procuratoribus Regni, vel aliis, ad quos pertinet iustitiam tributi examinare.*

9. *Rex potest ex causa rem vnius alteri dare, & locum Reipublicæ communem sine populi consensu in vsum proprium assumere, & suum contractum, & priuilegium etiam renumeratorium à se datum reuocare &c. Cum autèm requiritur causa iusta vt aliquid facere possit, non est ei credendum dicenti esse causam iustam, nisi appareat.*

10. *Inferior non tenetur in dubio credere Superiori, si de proprio, vel alieno præiudicio tractetur.*

11. *Inferior non tenetur obedire superiori in dubio, quod opus, quod ipsi superior præcipit, sit licitum; vel in dubio quod præceptum superioris hic, & nunc sit obligatorium.*

12. *Item in dubio, si superior interroget iuridice id est, ordine iuris seruato, non tenetur subditus respondere ad mentem superioris interrogantis, & crimen ei fateri.*

13. *Item in dubio, an Vectigal sit iustum, non tenetur subditus ad soluendum illud, nisi subdito constet, saltem moraliter iustum illud esse ex omni capite.*

14. *Consiliarij, & Parlamentarij, seu qui intrant in Parlamentum ad donatiuum determinandum, non se habent in ordine ad Regem tanquam subditi ad superiorem, cui in dubio se informare licite possunt; sed se habent tanquam iudice ab ipso Rege ad donatiuum determinandum constituti, atque potius velut superiores, quibus Rex in tali casu se conformare desiderat.*

15. *Consiliarij, & Parlamentarij antequam determinent donatiuum, ex officio tenentur prius diligenter perpendere omnia, si velint non temere agere, & populo iniuriam non irrogare, atque ideo si velint ad restitutionem non teneri, si forte à parte rei non subsit iusta causa determinandi tale donatiuum.*

16. *Minister Iustitiæ sententiam, & miles in dubio iustitiæ belli exequi, & militare possunt sine peccato; quia ad eos non pertinet causas examinare; ac secus dicendum est de Consiliariis, & Parlamentariis determinantibus donatiuum, cum ibi sint tanquam Iudices.*

17. *Consiliarij, & Parlamentarij in casu recensito cum sint tanquam Iudices, non sufficit si sequantur opinionem probabilem, sed tenentur sequi probabiliorem, & rationibus fortioribus munitam.*



Onueniunt primò Doctores infrà ci-
tandi, quòd, si euidentèr constet de 1
veritate in oppositum contrà Re-
gem, credendum Regi non sit: ratio
quia in tantùm Regi, si se esse in necessitate at-
testetur, credendum est, in quantùm, in dubio 2
pro ipso, cum tantæ auctoritatis sit, præsumi
debet; At in casu posito, euidenter constat de
veritate in oppositum contrà Regem, & ex alio
capite veritati præsumptio cedit: ergò.

Conueniunt secundò Doctores etiam in-
frà citandi quod si vel moralitèr, constet de- 3
veritate in oppositum contra Regem, cre-
dendum etiam Regi non sit, ratio, quia in
tantùm Regi, si se esse in necessitate atteste-
tur, credendum est, in quantùm in dubio pro 4
ipso, cùm tantæ auctoritatis sit præsumi debet,
vti dicebam; & contrà præsumptionem iuris,
admittitur probatiò in contrarium, vt in spe-
cie tradunt Soccin. *lib. 2. cons. 164.* & Menoch.
de Præsumption. lib. 2. præsumpt. 10. num. 31.
ergó.

Tota igitur diffidultas est, si Regi creden-
dum sit in casu, quòd neque euidentèr, neque
moralitèr constat de veritate in oppositum con-
trà Regem; & in tali casu.

Respondetur negatiuè (præsertìm, si Regnum
sit tributis nimìs grauatum:) & probatur, 5
quia si soli attestationi Regis, remotis aliis
adminiculis, vel coniecturis pro Rege, creden-
dum esset in dubio à Consiliariis, & Parlamen-
tariis, aperiretur via ad maximum inconue-
niens cum maximo boni communis præiudicio,
vt scilicèt quàm facile multiplicentur donatiua
in perniciem Regni, prætextu necissitatis
Regis; & quamuìs hoc inconueniens cesset
in præsenti ob Religionem, & integritatem ex-
actam nostri Regis Dei gratia viuentis, tamen
quia semper extirpanda sunt, & præcauenda,
quæ ducere possunt ad inconueniens, præsertìm
in damnum boni communis, ideo Consiliariis,
& Parlamentariis in dubio ad credendum Regi
non sufficere solam Regis attestationem, di-
cendum èst: ex quo enim agitur de totius
Regni, vel alterius communitatis, tàm magno
interesse, & præiudicio, præter Regis attesta-
rionem alia adminicula concurrant, necesse
est; atquè ità docent Dec. *cons. 576. num. 13.*
Ferdin. Loazes pro Marchione de las Velez
in 3. fundamento pro dicto Marchione *num. 6.*
Calic. *in extrauag. Cur. Real. 191.* Pinell. *in
Rubr. Cod. de rescind. vendit. 1. p. cap. 3. num.
3.* Felin. *c. cum à nobis num. 1. & 2. de test.*
Guttier. *Pract. quæst. lib. 4. quæst. 11. num. 24.*
Gess. dec. 131. *quæst. 1. vol. 2. num. 12. & seqq.*
quos refert, & sequitur Ferrer. *ad constitut.
hac nostra euidentia, 3. num. 42. col. mihi
61.*

Idem docent quamplures alij Doctores, quos
refert, & sequitur Io. Maria Noauarius *tom. 3.* 6
de Grauam. Vassallor. grauam. 39. vbi genera-
liùs ait, non credi Regi in præiudicium tertij,
sed requiri tunc alia adminicula.

Idem docet Suarez *lib. 5. de legib. cap. 15. ex*
7 *c. Peruenit, de censib.* vbi dicitur, ad iustitiam
censuus requiri causam esse notam quia ignoratur
census, vt ibidem dicitur, idest cuius
causa iusta ignoratur, vt exponit Glos. nullo
iure Diuino, vel humano probatur, & ideò
inquit ibi Pontifex, oportet vt census omnis
ad quid, & quomodo persolui debeat, præsciatur
quod intelligendum est de censibus nouiter
impositis, vel de imponendis, vt ibi notat
Glos. nam de antiquis præsumitur iusta causa,
licet non sciatur) ex quo deducit Suarez, idem
8 dicendum esse de Donatiuis, Impositionibus;
& si subdat, in imposionibus nouis non esse necessarium,
vt causa sit nota omnibus, & singulis
de Populo; necessarium tamen esse, vt sit
nota Principi, & Consiliariis eius, & Procuratoribus
Regni, vel aliis ad quos pertinet iustitiam
Tributi examinare, quia nisi Principi
iustam interuenire causam innotescat, vel probabilibus
rationibus, aut fide digna authoritate
Consiliariorum persuadeatur, non poterit
iuste Tributum exigere, quia temerè agendo
Ius non habet exigendi; atque adeò, quod sic
exegit, retinere non poterit, nisi posteà examinata
causa, inuenerit iustum fuisse Tributum.

9 Idem tradit Emanuel Sà sub istis verbis: potest
Rex ex causa vnius alteri dare, & locum
Reipublicæ communem sine Pòpuli consensu
in vsum proprium assumere, & suum contractum,
& priuilegium, etiam remuneratorium,
à se datum &c reuocare; Cum autem requiritur
causa iusta, vt aliquid facere possit, non
est ei credendum, dicenti esse causam iustam,
nisi appareat.

Confirmatur, quia quamplures, & graues
Doctores (vt videre est apud Less. *lib. 2. de
Iustit. & Iur. cap. 31. dub. 3. & cap. 33. dub.*
10 *8. & cap. 41. dub. 9.*) generaliter docent quòd
inferior non tenetur in dubio credere superiori,
si de proprio, vel alieno præiudicio tractetur,
verbi gratia non tenetur inferior obedire
11 Superiori in dubio, quòd opus, quod ipsi Superior
præcipit sit licitum; vel in dubio, quòd
præceptum Superioris hic & nunc sit obligatorium;
sed vt ad id obligetur subditus, debet
subdito constare, saltèm moralitèr, opus, quod
præcipit ipsi Superior, esse licitum, & præceptum
Superioris hìc, & nunc esse obligatorium.

12 Itèm in dubio, si Superior interroget iuridicè,
idest ordine Iuris seruato, non tenetur subditus
respondere ad mentem Superioris interrogantis,
& crimen ei fateri (idque siuè subditus
interrogetur, vt Reus, & sic vt principalis, siuè
etiam interrogetur, vt testis, & sic, non vt
principalis) sed vt ad id obligetur subditus,
debet subdito constare, saltèm moralitèr, quod
Superior interroget iuridicè, seù quod Superior
habeat authoritatem hìc & nunc obligandi
subditum ad talem actum.

13 Item in dubio, an Vectigal sit iustum, non
tenetur subditus ad soluendum illud, nisi subdito,
constet, saltèm moralitèr, iustum illud
esse ex omni capite, scilicèt ex parte causæ efficientis,
finalis, formalis, & materialis, iuxtà
ea, quæ dicuntur *in tractatu de Gabellis*.


Hæc omnia generalitèr docent quamplures,
& graues Doctores, vt notauit Lessius *locis
supra cit.* & nos infra in suis locis dicemus; Si
ergo non tenetur subditus in dubio credere Superiori,
si agitur de præiudicio proprio, vel
alieno, multò magis non tenebitur in dubio
Consiliarius, & Parlamentarius credere Regi,
si agitur de præiudicio proprio & totius communitatis;
præsertim quia Consiliarij, & Par- 14
lamentarij, seù qui intrant in Parlamentum ad
Donatiuum determinandum, non se habent in
ordine ad Regem, tanquam subditi ad Superiorè,
cui in dubio se conformare licitè possent,
sed se habent, vt infra suo loco dicetur, tanquàm
Iudices ab ipso Rege ad Donatiuum determinandum
constituti atque adeò quodammodo
vt Superiores, quibus potius Rex in tali
casu se conformare desiderat: ergo ipsi, antequam
illud determinent, ex officio tenentur 15
prius diligentèr perpendere omnia; si velint,
vt rectè notauit Suar. *locis suprà cit.* non temerè
agere, & populo iniuriam irrogare, atquè
adeò si velint ad restitutionem non teneri; si
fortè à parte rei non subsit iusta causa determinandi
tale Donatiuum, quod ipsi in Parlamento
determinant: omne enim damnum malà
fide illatum, exigit iustitia compensari.

Atquè hìnc patet disparitas ad illud, quod 16
obiici potest de ministro Iustitiæ & de milite;
quòd scilicet Minister iustitiæ in dubio, nùm
sententia sit iusta, possit illam sine peccato exequi;
& quòd miles (siuè sit subditus, siuè
non subditus, dummodò sit conductus tempore
pacis, vt docet communior opinio, vel etiam, si
non sit conductus tali tempore, sed sit quandocumque
voluntarius vt docent Petr. Nauarr.
de restitut. lib. 2. cap. 3. num. 278. Suar. *tract.
de charit. disput. 13. sen. 6. num. 11. & 12.*
Ianner. *in 2. 2. disput. 2. quæst 6. dub. 4. num.
49.* & si de omni milite, etiam subdito, non
improbabilitèr, quòd scilicet non possit in dubio
militare, ex eo, quia in dubio tutior pars
præsertim si de præiudicio communitatis tractetur,
sit eligenda, sentiant Vasquez *p. 2. disp.
66. cap. 9.* & Lorca *in 2. 2. sect. 3. disput. 53.
num. 7.* Et quòd miles, inquam, in dubio, num
bellum sit iustum, possit sine peccato militare,
patet disparitas; quia nec Minister iustitiæ, nec
miles (siuè sit subditus, siuè non subditus; etsi
non subditus, siuè sit stipendiarius tempore
pacis, siuè non stipendiarius tali tempore, sed
sit voluntarius) non se habet vt Iudex, vel
Consiliarius, sicut se habent Parlamentarij in
nostro casu; quapropter rectè aiunt Doctores,
quos citat, & sequitur Ioan. de la Cruz *par.
1. punct. 5. art. 3. dub. 2. conclus. 2.* quod miles
quicumque dubitans de iustitia belli, potest
sine peccato militare; quia ad militem, si alias
non sit Iudex, vel Consiliarius, non attinet
examinare causas belli; sicque potest argumentum
retorqueri.

Hinc Consiliarij, & Parlamentarij notent,
quòd multò melius ipsis esset furari à priuata
persona, quàm à Republica; quia si à Republica
furentur, ordinariè maius damnum
infertur, Bellug. *rubr. 43. ad fin.* & alij passim.

Notent secundò quod cum ipsi se habeant vt 17

Iudices, non sufficit, si sequantur opinionem probabilem, sed in conscientia tenentur sequi sententiam probabiliorem, & rationibus fortioribus munitam, Vasquez *in opuscul. de Restitut. cap. 6. §. 3. num. 76. & 86.* qua de re tamen vide, quæ dicebam *tract. 2. dubit. 2.*



Objectiones.

SVMMARIVM.

1. *Regi, cùm attestatur de facto proprio credi quidem debet, si non agatur de præiudicio, & interesse alterius; at si agatur de interesse alterius, præsertim Communitatis, credi non debet nisi pro Rege alia adminicula, & coniecturæ adsint.*
2. *Regi non credere si forsan verum est quod de sua necessitate attestatur, est exponere periculo bonum commune; sed remoto non proximo, si pro eius necessitate non adsint alia adminicula.*
3. *Regis necessitas verè potest contingere, & causa necessitatis, (quandoque non expediri) vt sciatur; attamen id est raro, & per accidens; sed quod est vt plurimum & per se attendi debet præsertim in casu nostro.*
4. *Dicta de Rege attestante suam necessitatem habent locum multo magis in attestatione Proregis, cum ipse non sit tantæ auctoritatis, sicut Rex.*
5. *Dicta de Rege, & de Prorege attestante necessitatem Regis, quod scilicet in dubio eis credendum non sit &c. Intelligas etiam in casu de euidentia belli & sic de euidentia necessitatis Regis pro tali bello, si tamen dubium est de iustitia belli & non adsint alia adminicula pro Rege quod bellum illud iustum sit.*

1 Bijcies ex Capillanco *de offic. Baron. pragm. 1. cap. 1. num. 17.* Thom. Grammat. *dec. 65. num. 3. & dec. 105. num. 9.* Laderchio *cons. 145. num. 2.* Cardin. Paris. *tom. 1. consil. 1. num. 41.* Rotand. à Valle *lib. 2. cons. 1. num. 98.* Oldrad. *cons. 258.* Alex. *lib. 2. cons. 216.* Ceuall. contra commun. *578. num. 26.* Bobadilla *in polit. tom. 2. lib. 5. cap. 5. num. 11.* Corsett. *in propugn. Vectig. fol. 46.* Regen. de Neapol. *in alleg. pro eodem vectig. fol. 5.* Gloritio *in respons. 1. par. 3. num. 131. & seqq.* Rastellio *lib. 3. de Regim. Princip. fol. 30.* Diana *tom. 1. tract. 3. de Parlament. resolut. 11.* & aliis, quos citat, & sequitur Barbos. Vnicuique, cum attestatur de facto proprio, credi debet: ergò multò magis Regi ob illius superexcellentem authoritatem ob quam in dubio semper præsumitur in Rege iustitia causæ.

Respondetur, Regi, cum attestatur de facto proprio, credi quidem debere, si non agatur de præiudicio, & interesse alterius; ac si agatur de interesse alterius, præsertim Communitatis, credi non debere (nisi pro Rege alia adminicula, & coniecturæ adsint) præsertim ab eo, qui se habet, vt Iudex, vel Consiliarius, vti suprà probabam.

Instabis. Exponeretur periculo bonum commune, si forsan verum esset, & non crederetur, quod Rex attestatur. 2

Respondetur, exponi bonum commune periculo proximo (quod in moralibus consideratur) si pro Regis necessitate alia adminicula adsint, aliàs nego, bonum commune tali periculo exponi; & si exponitur, ad summum exponitur periculo remoto, quod in moralibus non consideratur.


Vrgebis; contingere potest, quod Rex verè sit in necessitate, & causam necessitatis Regem Vassallis exponere, etiam Proceribus Regni, bono publico non expediat: ergo tunc saltem periculo proximo exponeretur bonum commune, si soli Regi attestanti non credatur. 3

Respondetur. Transeat antecedens; at si illud est, raro est, & per accidens; sed non quod est raro, & per accidens, sed quod est, vt plurimum, & per se, attendi debet; præsertim in casu nostro, ne scilicet facilè, sicuti supra dicebam, aperiatur via ad multiplicationem donatiuorum sine necessitate, in perniciem Regni, & boni communis.

Cæterum, quæ dicebam de Rege attestante suam necessitatem (quod scilicèt ei credendum non sit à Consiliarijs, & Parlamentariis, nisi pro eo concurrant alia adminicula, & coniecturæ) multò magis intelligas de Prorege, (cum ipse non sit tantæ authoritatis, sicuti Rex,) si Prorex in aliquo casu sine attestatione Regis necessitatem Regis attestetur. Ratio, quia vtrobique sic exposcit bonum commune; ne scilicet facilè, vti dicebam, aperiatur via ad multiplicationem Donatiuorum sine necessitate in perniciem Regni, & boni communis. 4

Item, quæ dicebam de Rege, si attestetur propriam necessitatem, & quæ dicebam de Prorege, si attestetur necessitatem Regis (quòd scilicet in dubio eis credendum non sit à Consiliariis, & Parlamentariis, nisi adsint alia adminicula pro Rege) intelligas etiam in casu de euidentia belli, & sic de euidentia necessitatis Regis pro tali bello, si tamen dubium est, num tale bellum sit iustum, & non adsunt, præter attestationem Regis, alia adminicula pro Rege, quod bellum illud iustum sit: nam & in hoc casu militant eædem rationes, quas suprà dicebam. Vide Regentem de Ponte *in tract. de potest. Proregis tit. 4. §. 1.* vbi pro hoc dicto citat Lucam de Penna *in l. 1. c. vt Rustic. ad null. obseq.* & Capyc. *in §. firmiter.* 5

DVBITATIO



DVBITATIO III.

An, si Rex aliunde potest suæ, vel Regni necessitati subuenire, Donatiuum, seù Tributum à Vassallis petere possit?

SVMMARIVM.

1. *Donatiuum, quamuis nomine sit voluntarium, est tamen reuera necessarium; ita vt impositio vere dici possit: sicque vt donatiuum sit iustum, habere debeat omnes conditiones requisitas ad iustam impositionem gabellæ, vel tributi.*
2. *Donatiuum est loco seruitij, & pro Rege adiuuando in bello, & in aliis eius necessitatibus, ad quod Vassalli tenentur.*
3. *Donatiuum, si esset proprie Donatio, requireretur vt singuli Parlamentarij consentirent, sed sufficit eorum pars maior.*
4. *Donatiuum binis vel ternis quibuscumque annis irremissibiliter a Rege petitur cum expressis litteris transmissis ad Proregem, pro cuius effectu, & executione Barones Regni per particulares literas Regias ad Parlamentum conuocantur.*
5. *Res si aliunde potest suæ, vel Regni necessitati subuenire, donatiuum, seu tributum à Vassallis petere non potest. Puta si sine status dedecore possit se restringere parcius viuendo, omittendo sumptus parum necessarios, abstinendo a prodigis donationibus: vendendo officia &c. Præsertim si Regnum sit gabellis, nimis grauatum.*
6. *Officia vendi possunt propter necessitatem publicam a Principe, quotiescumque si esset conflanda aliqua pecuniæ summa, aliter haberi non posset. Dummodo tamen dignioribus quantum fieri potest, & (ne detur occasio Emptori multa inique extorquendi) moderato pretio vendantur.*
7. *Opinio, quam in oppositum adducit Regens de Ponte, refellitur.*
8. *Princeps vendens officium sine necessitate, & sine conditionibus recensitis peccat mortaliter, non tamen venditio est irrita.*
9. *Recensentur modi, quibus potest Princeps sibi ipsi subuenire licitè, vt vendendo titulos, & dignitates, exigendo à Potentioribus contributiones voluntarias, locando ad tempus terras, quas habet.*
10. *Rex est propter Regnum, & non è contra, ad differentiam Tyranni, debet suum, sicut & cuiuscumque alterius particularis Vassalli priuatum commodum postponere bono communi, si velit esse Rex, & non Tyrannus.*
11. *Rex comparatur ad communitatem non vt pars ad totum sed vt pars ad partem, nam tota Respublica se habet ad Regem, sicut persona Particularis ad Custodem, quem stipendio ad se tuendam, & custodiendam conducit.*
12. *Rex dicitur Pater maritus, Tutor, & Administrator populorum, quibus quidem præest, sed ipsorum causa præest.*
13. *Reges qui in Imperio non nisi imperium, idest commodum proprium cogitant, improbi dicuntur.*
14. *Rex, cum potest aliunde suæ necessitati subuenire, non est in necessitate publica, vnde licite possit imponere tributum.*
15. *Exemplum Principum Gentilium hac in re plurimum potest docere Christianos Principes; nam Marcus Antonius ne gabellis Ærario ob bella exhausto, Populum grauaret, auctionem vestium vxoris fecit, venditque pocula aurea, chrystallina, & vasa regia, vestes sericas, & gemmas omnes, quas habebat, vide alia exempla relata ibi.*
16. *Aurum atrum sordidumque putandum est, quod ex lacrymis oritur.*



SVppono pro dubitatione præsenti, quin pro toto tractatu de Parlamentis, quòd Donatiuum, quamuis nomine sit voluntarium, est tamen re vera necessarium, ita vt impositio vere dici possit; sicquè, vt Donatiuum sit iustum, habere debeat omnes conditiones requisitas ad iustam impositionem gabellæ, vel tributi. 1 Ratio, 2 quia est loco seruitij, & pro Rege adiuuando in bello, & in aliis eius necessitatibus. ad quod Vassalli tenentur; tum quia ad Donatiuum 3 concludendum non requiritur vt omnes, & singuli Parlamentarij consentiant (quod requireretur, si esset propriè Donatiuum, seù Donatio) sed sufficit eorum pars maior, vt in suo loco dicetur; Tùm quia binis, vel ternis 4 quibuscumque annis irremissibilitèr à Rege petitur cum expressis litteris transmissis ad Proregem; pro cuius effectu, & executione Barones regni, vel (vt in Sicilia) tria brachia regni per particulares litteras Regias ad Parlamentum conuocantur; atque ita contrà Rastellium *de Regim. Princip. lib. 3. fol.* 133. docent Syluester *verb. dominium, quæst.* 5. *num.* 6. Suar. *de legib. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 7. Molfes. *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 36. Iacob. de Graff. *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. Pontius *de impedim. matrim. caus.* 31. *quæst.* 2. §. 11. Mastrill. *de Magistrat. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 29. *& seq.* Regens de Pont. *in decis. p.* 1. *dec.* 3. *num.* 14. Velasquez *cons.* 99. *punct.* 4. *num.* 28. Petr. Tholosan. *lib.* 24. *cap.* 5. *num.* 3. Tassonus *in pragmat. de Antifato, ver.* 4. *obseruat.* 3. *num.* 18. Bolognett. *cons.* 1. Marin. Frecc. *de subfeudis lib.* 2. *author.* 3. Giurb. *in decisionib. dec.* 118. *num.* 2. *& seq.* hoc supposito.

Respondetur cum Medina *quæst.* 13. *Cod. de* 5 *restitut.* Vaque. *de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. *num.* 23. Lessio *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6. & Regente de Ponte cum aliis Iuristis, quos ipse citat. *tit.* 4. *in princ.* negatiuè, si scilicèt aliundè potest Rex suæ, vel Regni necessitati subuenire, vt v. g.

Primò, restringendo statum suum, parciùs viuendo, quatenus id sine dedecore status facere potest.

Secundò, omittendo sumptus parùm necessarios, tàm publicos, quàm priuatos.

Tertiò, abstinendo se in posterùm à prodigis donationibus, conuiuiis, &c.

6 Quatuòr, vendendò officia: hæc enim proptèr necessitatem publicam (vt quotiescumquè aliqua pecuniæ summa alitèr commode haberi non possit, esset conflanda) licitè à Principe vendi posse, docent Less. *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 32. *dub.* 4. Aragon. *in* 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *conclus.* 15. Salon. *in* 2. 2. *tom.* 6. *quæst.* 63. *art.* 2. *contr.* 8. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 2. *§. ad* 3. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 9. *cap.* 1. *dub.* 5. Rebellius *lib.* 9. *quæst.* 18. *sect.* 2. *num.* 28. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 8. *difficult.* 5. Io. de la Cruz *part.* 1. *princ.* 7. *art.* 2. *dub.* 10. *conclus.* 3. Syluius 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. Tannerus 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 2. *num.* 24. Cordub. *in summa quæst.* 117. Azorius *tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 3. & Fillucius *tom.* 2. *tract.* 34. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 44. dummodò tamen officia dignioribus quantum fieri potest, & (nè detur occasio emptori multa iniquè extorquendi) moderato pretio vendantur.

7 Neque obstant, quæ quoad hoc in contrarium adducit Regens de Ponte *in tract. de potest. Proreg. tit.* 3. & Paulus Scayban. *resolut.* 100. vbi probant, quòd officia, præsertim si iustitiæ administrationem admixtam habent, non possint sine peccato mortali vendi: nàm, quæ ipsi adducunt, procedunt, si non adsint in venditione officiorum conditiones, quas supra annuebam, nempè primò quòd vendens habeat authoritatem vendendi. Secundò, quòd vendantur, quantum fieri potest, dignioribus. Tertiò, quòd vendantur pretio moderato. Quartuòr, quòd vendantur ob Reipublicæ necessitatem, vel saltèm magnam vtilitatem.

8 Addo, quòd si Princeps extrà hunc casum publicæ necessitatis, vel magnæ vtilitatis, officium venderet, neque esset officij venditio irrita; & si peccaret mortalitèr (præsertim si tale officium haberi aliquam Iustitiæ administrationem) ex eo quia ex venditione officiorum quam plurima incommoda contrà bonum commune sequi consueuerunt, sicuti rectè annotarunt Caietan. *in summa verb. officiorum venalitas*, Sot. *lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 4. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 7. & alij passim.

9 Quintò, non dando titulos, dignitates, & similia.

Sextò, petendo & Potentioribus, & Ditioribus taxas, seu contributiones voluntarias.

Septimò, vendendo, vel saltem ad tempus locando, terras, quas habet, vide Medinam, Lessium, Vasquez, Layman, Regente de Ponte, & Rastellium *locis suprà citatis*; vide etiam quæ dicentur infrà *dubit.* 8. 9.

10 Ratiò autem responsionis nostræ negatiuæ, præsertim si regnum sit Gabellis nimis grauatum, illa est quia, cum REX sit propter regnum, & non è contrà, ad differentiam tyranni, debet suum, sicut & cuiuscumque alterius particularis vassalli priuatum commodum postponere bono communi, si velit esse REX, & non tyrannus, ratione iniustæ administrationis, diligens scilicèt administrationem regni, non ad bonum commune, sed ad suum priuatum commodum, grauando regnum iniustis exactionibus, vel condendo leges sibi commodas, & publico parùm vtiles; Plato *lib. ciuil. vel de regno*, Aristot. 3. *Politicor. cap.* 5. *&* 5. *Ethic. cap.* 6. *&* 8. *Ethicor. cap.* 10. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 42. *art.* 2. *ad* 3. *& de regimine Principum lib.* 1. *cap.* 6. quem sequuntur communiter Theologi, & habetur in Textu notab. *in aut. vt Iudices sine quoque suffragio, circà princ. column.* 2. & tradunt Summistæ *in verb. tyrannus*, vt Syluester, Armilla, Tabiena, & alij passim.


Vide etiam Sotum *lib.* 3. *de Iustit.* §. 1. *dub.* 2. *num.* 22. & Less. *lib* 1. *cap.* 9. *dub.* 4. *num.* 9. *& cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 13. vbi rectè subdit, quod REX comparatur ad communitatem, non vt pars ad totam, sed vt pars ad partem, nam tota Respublica se habet ad Regem, sicut persona particularis ad custodem. quem stipendio ad se tuendam, & custodiendam conduxit; & ideò ipsi ex officio incumbit Publici boni curatio: quapropter REX dicitur boni communis custos. itavt si regni administrationem ad suum priuatum administrationis commodum flectit, meritò non REX, sed tyrannus dicatur. 11

Vide etiam ex Iuristis Lucam de Peuna. *in l. quicumque Cod. de omn. agric. desert.* Iserniam *in cap.* 1. *de prihib. alien.* & Regentem de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 6. §. 5. *num.* 10. *& tit.* 2. §. 4. *num.* 7. *& tit* 4. *de realib. imposit.* §. 8. *num.* 40. vbi rectè ait, quòd licèt regnum sit datum REGI, est tamen REX principalitèr datus regno propter regnum, vt ipsum regnum regat, & gubernet; vnde REX dicitur pater, maritus, tutor, & administrator populorum, quibus quidem præest, sed ipsorum causa præest; quapropter improbi dicuntur illi REGES, qui in Imperio nonnisi Imperium, idest commodum proprium, cogitant, nam hoc postponere debent bono communi, præsertim cum in bono communi contineatur & bonum proprium, & vires REGIS insidant in viribus regni, & è contrà destruere regnum, sit destruere REgem. 12 13

Confirmatur, quia cùm Rex aliundè potest suæ necessitati subuenire, non est in necessitate publica, propter quam solùm, si scilicet ei alia ratione subueniri non possit, licitè imponi potest tributum, vt communitèr Doctores docent *in materia de tributis, & gabellis*, & videri potest S. Thom. *in epist. ad Ducissam Brabantiæ*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 4. *num.* 41. Azor. *par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 23. Vasquez *de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 15. Mulfesius *tom.* 2. *summ. cap.* 22. *num.* 38. *&* 61. Laymen *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 3. & ex Iuristis Rouit. *super Fragm. in Rubr. de vectigal. num.* 9. *& seqq.* & Belluga *rubr.* 11. *num.* 6. cum Borrello, & aliis Doctoribus, quos ipse Borrellus refert, & sequitur. 14

Confirmatur secundò exemplis Principum Gentilium, ex quibus in hac re discere possunt, & debent Principes Christiani, nam Marcus Antonius, ne Gabellis ærario ob bella exausto, 15

p... ulum grauaret, auctionem vestium vxoris fe..., vendiditque pocula aurea, chrystallina, & v... Regia, vestes sericas, & gemmas omnes, quas habebat, vt refert Iulius Capitolinus in Marco Philosopho, & Erythrius Præfectus vrbis sub Zenone, cùm neque Fiscum sufficere videret, neque maius onus imponeret, Fiscus autem esset profusione Zenonis exhaustus, Magistratu abiit cum dolore ciuitatis, vt refert Suydas *in verbo Erythrius*; & Phylostratus *de vita Apollin. lib. 5. cap. 13. de offic. Regis admonens Vespasianum* ait: *nec ea extimes, quæ ex collatione tributorum à gemitibus hominum prouenium: atrum enim, sordidumque putandum est*
16 *aurum, quod ex lacrymis oritur; Diuitiis autem optimè vteris super omnes Reges, si cum egentibus eas communicaueris.*



Objectiones.

SVMMARIVM.

1. *Rex si se restringendo &c. non posset comparare summam sufficientem &c. de reliquo exigat tributum supra id quod comparauit, si adsint vires Regni, & cætera ad iustitiam requisita. Dummodo tamen tributum excessum non habeat, & applicetur ad publicam necessitatem cuius causa impositum est, vel ad similem.*
2. *Textus in l. fin. C. de his, qui ex public. collat. lib. 10. non obstat contra hanc Doctrinam. vbi habetur quod impositio facta ad certam causam non debet conuerti in aliam; nam hoc intelligi debet si conuertatur in aliam non necessariam, secus si conuertatur in aliam necessariam.*
3. *Tributum cessare debet cessante causa necessitatis; quia cessante causa (vtique necessaria, & in suo genere adæquata) cessat effectus.*
4. *Rex exigens tributum deficiente alterò ex requisitis tribus tributum vel in parte, vel in totum est iniustum, & is tenetur ad restitutionem.*
5. *Rex nisi restituat, cæteri tenentur ad restitutionem, qui quomodocumque vel iubendo; vel mandando, vel consulendo, vel consentiendo, vel lauando, vel adiuuando, vel etiam non impediendo, si impedire possent, & ex officio impedire tenerentur, tributi moralis causa fuerunt, sicut etiam & qui tributum exigunt.*
6. *Necessitas publica assumitur pro forma, reipsa autem fraus est, si cessante publica necessitate non cessat tributum, quod maxime procedit in tributis nouis.*
7. *Rex, licet teneatur restringere statum parcius viuendo &c. summa tamen pecuniarum requisita pro bono publico cum non ob id sit præsentanea ad vrgentem necessitatem, quam habet, potest exigere tributum si adsint vires Regni, & cætera requisita ad iustitiam tributi, & postea compensare cum summis parcius viuendo &c. partis.*
8. *Rex, si adeo vrgeat necessitas, & non habeat aliunde potest licitè tunc sumere ab vna Ciuitate, & postea vt ei compenset, neque super excedatur, diuidere onus per totum Regnum.*
9. *Rex licitè potest in casu posito; si ita sit commodius, & expeditius, sumere bona priuatorum, & postea restituere illis quando potuerit modo supradicto.*
10. *Rex in casu posito qualem summam debeat exigere, & quam debeat inire rationem ad restituendum.*



Obiicies summa, quam Rex compararet, parciùs viuendo, & aliis modis, qui supra in responsione dicebantur, non est sufficiens publicæ necessitati quam hic, & nunc Rex habet: ergo. 1

Respondetur, in casu quòd ita est, exigat Rex (si adsint vires regni, & cætera requisita ad iustitiam grauaminis, vt infrà in suis locis dicetur) per tributum reliquam summam, ad complementum publicæ necessitatis, quam hìc, & nunc Rex habet, ad subueniendum bono communi.

Dummodò tamen tributum ad prædictam publicam necessitatem excessum non habeat: nam quoad excessum foret illud iniustum, vtpotè non propter necessitatem publicam impositum, vti supra probabam, & in simili dicitur *in c. quia plerique de immunit. Ecclesiast.* & docent Doctores mox infrà citandi.

Dummodo tamen secundò propter eamdem rationem, quam suprà dicebam, applicetur ad illam publicam necessitatem, cuius causa impositum est, vel ad similem necessitatem, si illa prior cesset, & alia de nouo adueniat, quia tunc est eadem necessitas formalis, vt cum Caietan. *verb. vectigalia*, docent etiam Doctores mox infrà citandi, & sumitur ex S. Thoma *lib. 2. de regimin. Princip. cap. 12.*

Neque contra hanc doctrinam obstat text. 2 *in l. finali Cod. de his, qui ex public. collat. lib. 10.* vbi habetur, quòd impositio facta ad certam causam non debet conuerti in aliam; quapropter Isern. apud Regentem de Ponte *de potest. Proreg. tit. 4. §. 2.* vocat abusum, impositiones pro vna causa impositas conuerti in aliam: nam hoc intelligi debet, si conuertatur in aliam non necessariam, secus si conuertatur in aliam necessariam: quare, sicuti rectè notat ipse Regens de Ponte *loc. suprà cit.* hodie propter imminentes, & graues necessitates Regis omnia confunduntur; & propterea idipsum ex causa necessaria fieri potest etiam per Proregem, & allegat pro hoc textum *in l. vnica Cod. de expensis*, vbi Luc. de Penna, & Andreas de Barullo post Io. de Plat. qui distinguit, & allegat Bart. *in l. Legatum, ff. de administr. rerum ad ciuit. pertinent.*

Dummodo tamen tertiò propter eamdem rationem, quam suprà dicebam; cesset postea tributum, si necessitas omnis publica cessauerit. Ratio, quia cessante causa (vtique necef- 3


saria, & in suo genere adæquata) cessat effectus, *cap. cum cessante de appellat.* quod ità ferè explicat Glos. citans varia iura *in cap. post translationem de renunciat. verb. cessante*, & notant Doctores *in l. cum pater, ff. de Legatis.* 2.

4 Hinc si vno ex his tribus requisitis deficiente, tributum adhuc exigitur; sequitur, quòd non exigatur propter publicam necessitatem, (propter quam solùm exigi illud licitè posse, supra probabam) atque adeo sequitur, quòd tributum sit iniustum, vel quoad excessum, vel quoad totum, modo quo supra explicabam; & consequenter sequitur etiam, quòd Rex, vel quoad excessum, vel quoad totum, ad restitutionem teneatur; quin & quod, si Rex non re-
5 stituit, teneantur cæteri, qui quomodocumque, vel iubendo, vel mandando, vel consulendo, vel consentiendo, vel laudando, vel adiuuando, vel etiam non impediendo, si impedire possent, & ex officio impedire tenerentur, tributi moralis causa fuerunt, sicut etiam, & qui tributum exigunt: atque ita docent Gabriel. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 2. Syluest. *verb. Gabella* 3. *q.* 2. Angel. *verb. Pedagium* §. 6. Medin. *C. de restitut. qu.* 23. Suar. *de legib. cap.* 15. Molfes. 2. *tom. summæ cap.* 22. *num.* 62. Lessius *de iustit. & Iur. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6. Vasquez. *de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. Alphons. Castr. 1. *lib. de lege pœnali cap.* 10. Azor. *p.* 3. *Instit. moral. lib.* 5. *cap.* 23. &
6 Petr. Nauarr. *de restitut. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 255. vbi rectè subdit, quòd si cessante publica necessitate non cessat tributum, necessitas publica assumitur pro forma, reipsa autem fraus est, & rapina, pauperumque oppressio: quæ doctrina maximè locum habet in tributis nouis, quorum causa an, & qualis fuerit, cognoscitur, vel facile coniectari potest. Qua de re diffusius dicetur infra in suis locis, vbi ponam alios casus, in quibus licitè potest Rex de nouo imponere tributa, vel augere vetera.

7 Obiicies secundò summa, quam Rex compararet parciùs viuendo, vel aliis modis quos supra dicebam, non est præsentanea ad vrgentem necessitatem, quam hìc & nunc habet Rex, vt hic, & nunc subueniat bono communi, ergo.


Respondetur, in casu quod ita est, exigat Rex, (si adsint vires regni, & cætera requisita ad iustitiam tributi, vt supra annuebam) per tributum summam pecuniæ commensuratam necessitati vrgenti, quam hìc, & nunc habet ad subueniendum bono communi; quia, cum periculum sit in mora, & res non patiatur dilationem, ita quidem fieri, exposcit bonum
8 commune. Quinimmo, si adeo vrget necessitas, & Rex non habet aliunde, potest licitè tunc sumere ab vna ciuitate, & postea, vt ei compenset, ne superexcedenter ad alias ciuitates restet grauata, diuidere onus per totum regnum, sicuti rectè dixit Cyn. *in l. neminem C. de sacros. Eccles.* & Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 4. *num.* 3. quinimmo plus addit, & rectè etiam, Isern. & ipse Regens de Ponte *loc. cit. num.* 38. & *tit.* 5. *num.* 35. quod licitè potest
9 Rex in casu posito, (si scilicet sic sit commodius, & expeditius) sumere bona priuatorum, & postea restituere illis, quando potuerit modo, quo supra dicebam. Ratio, quia in hoc est fauor boni communis, cui cedere debet bonum priuatum; Cum hoc sit minus bonum quam commune, quin & includatur in communi. Quapropter ita hoc bonum commune attendi debet, vt non habeatur ratio boni priuati, propter ipsum scilicet bonum commune.

Cæterum exigere debet Rex in casu posito 10
illam summam, ita vt tamen seruet tres conditiones, quas supra notabam, propter rationem ibi allatam. Et ita, vt faciat postea Regno debitam restitutionem. Quam facile facere potest, si pecunia collecta in ipsius Fisco asseruetur: Poterit enim tunc, vel tributa ordinaria minuere, vel extraordinaria, quæ futuro tempore propter aliquam occurrentem necessitatem exigere posset, omninò intermittere, & pecuniam ante collectam ad talem necessitatem applicare. Sin verò pecunia, tributi nomine collecta, à Rege, vel ab ipsius antecessoribus consumpta fuerit, tunc Rex poterit restitutionem facere, vel applicando in beneficium Regni, quæ acquirit parciùs viuendo; vel recurrendo ad alios modos, quos supra in responsione numerabam, vel ad similes, si sic meliùs iudicabit. Vide S. Antonin. *p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13. §. 2. Molin. *tract.* 2. *tom.* 3. *disp.* 667. & Layman. *loc. cit. num.* 8.



DVBITATIO IV.

An, si Rex aliundè potest suæ, & Regni necessitati subuenire, v. g. contractus (quos cum læsione graui cum alagijs, vel alio modo contraxit) ad limites Iustitiæ reducendo, possit Donatiuum, vel tributum Vassallis petere?



SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Rex si aliunde potest suæ, vel Regni necessitati subuenire, v. g. contractus (quos cum læsione graui cum alagiis, vel alio modo contraxit) ad limites iustitiæ reducendo, non potest donatiuum, vel tributum à Vassallis petere.*
2. *Bonum particulare postponi debet bono communi; quin immo adeo bonum commune attendi debet, vt nulla ratio boni particularis attendi debeat.*
3. *Princeps ex causa valde vrgenti, si ita, hic & nunc exigat bonum commune potest bona*

Priuatorum auferre, ac etiam priuilegia ijs concessa reuocare, quæ tamen intelligas in sensu supradicto.

4. *Rex, quia in contractibus recensitis notabiliter læsus est, habet in illis beneficium restitutionis in integrum.*

5. *Respublica gaudet iure minorum, ideoque habet beneficium restitutionis in integrum.*

6. *Restitutionis in integrum beneficium conceditur quibuscumque personis, etiam maioribus natu, quando est iusta, & rationabilis causa, vt læso per restitutionem in integrum subueniatur, & multo magis conceditur Regi, qui pupilli, & Reipublicæ priuilegium habet.*

7. *Assignatur discrimen inter restitutionem, quæ fit minori natu, Reipublicæ, Ecclesiæ, & cuicumque loco pio, & eam quæ fit maiori natu. Vide ibi fusius.*

8. *Restitutionis in integrum beneficium, primo competit minoribus id est, ijs qui annos 25. ætatis nondum compleuerunt.*

9. *Item secundo competit Ecclesiæ.*

10. *Item tertio competit locis pijs.*

11. *Item quarto Reipublicæ.*

12. *Item quinto Vniuersitati studiorum, cum in ea non pauci minores 25. annis reperiantur.*

13. *Item sexto vicis communitatem habentibus.*

14. *Restitutionis beneficium in integrum in foro externo, vt detur requiritur saltem quod intercesserit magna læsio, quæ saltem fuerit in sexta parte ex communi sententia.*

15. *Restitutionis beneficium in foro externo vt detur ad rescindendam venditionem licet requiratur læsio magna vltra dimidium, tamen vt detur remedium restitutionis in integrum extraordinarium sufficit quod læsio intercesserit magna infra dimidium, quamuis in foro interno sufficiat multo minor.*

16. *Restitutionis in integrum beneficium vt detur, sufficit si læsio fuerit magna, siue intercesserit in contractibus, siue in locutionibus, vel alterius generis; quia vbique militat eadem ratio.*

17. *Restitutionis in integrum beneficium non conceditur elapso Quatriennio ab exacto 25. ætatis anno, at secus est Reipublicæ, Ecclesiæ, seu alio loco pio, si eorum læsio magna fuerit secundum viri prudentis arbitrium.*

18. *Fauor publicus, quæ causa est vt in integrum restituatur (Respublica, Ecclesia, vel quicumque alius locus pius) semper manet, alia vero ratio est de minoribus, quibus ob imbecillitatem tantumdem ætatis subuenitur.*

19. *Spatium quatriennij ab exacto 25. ætatis anno, prorogatur in absentibus ad militiam exercendam, & Reipublicæ inseruiendum, vel ob aliud impedimentum &c.*

1 RESpondetur: negatiuè, præsertim si Regnum sit Gabellis nimis grauatum; Patet ex dictis *in dub. præcedenti.*

2 Confirmatur; quia bonum particulare, vt in eadem dubitatione dicebam, postponi debet bono communi, quinimmo, vt ibidem probabam, adeò bonum commune attendi debet, vt nulla ratio boni particularis haberi debeat; quia in bono communi includitur bonum particulare, ideoque bono communi cedere debet; Atque ita docet Andr. de Barul. *in l. ex* 3
omnibus C. de Decur. lib. 10. & Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 1. *num.* 26. vbi (iuxta ea, quæ dicebam *dub. cit.* & dicam infrà *sect.* 3. *&* 31.) subdit, quòd ex causa valdè vrgenti si sic hic & nunc exigit bonum commune, potest Princeps bona priuatorum auferre, ac etiam Priuilegia illis concessa reuocare, & citat Bald. Luc. de Penn. Bellugam, Alex. Dec. & alios. Quod tamen intellige in sensu, quo dicebam ibi, & dicam infra *ad* 1. *&* 2. *& cit. sect.* 3. *&* 31.

Quod autem licitè possit Rex contractus 4
(quos cum læsione graui, vt cum alagiis, vel alio modo contraxit) ad limites Iustitiæ reducere, vt suæ, vel regni necessitati subueniat.

Respondetur primò; quia Rex in prædictis contractibus notabilitèr læsus est, ergo habet in illis beneficium restitutionis in integrum. Antecedens suppono: consequentiam probo; quia *ex l.* 4. *Cod. quibus ex causis maiores*, &c. Respublica gaudet iure minorum, 5
ideoque habet beneficium restitutionis in integrum; ergo & Rex, sicut & quilibet alius supremus Princeps. Vltimam istam consequentiam probo, quia bona Principatus alienata pertinent ad Rempublicam. Tum, quia Princeps est caput Reipublicæ, sicut *ex cit. l.* 4. deducunt communitèr Doctores apud Tholos. *lib.* 3. *de Repub. cap.* 8. Less. *loc. cit.* & Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap,* 11. *num.* 5.

Secundò probatur, quia Rex in prædictis contractibus, etsi scienter læsione graui sit læsus, est tamen læsus necessitate ductus, vt subueniret bono communi, ad quod præsentanea pecunia tunc indigebat; At quando est iusta, 6
& rationabilis causa, vt læso per restitutionem in integrum subueniatur, conceditur tale beneficium quibuscumque personis, etiam maioribur natu, vt patet ex tit. *ff. & Cod. ex quibus causis maiores* 25. *annis in integrum restituantur*, & tradit Abb. *in cap. ex litteris num.* 11. *de in integrum restit. & in cap. tum ex litteris num.* 12. *eodem tit.* Ergo multò magis concedetur Regi, qui pupilli, & Reipublicæ priuilegium habet, vti supra dicebam.

Affert tamen Abbas vbi supra discrimen 7
inter restitutionem, quæ fit minori natu, Reipublicæ (idemque dicit de Ecclesia, & quocumque alio loco Pio) & inter restitutionem, quæ fit maiori nata, quod ad illam sufficit, interuenisse solùm læsionem grauem, eò quod læso propter ætatis imbecillitatem secundum quamdam æquitatem Iudicis officio succurritur, & Reipublicæ, & Ecclesiæ succurritur propter publicum fauorem; Ad restituendum autem maiorem natu præter læsionem grauem requiritur etiam iusta causa, propter quam Iudex, præsertim supremus, æquum esse putet succurrere, iuxta *l.* 1. *ex quibus causis maiores*, &c. v. g. quod grauitèr fuerit læsus, vt subueniret bono communi (sicuti est in casu nostro) vel quando causa Reipublicæ aberat vel quando in vinculis per seruitutem, hostiumve pote-

ſtatem detinebatur, vel ſi qua alia iuſta, & rationabilis cauſa videbitur Iudici in integrum reſtituendi, ſpectata æquitatis ratione, vt ſi v. g. enormitèr læſus ſit propter ignorantiam iuris valdè obſcuri, vel dubij, præſertim ſi is ſit ex rudibus, vt ruſticus, aut mulier, &c. qui ignorant iura, ſicut ex Marant, & aliis refert Molin. *diſp.* 572. §. *militibus*, & Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 57. *num.* 67.

Tertiò probatur, quia qui ſic contraxerunt cum Rege, lucrum fecerunt exorbitans percipiendo fructus, etiam quoad ſortis exceſſum, in quo notabilitèr etiam Rex læſus fuit: nam eius exceſſus fructus ſpectare debebant ad læſum, non autem ad eum, qui contraxit cum læſo, vt rectè ex communi tradit Couarr. *cit. cap.* 3. *num.* 1. Ergo ex hoc cap. etiam iuſta, & rationabilis cauſa extat, vt Rex notabilitèr læſus reſtituatur in integrum, præſertim ſi quod recuperat in regni beneficium conuertit, ſicque regno nouum grauamen imponendum euitat.

8 Aduerte tamen hic, quod beneficium reſtitutionis in integrum primò competit minoribus, ideſt iis, qui annos 25. ætatis nondum compleuerunt, *l.* 1. *& toto tit. ff. de minoribus.*

9 Secundò Eccleſiæ, vt conſtat *ex tit. Decret. de in integrum reſtitut. extra, & in* 6. *& cap. auditis eodem tit.*

10 Tertiò locis piis iuxta *l. omnia Cod. de ſacroſ. Eccleſiis*, & notat Abbas *in cap.* 1. *de reſtitut. in integrum.*

11 Quartò Reipublicæ, *l.* 4. *Cod. quibus ex cauſis maiores* 25. *annis in integrum reſtituuntur.*

12 Quintò vniuerſitati ſtudiorum, cum in ea non pauci minores 25. annis reperiantur ſicuti rectè notauit Abb. *in cit. cap.* 5. & videri poteſt Molin. *tom.* 2. *diſp.* 574. & Leſſ. *de Iuſtit. & Iur. lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9.

13 Sextò vici communitatem habentibus, vt docet Gaill. *lib.* 2. *obſeruat.* 62. *arg. l.* 1. *§. ſi hæres iuſſus, & §. vicis, ff. de legat.* 1.

14 Aduerte ſecundò quòd, vt detur beneficium reſtitutionis in integrum, requiritur, ſaltem in foro externo, interceſſiſſe læſionem magnam, *l. ſcio, ff. de in integrum reſtitut. & cap. penult. de reb. Eccleſ. alienan. vel non*, iuncta Gloſ. *verb. enorme*, & docet Abbas, *in cit. cap.* 1. *num.* 2. videri etiam poteſt Couarru. 1. *reſol. cap.* 3. *num.* 11. & Regens de Ponte *tit.* 4. §. 5. *num.* 15. *&* 16. vbi ſubdit, quòd ad hoc vt detur reſtitutio in integrum in foro externo, requiritur, quòd interceſſerit læſio magna, quæ ſaltem fuerit in 6. parte, ex communi ſententia Doctores.


15 Aduerte tertiò quòd, licet vt detur remedium ordinarium *leg.* 2. *Cod. de reſcind. vendit.* requiratur, læſionem interceſſiſſe magnam vltra dimidium, tamen vt detur remedium reſtitutionis in integrum extraordinarium, ſufficit, quòd læſio interceſſerit magna infra dimidium, Doctores communitèr, quos ſequitur Regens de Ponte *loc. ſuprà cit. num.* 23. quinimo in foro interno ſufficit multò minor, vt ſeruetur æqualitas, quam per ſe reſpicit Iuſtitia commutatiua.

16 Aduerte quartò quòd, vt detur beneficium reſtitutionis in integrum, quod ſuprà dicebam, ſufficit, ſi læſio fuerit magna, qualem ſuprà etiam dicebam, ſiue interceſſerit in contractibus, ſiue in locationibus, vel alterius generis; quia vbique militat eadem ratio, atque ita docent communitèr Doctores vt videre eſt apud Gomez, *tom.* 2. *cap.* 14. Regentem de Ponte, *loc. ſuprà cit. num.* 58. & Leſſium, *de Iuſt. & Iur. lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9. *num.* 69.

Aduerte quintò quòd, cum hodie quadriennij ſpatium concedatur ad petendam reſtitutionem ex quacumque cauſa, iuxta *l. vlt. Cod. de tempor. in integrum reſtitut.* in reſtitut. minorum quadriennium inchoatur ab exacto 25. ætatis anno, ſicque durat vſque ad expletum annum 29. *cit. l. vlt.* In reſtitutione verò Reipublicæ (atque adeo & Principis, vtpote Reipublicæ capitis, vel quia bona Principatus alienata ſpectant ad Rempublicam, vti ſupra dicebam) & Eccleſiæ, vel cuiuſcumque alterius loci pij incipit à tempore factæ læſionis, *cap.* 1. *de reſt. in integrum in* 6. ita tamen, quòd ſi iuſta cauſa ſubeſt, vt etiam poſt elapſum quadriennij ſpatium Reipublicæ, & Eccleſiæ, vel cuicumque alteri loco pio reſtitutio in integrum concedatur, poſt illud elapſum tempus etiam concedatur, ſicuti notauit Gloſ. *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. & Abbas *cap. tum ex litteris num.* 10. *& ſeqq. eod. tit.* & Molin. *tom.* 2. *diſp.* 574. Inter alias autem iuſtas cauſas, quas ſuprà dicebam, illa eſt (quæ ſola ſufficit) ſi læſio Reipublicæ, Eccleſiæ, vel cuiuſcumque alterius loci pij magna fuerit ſecundum viri prudentis arbitrium, teſte Gloſ. Abbat. *in cit. cap.* 1. *num.* 2. Couar. 1. *reſolut. cap.* 3. *num.* 11. & Leſſ. *cit. cap.* 17. *num.* 66. 17

Itaque ob iuſtam cauſam (ſi ſcilicet grauiter læſa fuerit Reſpublica, Eccleſia, vel quicumque alius locus prius) etiam poſt quadriennij ſpatium numeratum & tempore læſionis, beneficium reſtitutionis in integrum Reipublicæ, Eccleſiæ, vel cuicumque alteri loco pio competere poteſt; Quia fauor publicus (quæ cauſa eſt, vt in integrũ reſtituatur Reſpublica, Eccleſia, vel quicumque alius locus pius) ſemper manet; Quapropter alia ratio eſt de minoribus, qui ſolùm ob ætatis imbecillitatem reſtituuntur; ideoque poſtquam maiores facti ſunt, non ampliùs eis ſubuenitur, quàm intra quadriennij ſpatium; niſi vel militiam interim exerceant, vel Reipublicæ cauſa abſentes ſint, vel eiuſdem Reipublicæ cauſa alio modo damnum receperint, vel alio legitimo impedimento, vti ſupra explicabam, detenti redeantur, ob quod Prætor, etiam natu maioribus ſubueniendum eſſe, cauſa cognita, decernere poteſt, & debet, iuxta *tit. ff. & Cod. ex quibus cauſis maiores* 25. *annis in integrum reſtituuntur*, & tradit Abb. *in cit. cap. ex litteris de in integrum reſtitutione, & in cit. cap. tum ex litteris eodem tit.* 18 19

Hæc autem, ſi non omnia, ſaltem aliqua, etiam in Rege locum habent, præſertim ſi quod Rex recuperat (reducendo ſcilicet contractus ad terminos intra limites Iuſtitiæ) in beneficium commune conuertit, & præterea ſic nouam gabellam, alioquin imponendam, regno deuitat. Vide quæ dicentur infra *dubit.* 6. *ſect.* 3. *& ſeqq.*



SECTIO II.

Objectiones.

SVMMARIVM.

1. *Rex, vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, licet enim non subdatur iuri positiuo, quia est supra ius positiuum, adeoque potest illud tollere cum omnibus eius effectibus, subditur tamen iuri Gentium, & naturali.*
2. *Concessio facta à Principe si transierit in contractum, est firma & irreuocabilis.*
3. *Princeps licet habeat plenitudinem potestatis, adhuc tamen obligatur contractibus; quia Deus subiecit quidem ei leges, sed non contractus, ex quibus obligatur iure diuino.*
4. *Rex si non seruat contractum tenetur in conscientia restituere tributum, vel quidquid aliud accepit à Vassallis ob talem contractum.*
5. *Princeps, si inuestiuit aliquem de Baronia, vel Castro, non potest eum priuare sine causa; neque ipse, neque quicumque successor.*
6. *Supremus Princeps quod non teneatur stare contractui cum habeat plenitudinem potestatis, vera non est propositio simpliciter sumpta.*
7. *Supremus Princeps supra ius positiuum; non autem supra ius Gentium, & naturale, vel Diuinum potestatis plenitudinem habet.*
8. *Rex, vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, si contractus sit onerosus, secus si sit gratuitus, vel sit priuilegium ex mera liberalitate Principis concessum, nam tunc præsertim ex causa reuocare Princeps supremus illum potest.*
9. *Quæstio sæpius in Regno agitata An scilicet Ciuitas, vel Castrum factum de denario Regis possit iterum contra voluntatem subditorum infeudari per Regem cum præfata distinctione facile soluitur.*
10. *Rex, vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, si causam rationabilem recedendi à contractu non habet, secus autem si habet, quia scilicet sic exigat bonum communem.*
11. *Rex, vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, si notabiliter læsus non est; secus si notabiliter sit læsus.*
12. *Præsertim si dictam notabilem læsionem passus sit, quamuis scienter necessitate ductus, vt subueniret bono communi, ad quod præsentanea pecunia tunc indigebat.*
13. *Præsertim si qui contraxerunt cum Rege cum dicta notabili læsione, magnum, & exorbitans lucrum fecerint.*
14. *Præsertim si hæc Regis in integrum restitutio cedat in beneficium commune.*
15. *Rex, quod stet in possessione recedendi à contractibus asserentes nonnulli Doctores intelligendi sunt iuxta distinctionem supradictam.*
16. *Rex non tenetur stare contractui; si contractus sit gratuitus, vel sit priuilegium ex mera Regis liberalitate concessum, vel habeat rationabilem causam recedendi à contractu, id v. g. suadente bono communi, vel notabiliter læsus fuerit.*
17. *Rex si contractus non sit onerosus, sed gratuitus, & ex illis supra recensitis non tenetur stare contractui, etiamsi ille fuerit iuratus.*
18. *Iuramenti obligatio belli etiam potest à potestate seculari, vt si Princeps statuat, iuramentum contractui, vel promissioni alicui adiectum esse irritum, & nullum.*
19. *Iuramentum adiectum renunciationi bonorum si fiat hæc ante bimestre, quod professionem præcedit, ex Trid. Concilio irritum est.*
20. *Contractus, obligationes, conuentiones, promissiones, remissiones & distractus Iuramento confirmati in Regno lusitaniæ (si alioquin ad forum seculare eorum cognitio pertinebat) nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit, irriti sunt.*
21. *Amplia id etiam obseruari in Regno Castellæ exceptis quibusdam paucis contractibus.*
22. *Iuramentum facit vt causa, quæ alius merè est ciuilis, fiat mixti fori.*
23. *Iuramenti obligatio ex iusta causa tolli potest etiam à potestate seculari, impediendo ne ipsa ab initio iuramentum inducat, quidquid in contrarium dixerit Couarru.*
24. *Causæ autem iustæ obligationem iuramenti quæ sint recensentur.*
25. *Obligatio iuramenti ideo tolli potest per auctoritatem superioris etiam secularis; quia in Iuramento semper tacite subintelligitur conditio, nisi superior sua auctoritate ex legitima causa remittat.*
26. *Rex hoc ipso quod exigit beneficium restitutionis in integrum ex eo quod læsus est, non tenetur restituere omnem pecuniam quam accepit ab illis, qui cum ipso contraxerunt; sed sufficit quod ad limites iustitiæ (cum sic seruetur æqualitas) contractum reducat, & quomodo.*
27. *Rex non ex eo quod exigit beneficium restitutionis in integrum, & non restituit pecuniam illis, qui cum ipso læso contraxerunt, rescendendo scilicet totaliter contractum cum ipsis, amittit fidem; sicut neque amittunt fidem Pupilli Ecclesiæ, & loca pia; & ratio est quia semper insistitur vt seruetur æqualitas.*



Obiicies: Rex vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, ergo, &c. Antecedens probatur, quia, licet supremus Princeps quodammodo non subdatur iuri positiuo (quia, vt dicit Isernia *in cap.* 1. *de Vassallis*, & Regens de Ponte *tit.* 10. *de donis & expensis vniuersit. num.* 24. est ille supra ius positiuum, ideoque potest illud tollere cum omnibus eius effectibus) subditur tamen iuri Gentium, & naturali, vt rectè dixit Innoc. *in cap. nouit de* 1

2 *Iudic.* vbi propterea asserit, quòd concessio facta à Principe, si transierit in contractum, est firma, & irreuocabilis: sequitur Ant. de Butr. *in cap. cum Maria de constit.* & Ludouic. Rom. *in cons.* 252. *& in cons.* 352. *num.* 22.

3 Idem docet Syluest, verb. Princeps, quòd licet Princeps habeat plenitudinem potestatis, adhuc tamen obligatur contractibus; quia Deus subiecit quidem ei leges, sed non contractus, ex quibus obligatur iure Diuino; subditque, hanc opinionem esse communem inter
4 Doctores. Idem docet Molin. *tom.* 3. *disp.* 667. vbi inquit, quòd si Rex non seruat contractum, tenetur in conscientia restituere tributum, vel quidquid aliud accepit à Vassallis ob talem contractum. Idem docet Bald. *de vsu feud. in rubr. de natur. feud.* vbi dicit, quòd si Princeps
5 inuestiuit aliquem de Baronnia, vel Castro, non potest eum priuare sine causa, neque ipse neque quicumque Successor; Quia tam Princeps, quàm ipsius Successores tenentur stare contractui; Idemque repetit *in cons.* 326. *vol.* 1. & sequuntur Doctores *in l.* 1. *ff. de constitut. Princip.* & Matth. de Afflictis *in constit. Regni ea, quæ ad decus, num.* 2. Idem docet Iason *in cons.* 10. *volum.* 3. vbi ait, quod contractus Principis obligat ipsum, & successores ipsius, subditque etiam, hanc esse communem opinionem Doctores Idem habet Philip. *in cons.* 70. *in hac consult. litt. D. volum.* 2. vbi ait, quod contractus facti ab habente potestatem legis condendæ, habentur pro lege, & citat *l. Cæsar ff. de publ. vectigal & l. penult. C. de donat. inter virum, & vxorem.* Idem tradit Belluga *in Speculum Principum, rubr.* 1. *num.* 12. vbi dicit, quod Princeps, & ipsius successores ligantur contractibus, iuxta *cap.* 1. *de probat.* & citat multa alia Iura, & Doctores Idemque repetit *in rubr.* 46. *num.* 4. vbi ait, quod Princeps vult, contractus esse firmos, & non rescindi, etiamsi sint facti cum Principe, vel fisco, iuxta Textum notabilem *in l. ratas C. de rescind. vendit.* & rationem affert, quia Princeps contractibus, etiam cum subdito factis, Iure gentium obligatur; Idem tandem tradunt alij Doctores complures, quos refert & sequitur Borrell. *in addit ad rubr.* 1. *Bellugæ, litt. N.*

6 Respondent aliqui *in leg. digna vox C. de legib.* negando antecedens; quod scilicet Princeps supremus teneatur stare contractui, & rationem assignant, quia habet plenitudinem potestatis.

Ad hæc istorum Doctores responsio sic simpliciter, sumpta vera non est, vt patet ex rationibus, & authoritatibus supra allegatis, sicut & ipsorum fundamentum verum non est;
7 Cum supremus Princeps supra Ius positiuum, non autem supra Ius gentium, & naturale, vel Diuinum potestatis plenitudinem habeat, vti supra dicebatur: Quare cum distinctione potius ad argumentum sic.

8 Respondetur primò Rex, vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui: distinguo, si contractus sit onerosus, concedo: si contractus sit gratuitus, vel sit priuilegium ex mera liberalitate Principis concessum, nego: nam tunc, præsertim ex causa, reuocare Princeps supremus illum potest; Atque ita concludit Soccin. *in cons.* 87. *num.* 13. *volum.* 3. allegans Bald. *in l. nupta Cod. de Senat.*

Et huc spectat illa quæstio sæpè sæpiùs in 9
regno agitata, *An scilicet Ciuitas, vel Castrum factum de denario Regis possit iterum contra voluntatem subditorum infeudari per Regem*: nam per prædictam Soccini distinctionem solui rectè potest prædicta quæstio, de qua videri etiam poterit Abb. *in cons.* 3. *volum.* 2. Andr. de Isern. *in Reg. constit. dignum, & in cap.* 1. *§. similiter num.* 27. *de cupit. qui cur. vend.* Soccin. *in cons.* 4. *volum.* 3. Luc. de Penna *in l.* 1. *Cod. de cupit. ciu. cens. lib.* 10. Guido Papa *in decis. Gratonop.* 239. Curt. Iun. *in cons.* 174. Guglielm. Pernus *in tract. de Principe num.* 22. Crauet. *in cons.* 54. *& in cons.* 241. Matth. *de Afflict. in prælud. const. regni quæst.* 24. *& in cap.* 2. *§. si quis fuerit quo tempore miles in feudis, & in §. præterea*, vbi Sigismundus Goffredus *eodem titulo*, & Rodericus *allegat.* 9.

Respondetur secundò, (& multò magis ad 10
rem) distinguendo etiam antecedens Rex, vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, distinguo: si causam rationabilem recidendi à contractu Princeps non habet, concedo: si habet (quia sic scilicet exigit bonum communè) nego, *argum. l. qui fundo Cod. de omni agr. desert. lib.* 11. atque ità docet Bald. *in l. fin. in princip. ff. de Senat. in l. fin. princ. ff. de pœn. & in l. penult. Cod. de donat. inter virum, & vxorem*; Imola, & Anton. *in cap. cum Maria de constit.* Ludouic. Rom. *in cons.* 352. *num.* 22. Alex. *in cons.* 101. *visis instrumentis, columm.* 5. *volum.* 1. Soccin. *in cons.* 58. *super proposita, columm.* 1. *in fin. volum.* 3. Tiraquell. *in tract. de pœn. in præfat. num.* 45.

Itaque cum causa rationabili (si scilicet sic exigit bonum commune) licitè potest supremus Princeps facere contra contractus, & contra priuilegia, etiam remuneratoria, ab ipso concessa, sicque per modum contractus se habentia; atque adeo licitè potest facere contra ius cuiuscumque particularis loci, vel personæ, & multò magìs licitè etiam potest facere contra leges.

Respondetur tertiò (& multo mágis ad rem)
distinguendo similiter antecedens; Rex, vel 11
quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, distinguo: si notabiliter læsus non est, concedo: si notabiliter læsus est, nego; Quia in tali casu potest Rex habere beneficium restitutionis in integrum, vti supra dicebatur: præsertim, si dictam notabilem
læsionem passus sit Rex, quamuis scienter, ne- 12
cessitate ductus, vt subueniret bono communi, ad quod præsentanea pecunia tunc indigebat: Præsertim secundò, si qui contraxerunt cum
Rege cum dicta notabili læsione Regis. ma- 13
gnum, & exorbitans lucrum fecerint, percipiendo etiam fructus, quoad excessum, in quo Rex notabiliter læsus fuit, (& maximé per multum tempus) cum debuerint Vassalli in illa necessitate subuenire Regi, mutuando saltem illi pecuniam quam potuerint Præsertim tertiò,
si hæc Regis in integrum restitutio cedat 14
in beneficium commune, vt si v. g. quod recuperat Rex per sui in integrum resti-

[illegible]em, conuertit in beneficium Regni, & propterea per id Regno in posterum euitat grauamen, quod alioquin propter vrgentem aliquam necessitatem necessario imponendum esset.

15 Atque hinc intelligitur, quòd nonnulli Iuniores, vt Sanctorus Boua *in resolut. pro tract. pax fol. 12. & 14.* dicunt, nempe, quod Rex stet in quasi possessione recedendi a contractu, & a promissis, & practicatis in capitulis Regni: intelligitur enim, quod hi Doctores dicunt primo, secundùm primam responsionem, si scilicet contractus sit gratuitus, vel sit priuilegium aliquod ex mera Regis liberalitate concessum; Non autem intelligitur, si contractus sit onerosus, & ex vtraque parte obligatorius: Intelligitur secundò, iuxta secundam responsionem, si scilicet causam rationabilem (quia sic exigit bonum commune) recedendi à contractu Rex, seu supremus Princeps habet, secus si non habet: Intelligitur tertiò, secundùm tertiam responsionem, si scilicet Rex notabiliter in contractu fuerit læsus, secus autem, si læsus non fuerit; nam in casu, quod contractus est onerosus, & causam rationabilem recedendi a contractu Rex non habet, & notabiliter in contractu læsus non est, necessariò tenetur stare contractui, quia sicuti dicebam, licet Rex quodammodo non subdatur Iuri positiuo: nam est supra illud, subditur tamen Iuri naturali, & Diuino: nam quilibet, etiam Rex, vtpote Creatura, necessario Creatori subditur: Accedit, quod alioquin nemo amplius cum Rege contraheret, nec pactitaret, etiam in Parlamentis generalibus.

Atque ita docet Innoc. *cap. nouit. de Iud.* Ant. de Butr. *in cap. cum Maria de constit.* Ludouic. Rom. *in cons. 252. & cons. 352.* Ias. *in cons. 10. volum. 3.* Philip. Corn. *in cons. 70. volum. 2.* Sylu. *in verb. Princeps,* Bald. *de vsibus feudi in rubr. de natura feudi, & in cons. 326. vol. 1.* Matth. *de Afflict. in constit. regni, ea quæ ad decus,* Molin. *tom. 3. disp. 667.* Belluga *in spec. Princip. rubr. 1. & rubr. 46.* & alij multi, quos citat, & sequitur Borrell. *in addit. ad rub. 1. Bellugæ littera N.* & Vasquez *in opusc. de restit. cap. 6. §. 1. dub. 2.*

16 Quòd, si autem contractus sit gratuitus, vel sit Priuilegium ex mera Regis liberalitate concessum, vel rationabilem (quia sic scilicet exigit bonum commune) recedendi à contractu Rex causam habeat, vel notabilitèr Rex læsus fuerit, tunc vltro concedo, quòd non tenetur Rex, prout dixit Baua, stare contractui.

17 Obijcies secundò Rex iurat stare contractui, ergo, saltem ratione iuramenti, tenetur stare contractui; cum iure naturæ teneamur omnes cauere, ne faciamus Deum testem falsi.

18 Respondetur: nego consequentiam, quia, sicut ex rationabili causa tolli potest, etiam à potestate seculari, obligatio iuramenti, impediendo ne ipsam ab initio iuramentum inducat; vt, si Princeps statuat, iuramentum contractui, vel promissioni alieni adiectum esse irritum, & nullum; quemadmodum Trident.

19 Concil. *sess. 25. cap. 16. de regular.* irritum reddit iuramentum adiectum renunciationi bonorum; si fiat hæc ante bimestre, quòd professionem præcedit; Et in regno Lusitaniæ de iure Rigio nouæ Recopil. *l. 4. tit. 74.* irriti 20
redduntur omnes contractus, obligationes, conuentiones, promissiones, remissiones, & distractus iuramento confirmati (si alioquin ad forum seculare eorum cognitio pertinebat) nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit; Et simili ferè modo in regno 21
Castellæ irriti etiam redduntur omnes contractus, exceptis quibusdam paucis, vt refert Molin. *disp. 149.* Quòd ideo factum est ne lites super huiusmodi contractus traherentur ad forum Ecclesiasticum; Cum iuramentum fa- 22
ciat, vt causa, quæ aliàs merè est ciuilis, fiat mixti fori, vt pattet *ex cap. fin. de foro compet. in 6.* Sicut, inquam, ex rationabili causa tolli 23
potest, etiam à potestate sæculari obligatio iuramenti, impediendo ne ipsam ab initio iuramentum inducat, ita & tolli potest (quidquid in contrarium dixerit Couarru. *in cap. quamuis p. 1. §. 3. num. 22.* & Rodrig. *tom. 1. summæ cap. 192, num. 9.*) obligatio iuramenti ipsam iam inductam tollendo per authoritatem Superioris, etiam secularis; idque etiam, si iuramentum factum in fauorem tertij acceptatum sit, dummodo tamen legitima causa subsit illud tollendi; Cum non possit Superior sine iusta causa ius alterius tollere.

Causæ autem iustæ sunt, primò, si metu, 24
vel fraude extortum sit iuramentum: Secundò, si alia iniustitia, vel iniuria intercessit, vt cum vsurarius exigit iuramentum de soluendis vsuris: Item, cum quis in contractu est grauitèr læsus, & aliquo modo coactus iuramento illum confirmare, vel non aduentus læsionem sponte illum confirmauit: Tertiò, iniustam pœnam: Quartò, si bonum commune ita postulat, vt si v. g. filius familias existens sub patria potestate mutuo pecuniam accepit sine consensu patris (qui propterea ex beneficio Senatus-Cons. Maced. non tenetur ad solutionem, etiam post mortem patris) & cum iuramento renunciat tali Senatus-Consulto Macedoniano; qua de re videri potest Lessius *lib. 2. de Iust. & Iur. cap. 20. dub. 2. num. 9.* Vel si quis alter cum iuramento promittit non accusare, non denunciare, non contra testari, & similia.

Ratio autem, cur obligatio iuramenti tolli 25
possit per authoritatem Superioris, etiam secularis, ex iusta causa, illa est; quia in iuramento semper tacitè subintelligitur conditio, *nisi Superior sua authoritate ex legitima causa remittat.* Vnde dici consueuit, quòd in iuramento censetur excepta authoritas Superioris: qui enim aliquid promittit alteri, etiam iurando (cum iuramentum, vtpote accessorium, sequatur naturam promissionis, vtpotè principalis) tacitè semper subintelligit conditionem, *nisi Superior sua authoritate ex legitima causa remittat.* Sicut & aliam similem, *si tu velis, vel nisi tu remittas, vel nisi Superior, cui materia subest, contradicat, &c.* vide, quæ dicentur infrà *sect. 39. 40. & 48. & cap. 3. dubit. 39. sect. 1. & seqq.*


Obiicies tertiò Rex hoc ipso, quod exigit 26
beneficium restitutionis in integrum ex eo quod læsus est, tenetur restituere omnem pecuniam, quam accepit ab illis, qui cum

ipso contraxerunt cum alagiis, ergo, &c.

Respondetur: nego antecedens, sed sufficit, quòd ad limites iustitiæ (cum sic seruatur æqualitas) contractum reducat, soluendo v. g. quotannis proportionatum, & iustum interesse, vel pro hoc iusto, & proportionato interesse, assignando æquiualentia corpora, siue ex emptis, siue ex aliis, quæ rationabilitèr Rex voluerit. Præsertim, si Rex hìc, & nunc non sit in posse, vt pecuniam illam restituat, vel sit in necessitate, vt illam insumat ad subueniendum bono communi, & necessitatibus regni, vt bellorum, &c. Præsertim secundò, si qui contraxerunt cum Rege, magnum lucrum fecerunt in damnum regni, & ipsius Regis; & ex alio capite teneantur Vassalli subuenire Regi, si Rex in necessitate sit ad subueniendum bono communi; Præsertim tertiò, si Rex, quod recuperat, in beneficium commune conuertit, & per hoc euitat nouas impositiones, & gabellas, alioquin (cum sic vrgeat regni, nedum Regis necessitas) necessariò imponendas.

27 Obiicies quartò saltem per hoc Rex, quod exigit beneficium restitutionis in integrum, & non restituit pecuniam illis, qui cum ipso læso contraxerunt, rescindendo scilicet totalitèr contractum cum ipsis, amittit fidem, itàvt cum ipso in posterum nemo contrahere velit; quod cedit in magnum præiudicium, etiam regni, ergo, &c.


Respondetur: nego, Regem per hoc amittere fidem in contrahendo, vt patet in pupillis, Ecclesiis, locis piis, & aliis, quibus de iure conceditur beneficium restitutionis in integrum, in casu quod magnam læsionem in contrahendo patiantur. Et ratio à priori est, quia cum concessione beneficij restitutionis in integrum locorum, vel personarum fauorabilium nunquam inuoluitur læsio, & aggrauatio alterius partis, sed semper ibi insistitur, vt seruetur æqualitas; & si aliquando meritò non seruetur in pœnam.



SECTIO III.

An possit Rex. seu quilibet alius supremus Princeps reuocare Vassallis priuilegia concessa?

1 Respondetur ex dictis *sect.* 1. *&* 2. quod possit Rex reuocare Vassallis priuilegia concessa; Bald. *in l. qui se Patris Cod. vnde liberi*, Luc. de Pen. *in l. fin. Cod. de locat. præd. ciuil. lib.* 11, & Belluga *in spec. Princip. rubr.* 26. §. *Princeps*; Vnde quamuis Neapolitanis concessum sit priuilegium, (vt apparet *ex cap.* 6. *in lib. capitulorum fol.* 62. ne ipsis fiat confiscatio bonorum, nisi pro delictis criminis læsa Maiestatis Diuinæ, vel humanæ, hoc tamen non obstante in dies sæpè sæpiùs ipsis mandata fiunt ex diuersis causis, & exiguntur pœnæ, & signanter pœnæ mandatorum spretorum; necnon & in dies in præiudicium prædicti priuilegij fiunt multæ pragmaticæ, decreta, & banna, in quibus pœnæ pecuniariæ imponuntur, & exiguntur. Ratio; quia non tenetur Princeps, concurrente bono publico, priuilegia, vel leges sequi; sed in tali casu omnes pœnæ sunt ipsi arbitrariæ, sicuti rectè notauit Bald. Aret. & Salic. *in l. fin. Cod. vbi sen. vel clariss.* ob publicum bonum, sicuti dicebam.



SECTIO IV.

An possit Princeps cogere Vassallos, vt frumenta, vel alia bona, quæ habent iusto pretio vendant?

SVMMARIVM.

1. *Princeps (si sic exigit bonum commune) cogere potest Vassallos, vt frumenta, vel alia bona, quæ habent, vendant iusto pretio, & multoties etiam pretio viliori.*
2. *Praxis, quod tempore penuriæ per Proreges taxantur qui frumentum, vel quid simile ad vitam hominis necessarium habent, vt illud vendant taxato quodam pretio, vnde nam ortum habuit.*
3. *Contractus licet libero contrahentium consensu perficiantur, attamen quia sæpe bono communi expedit, imo necessarium est, vt quis propriam rem vendat, vel alienam emat, cogitur aliquando quis inire.*
4. *Respublica frumentum congregans in subsidium necessitatis probabiliter futuræ, ea postea non adueniente, potest in suos Ciues illud frumentum diuidere, & ad emendum iusto pretio compellere.*
5. *Respublica potest ob obsedionis timorem compellere Ciues vt victualia necessaria emant.*
6. *Supremus Princeps compellere potest Ciuem suum vt Romum vendat pro Ecclesia ædificanda, Monasterio, vel Hospitali, vel Palatio Principis construendo, aut ampliando, via publica necessaria ad aliquem locum parandа.*
7. *Socius potest compellere socium vt partem suam vendat iusto pretio si velit Ecclesiam, vel alterum locum pium in loco construere, qui alteri communis est, quia pietas & Religio impediri non debet.*
8. *Ciues habentes frumentum, vel alia victualia, sæpe cogi possunt à Magistratibus iusto pretio designato vendere, vt communi egestati succurratur.*
9. *Iudex ob eamdem rationem poterit impedire nequis vltra necessitatem emat frumentum, vel alia victualia, ne aliis necessaria deficiant, vel carius vendatur.*
10. *Dominus seuere, & inhumaniter tractans seruum suum cogi potest illum vendere iusto*

p[...]uo, quia expedit Reipublicæ ne permittat quempiam sua re abuti, & proximo iniuriosum esse.

11. *Dominus temporalis subditos inique vexans, cogitur, iurisdictionem, quam habet, alteri saltem ad suam vitam, vendere.*

12. *Iudex impedire potest ne alter in proximi damnum ædificet, aut fenestras aperiat, si maxime cedat in præiudicium loci Religiosi.*

13. *Ob eamdem rationem, implorato Iudicis officio, potest impediri ædificium ex quo prædium alicuius inutile redditur.*



1 Respondetur ex dictis *cit. sect.* 1. & 2. quod possit Princeps (si sic exigit bonum commune) cogere Vassallos, vt frumenta, vel alia bona, quæ habent, vendant iusto pretio (quod prudentium virorum arbitrio taxatur) & multoties etiam pretio viliori pro necessaria sustentatione ciuitatis, regni, vel militiæ, &c. qua de re *in l. 1. Cod. de metal lib.* 1. qui est vnus de casibus, quo quis inuitus vendat; atque ita etiam docet Bart. *in l. 1. §. cura carnis, ff. de offic. Præfect. vrb.* Luc. de Pen. *in l. vnica in fine vt nem. lic. in empt. spec. se excus. & in l. 1. Cod. ex quibus num. lic. se excus.* Couarru. *var. resolut. lib. 3. cap. 14. Afflict. in proœmio constitut. regni quæst.* 3. vbi multas affert decisiones Præsidentis de Franchis *in decis.* 9. & Io. Thom. de Minar. *in repet. constit. in aliquibus, in verbo Comitum, & Baronum num.* 59.

2 Atque hunc ortum traxit praxis, quod tempore penuriæ per pro Reges taxantur qui frumentum, vel quid simile ad vitam hominis necessarium habent vt illud vendant taxato quodam pretio; qua de re vide Flor. *in l. si quid, ff. de vsufructu*, & quæ dicentur mox infra *sect. seqq.*

3 Ex dictis infertur, licet per se nullus compellatur contractum emptionis, vel venditionis instituere, nam cum hi contractus libero contrahentium consensu perficiantur, ab omni compulsione liberi esse debent, vt colligitur *ex l. inuitum Cod. de contrahenda venditione, & l. nec emere Cod. de iure deliberandi*, & docent Doctores quos citat, & sequitur Gomez 2. *var. cap.* 2. Æbedo *in l. 1. tit. 25. lib. 5. nouæ collect. num. 21. & seqq.* & Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 5. num.* 34.) tamen quia sæpè bono communi, vel Religioni expedit, imo necessarium est, vt quis propriam rem vendat, vel alienam emat, posse te, stante hac necessitate, vel vtilitate, ad id compelli ab illis, à quibus pendet publica gubernatio; quia talem potestatem Reipublicæ Gubernatores habere maximè necessarium est, vti prædicti Doctores tradunt. Incertum tamen est, an ad hanc compulsionem per inferiores Iudices faciendam opus sit necessitatem boni communis adesse, vel sufficiat illius vtilitas, & conuenientia, vt videre est apud Couarru. infrà.

4 Infertur secundò, Rempublicam frumentum congregantem in subsidium necessitatis probabiliter futuræ, ea postea non eueniente, posse in suos ciues illud frumentum diuidere, & ad emendum iusto pretio compellere: Item posse 5
ob obsidionis timorem compellere ciues, vt victualia necessaria emerent &c. & sic de aliis euentibus, Layman. *cit. cap. 17. §. 5. num.* 34.

Infertur tertiò compelli te posse, saltem à 6
supremo Principe, vt domum vendas pro Ecclesia ædificanda, Monasterio, vel Hospitali, vel Palatio Principis construendo, aut ampliando, via publica necessaria ad aliquem locum paranda, *argum. text. in l. si locus §. vltimo, ff. quemadmodum seruitutes amittantur, & l. si quis sepulchrum, ff. de Religionis, & sumpt. funer.* & tradunt Gomez, *cit. num.* 51. Couarru. *num.* 7. Gregor. Lopez *in l. Regia 3. Glos.* 1. & Molin. *disp.* 341. Idem dicendum, si velis Ec- 7
clesiam, vel alterum locum pium in loco construere, qui alteri socio communis est, quod possis similiter compellere socium vt partem suam vendat iusto pretio, quia pietas, & religio impediri non debet, vt ex Baldo probat Anton. Gomez. *loc. suprà cit. argum l. 2. Cod. de communi seruo manumitt.* vbi fauore libertatis cogitur quis seruum communem iusto pretio vendere, cum alter socius illum manumittere vult.

Infertur tertiò, ciues habentes frumentum, 8
vel alia victualia sæpè cogi posse à Magistratibus iusto pretio designato vendere, vt communi egestati succurratur vt probat Text. *in l. 1. §. cum carnis, §. de offic. Præfect. verb.* & aduertit Anton. Gomez, *cit. cap. 2. num.* 51. Couarru. 3. *var. cap. 14. num.* 8. & Molin. *disp.* 341.

Ob eandem rationem poterit Iudex impedire, quod quis ex frumento, vel aliis victualibus 9
vltra necessitatem emat, ne aliis necessaria deficiant, vel carius vendantur, *argum. l. si Dominus, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris*, & habetur *in lege Regia 6. tit. 21. p.* 4. & notat Anton. Gomez. *loc. suprà cit.* Item poterit Iudex impedire, quod exteris prædicta vendantur, sed solis ciuibus, cum vtrisque non sufficiunt.


Infertur quartò, Dominum qui seueritèr, & 10
inhumanè seruum suum tractat, cogi posse illum vendere iusto pretio, quia expedit Reipublicæ, ne permittat quempiam sua re abuti, & proximo iniuriosum esse, sicuti dicitur *in §. fin. Institut. de his, qui sunt sui vel alieni iuris*; Et idem est, si ad turpia, vel illicita seruum pertraheret, vti rectè aduertunt Anton. Gomez, Couarru. Molin. & Layman *in loc. suprà cit.*

Ex qua doctrina prædicti Doctores meritò 11
subdunt, cum Dominus temporalis subditos iniquè vexat, cogendum illum esse, iurisdictionem, quam habet, alteri, saltem ad suam vitam, vendere, vel illa priuandum esse, *argum. l. vnica, quod si quacumque præditus potestate, & cap. litteras in fin. de restit. spoliatorum.*

Infertur quintò, posse Iudicem impedire, ne 12
alter in proximi damnum ædificet aut fenestras aperiat: nam esto cuilibet in suo prædio concessum sit ædificium attollere, & fenestras aperire, si tamen id cedit in præiudicium alicuius loci Religiosi, eo quod Virgines Deo dicatæ,

quinimmo vt viri Religioſi videantur, & cenſurentur, impedire poterit.

13 Ob eamdem rationem impedire poteris, implorato Iudicis officio ædificium, ex quo tuum prædium inutile redditur, vel magnum præiudicium generatur, ædificari autem parum vel leue commodum affert; qua de re videri poterit Couarru *cit. cap.* 14. Anton. Gomez. *cit. cap.* 2. *in fin.* Molin. *diſp.* 709. Andr. Gaill. *lib.* 2. *obſeruat.* 69. & Layman, *cit.* §. 5. *num.* 34.



SECTIO V.

An liceat triticum, aliaſque merces vendere vltra legitimum pretium, ſeruata æqualitate pretij naturalis, ſeu vulgari, quod alias ſecluſa lege iuſtum eßet?

SVMMARIVM.

1. *Lex à Principe lata, qua taxantur triticum, aliæque merces tempore penuriæ ſecundum plures Doctores ſeruanda non eſt ſed ſtandum eſt communi hominum æſtimationi.*
2. *Leges attendunt ad ea, quæ frequentius accidunt, & non præſumuntur latæ pro caſu extraordinario, & raro contingenti, & ita ex præſumpta voluntate Principis cenſentur ceſſare.*
3. *Lex vt obliget, debet eſſe iuſta, at taxans infra infirmum pretium naturale, non videtur iuſta, & ſic nulla eſt eius determinatio.*
4. *Lex taxans pretia rerum, ſpectare debet circumſtantias occurrentes, quæ aliquando exigunt pretium diminui, aliquando augeri.*
5. *Lex quæ tempore abundantiæ, vel ſaltem non ſterilitatis iuſta cenſetur, nequit ſuperueniente graui, & extraordinaria ſterilitate iuſta cenſeri.*
6. *Æque bono communi expedit, ne Domini tritici grauentur, Agricolæ, qui plures ſumptus in tritico parando expenderunt damnificentur, & Pauperibus ſubuenire.*
7. *Princeps poteſt ſua lege pretium frumenti, aliarumque mercium taxare infra infimum alias iuſti pretij vulgaris; cum id bono communi iudicat expedire.*
8. *Princeps in conſtituendo pretio rerum non procedit declarando pretium naturale; ſed illud ſtatuendo, & determinando, provt ſuo Regno, & communi bono expedire iudicat.*
9. *Princeps in taxando pretium diuerſam cauſam ſpectat, quam ſpectent homines ſpectantes proprias, & ſingulares neceſſitates & ideo taxatio quandoque cenſetur iniuſta.*
10. *Princeps poteſt habentes frumenta, aliaſque merces venditioni paratas, obligare vt eas vendant pretio à ſe taxato; quia in ea obligatione nullam eis infert iniuriam, cum obliget ad venditionem iuſtam, & bono communi expedientem.*
11. *Venditores pretium à Principe taxatum excedentes peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem; quia indebitum exigunt contra Dominorum voluntatem.*
12. *Princeps licet in aliquo caſu raro, & extraordinario, quo manifeſtum eſt bono communi expedire, vt frumentum, aliæque merces taxentur, poßit ſic taxare; regulariter tamen, & ſecundum communem curſum non videtur id poſſe facere.*
13. *Princeps non habet poteſtatem grauandi ſibi ſubditos inæqualiter vt bono communi ſubueniat.*
14. *Princeps, ſi habentes triticum, cogeret vendere infra infimum iuſti pretij, quod ex natura rei ſpectatis circumſtantiis tunc concurrentibus, valet, has, præ cæteris ſubditis grauaret.*


Aſus contingere conſueuit cum ob 1
anni ſterilitatem magna eſt tritici,
aliorumque fructuum vitæ humanæ
neceſſariorum ſterilitas.

In quo caſu ſeruandam non eſſe legem à Principe latam, ſed ſtandum eſſe communi hominum æſtimationi.

Affirmat Nauarr. *cap.* 28. *num.* 86. Ioann. Medina *de reſtitut. quæſt.* 36. *ad* 2. *& quæſt.* 31. §. *prædictis tamen*, Molin. *tract.* 2. *diſput.* 364. §. conueniunt Doctores, Rebell. *de obligat. iuſtit.* 2. *part. lib.* 9. *quæſt.* 2. *ſect.* 3. *num.* 14. Angleſ. 2. *par.* 4. *tit. de Empt. dub.* 2. Vega *verb. trigo, caſu* 1 & Mexia *in practic. frument. concluſ.* 3. *num.* 17. *& concluſ.* 18. *num.* 26.
mouentur ex eo, quia leges attendunt ad ea, 2
quæ frequentius accidunt: ergo non præſumuntur latæ pro caſu extraordinario, & raro contingenti, ſicque in tali caſu ex præſumpta voluntate Principis lex cenſetur ceſſare. Se-
cundò quia, vt lex obliget, debet eſſe iuſta; 3
at lex taxans pretium infrà infimum pretium naturale non videtur iuſta, quia Princeps ſua lege determinat pretium naturale, quod varium eſt, & incertum, vtpotè à multis dependens: ergo, cum infrà iuſtum determinat, nulla eſt eius determinatio. Tertiò quia lex
taxans pretia rerum, ſpectare debet circum- 4
ſtantias occurrentes, quæ aliquando exigunt pretium diminui, aliquando augeri (aliàs ſi has circumſtantias in conſtitutione pretij Princeps non ſpectaret, irrationabiliter, & imprudenter ageret) ergo lex, quæ tempore
abundantiæ, vel ſaltem non ſterilitatis, iuſ.. 5
cenſetur, nequit ſuperueniente graui, & e
traordinaria ſterilitate iuſta cenſeri.

Neque ſatisfit, ſi dicas bono communi expedire, ne pauperes grauentur, vt eodem pretio tempore ſterilitatis triticum vendatur nam, vt rectè ait Molin. *diſput.* 364. æquè bono communi expedit, ne Domini tritici grauentur, vel ne Agricolæ, qui plures ſumptus in tritico parando expenderunt, damnificentur; præſertim, cum pauperes ſubueniri debeant, non tam venditione, quàm donatione. His tamen non obſtantibus.

Reſpondetu

I e[illegible]detur, posse Principem sua lege pre[illegible] ti, aliarumque mercium, pretia [illegible] infimum aliàs iusti pretij vulgaris, [illegible] bono communi iudicat expedire; Ratio [illegible] Princeps in constituendo pretio rerum, [illegible] cedit declarando pretium naturale, sed [illegible] statuendo, & determinando, prout suo [illegible], & communi bono expedire iudicat. At [illegible] expedit bono communi taxare fru[illegible] infrà infimum iusti pretij naturalis: ergo talis taxatio iusta censeri debet.

9 Confirmatur, quia ideo talis taxatio censetur esse infrà infimum iusti pretij naturalis, quia homines tantum spectant singulares, & proprias necessitates, vt caritatem mercium, & copiam emptorum, At Princeps spectare [illegible] causam superiorem [illegible] forsan ipsis ignota, [illegible] si homines spectarent, iudicarent [illegible] Principe taxatum non excedere iustum pretium naturale: ergo sic censeri debet.

[illegible] docent Bartol. *in l. 1. §. cura car[illegible]* Abbas *cap. 1. de [illegible]* num. 6. Couarru. 2. *var. cap. 3 num.* 5. Grassis, 1. *part. decis. lib. 2. cap.* 57. *num.* 12. *& cap.* 113. *num.* 1. Castr. *lib. 1. de leg. pœn. cap.* [illegible] *ad finem*, Lessius *de Iustit. & Iur. lib. 2. cap. 12. dub. 2. num.* 14. Ioann. [illegible] *tract. de empt. & vendit. dub. 6. conclus.* 2. & Molin. *tract. 2. disput.* 365. *§.* ad hoc tamen.

10 Hinc sequitur, quod potest Princeps habentes frumentum, aliasque merces venditioni paratas, obligare, vt eas vendant pretio à se taxato; quia in ea obligatione nullam eis infert iniuriam cum obliget ad venditionem iustam, & bono communi expedientem, vt clare deciditur *l.* [illegible] 25. *lib. 5. nouæ collect.* & pluribus ibi [illegible] Marien. [illegible] 1 & Acebedo, *num.* 6. & tradit Couarruu. 2. *variar. cap. 3. num.* 5 & 3. *variar. cap.* 14. *num.* 3. Graffis *cap.* 113. *num.* 8. & 9. Molin. *disput.* 341. [illegible] *verb. emptio cas.* 50. & Salas, *dub.* 6. [illegible] 4.

11 Sequitur secundo, quod si prædicti venditores pretium sic à Principe taxatum, excedunt, & peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur, quia indebitum exigunt contrà Dominorum voluntatem, vt ex communi sententia prædictorum Doctorum testatur Salas, *loc. cit.* & si dissentiat Molin. *disput.* 265. *§. ex his.*

12 Cæterum, licet in aliquo casu raro, & extraordinario, quo manifestum est bono communi expedire, vt frumentum aliæque merces infrà infimum iusti pretij naturalis taxentur, possit Princeps sic taxare, regularitèr tamen & secundùm communem cursum non videtur id posse facere Princeps, vt pluribus comprobat

13 Molin *disput.* 365. *per tot.* Ratio, quia Princeps non habet potestatem grauandi sibi subditos inæqualitèr, vt bono communi subueniat;

14 At si habentes triticum, cogeret vendere infrà infimum iusti pretij, quod ex natura rei, spectatis circumstantiis tunc concurrentibus, valet hos præ cæteris subditis grauaret: ergo.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

SECTIO VI.

An adueniente sterilitate frumenti, aliarumque mercium vrgeat lex, quæ tempore abundantiæ locum habebat?

SVMMARIVM.

1. *Lex Lata tempore abundantiæ secundùm aliquos Doctores cessat adueniente sterilitate vt iniusta & iniqua.*
2. *Princeps non habet potestatèm grauandi sibi subditos inæqualiter, grauaret autem inæqualiter si habentes frumentum tempore sterilitatis cogeret vendere eo pretio, quo tempore abundantiæ vendebatur.*
3. *Lex vt sit iusta taxare debet pretium, quod æquale sit ipsis rebus spectatis circumstantiis concurrentibus.*
4. *Lex regulariter (vt in castella) lata de pretio frumenti obligat anno sterilitatis adueniente.*
5. *Taxa frumenti, hordei, & similium, lata est tempore sterilitatis, præcipit enim Magistratibus, vt seculares, & Ecclesiasticos habentes triticum cogant ad vendendum pretio taxato; quod necessarium non esset, si non esset necessitas.*
6. *Conclusio prædicta regulariter firmari debet; nam si sterilitas tanta esset, vt pretium infimum quod competit frumento ex natura rei spectatis circumstantiis longe excederet pretium à lege taxatum, in tali casu ex præsumpta voluntate Principis taxa cessaret.*



QVidam, vt Nauarrus *cap.* 23. *num.* 88. Rebellius *de obligat. Iustit.* 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 3. *num.* 14. Mexia *in Pragm. frumenti conclus.* 3. *num.* 17. *& conclus.* 13. *num.* 16. Angles 2. *part.* 4. *tit. de emption. dub.* 1. & Molina *disput.* 364. *&* 365. *per tot.* putant cessare talem legem, vtpotè iniustam, & iniquam. Mouentur ex eo, 1
quia Princeps, vt dicebatur non habet potestatem grauandi sibi subditos inæqualitèr: grauaret autem inæqualitèr si habentes frumentum tempore sterilitatis cogeret vendere eo pretio, quo tempore abundantiæ vendebatur, ergò. 2
Secundò, ex eo, quia lex, vt sit iusta, taxare debet pretium, quod æquale sit ipsis rebus, 3
spectatis circumstantiis concurrentibus: ergò lex, quæ pretium frumenti anno sterilitatis æquè, ac anno abundantiæ taxaret, iniqua esset, sicque non est censenda obligare. His tamen non obstantebus.

Respondetur, regularitèr, legem, vt in castella, latam de pretio frumenti, obligare anno 4
sterilitatis adueniente. Sic Cordub. *in summ. quæst.* 78. Petr. Nauarr. *de restitut. lib. 3. cap. 2. num.* 2. Ledesma 2. *part. summ. tract.* 8. *cap.*

32. *difficult.* 19. *de taxa.* Emanuel Roderiguez *verb. conditio cap.* 69. *conclus.* 1. Guttier. *lib.* 1. *practic. quæst.* 180. *num.* 8. *& seqq.* Albornoz *de contract.* 2. *tit.* 16. Mutien. *l.* 1. *Glos.* 2. *tit.* 25. *lib.* 5. *compilat.* & ibi Acebedo, & specialiter *l.* 4. *eodem titul. pag.* 60.

5 Probatur, quia taxa frumenti, hordei, & similium, de quibus est sermo *l.* 5. *tit.* 25. *lib.* 5. *compilat.* lata est tempore sterilitatis, vt rectè aduertit Castro *lib.* 6. *de leg. pœnal. cap.* 12. & constat ex ipsa lege, quæ præcipit Magistratibus, vt seculares, & Ecclesiasticos habentes triticum, cogant ad vendendum pretio taxato; quod necessarium non esset, si non esset necessitas: ergò ob sterelitatem anni, non est censenda lex cessare, cùm etiam pro eo anno lata sit.

Neque ab obligatione seruandi taxam deobligatur homo ex eo, quòd plures sumptus in colligendo tritico fecerit, quàm est taxa Regia, vt voluit Mexia *in Pragm. panis conclus.* 2. *per tot.* nam vt rectè Guttier. *cit. quæst.* 180. *num.* 30. & Acebedo probant, id per accidens est, & legem mutare non potest; si enim hoc anno plus expendit homo ob sterilitatem, alio anno compensabitur, vel compensatum est ob abundantiam.

6 Dixi regulariter: quia, si sterilitas tanta esset, vt pretium infimum, quod competit frumento ex natura rei spectatis circumstantiis, longè excederet pretium à lege taxatum (vti cōtigit in Castello anno 1631. & in Lusitania eo anno, de quo testatur Molina, pretium frumenti ad duplum taxæ excessisse) puto in tali casu ex præsumpta voluntate Principis, taxam cessare, sicuti nobiscum sentit Molina cum aliis *loco citat.*



SECTIO VII.

An Exteri, Clerici, & Religiosi teneantur obseruare legem pretium frumenti, aliarumue mercium taxantem?

SVMMARIVM.

1. *Exteri asportantes frumentum per mare vt v. g. in Regno Hispaniarum vendant, à taxa legis eximuntur, vt sic ad adducendum frumentum, quo Prouinciis Hispaniæ indigentibus subueniatur, excitentur.*
2. *Naturales etiam si asportent frumentum per mare eodem modo ac Exteri licitè frumentum vendere possunt absque taxa.*
3. *Ratio ob quam asportantes eximuntur à taxa est vehitio per mare, & ideo asportantes per terram tantum non gaudent hoc priuilegio.*
4. *Asportantibus per terram sua etiam priuilegia conceduntur.*
5. *Naturales non possunt taxam excedere etiam si Exteri frumentum per mare asportatum vltra taxam vendant ex priuilegio, licet frumentum ex eorum agris collectum, vel aliunde asportatum sit æquè bonum, & forsan melius, nisi exterorum excessus sit vltra tertiam partem.*
6. *Clerici, & Religiosi prædictam legem obseruare tenentur; quia talis lex æqualitatem pretij cum frumento vendito constituit.*
7. *Clerici, & Religiosi æqualitatem in suis contractibus obligantur obseruare, tametsi directè legibus ciuilibus non obligarentur.*
8. *Potestates seculares petere possunt vt Clerici, & Religiosi habentes frumentum sibi, suæque familiæ non necessarium, vendant pretio à lege taxato.*
9. *Clerici, & Religiosi si noluerint obedire requisiti vt vendant frumentum sibi ipsis superfluum, puniri debent à suis Iudicibus Ecclesiasticis, ad quos recurrere pro frumentis sequestrandis, & ab ipsis auferendis pro publicis necessitatibus consultius est.*

Respondetur; Et dico primò, exteri 1
asportantes frumentum per mare,
vt v.g. in Regno Hispaniarum
vendant, à taxa legis eximuntur,
vt sic ad adducendum frumentum, quo Prouinciis Hispaniæ indigentibus subueniatur, excitentur; Salon. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controu.* 1. *&* 3. Salas *Tract. de empt. dub.* 7. Molin. *disput.* 264. Ledesma 2. *par. summ. tract.* 8. *cap.* 32. *difficult.* 11. *de Tax.* & Rebellius *de obligat. iustit.* 2. *par. lib.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 9. *in fin.*

Dico secundò etiam naturales, si asportent 2
frumentum per mare eodem modo, ac exteri, licitè frumentum vendere possunt absque taxa; quia æquum non est, vt beneficium, quod conceditur exteris, denegetur naturalibus, cum vtrobique sit omninò eadem ratio, Salas *citat. dubit.* 7. *in fin.* Molin. *disput.* 364. & Ledesma *loco supra citat. difficult.* 13.

Dico tertiò. Ex eo tamen quod per terram 3
aliundè frumentum asportent, non gaudent eodem priuilegio (vt scilicet possint similiter frumentum vendere sine taxa) quia priuilegium illud solum loquitur de asportantibus per mare, quod propterea extendi non debet ad asportantes per terram; quia non videtur eadem ratio, nec sub lata forma verborum priuilegij continentur. Accedit quod asportanti- 4
bus per terram sua etiam priuilegia conceduntur, vt rectè aduertit Salas *loc. cit.*

An autem, cum exteri frumentum per ma- 5
re asportatum vltrà taxam vendunt, possint eodem pretio vendere naturales frumentum ex suis agris collectum, vel aliundè asportatum, quod est æquè bonum, & forsan melius.

Ratio dubitandi est, quia ex venditione excedente taxam conuincitur, taxam iustam non esse, cum non taxet pretium æquale valori frumenti, quod tunc ex natura rei habet, spectatis circumstantiis occurrentibus.

Respondetur, si excessus non sit vltra tertiam partem, non posse naturales taxam excedere; quia non est censenda taxa cessare, quippe censenda est, taxa contineri intra latitud-

nem iusti pretij naturalis, & attingere infimum illius; cui non obstat, quod secundùm valorem naturalem frumenti medium, vel rigorosum amplius vendi possit, Rebellius 2. *par. de obligat. iustit. lib. 9. quæst. 2. sect. 2. in fin.* cum aliis. Secùs dicendum, si excessus vltrà tertiam partem communiter procederet: conuinceret enim tunc, taxam non adæquare iustum pretium naturale, & consequenter illius obligationem à Principe abrogari debere, vt rectè dixit Molin. *disput.* 365. §. *ex hoc autem.*

6 Dico quartò. Clerici, & Religiosi prædictam legem obseruare tenentur, quia talis lex æqualitatem pretij cum frumento vendito con-


7 stituit; & ex alio capite Clerici, & Religiosi æqualitatem in suis contractibus obligantur obseruare, tametsi directè legibus ciuilibus non obligarentur, Castro *lib. 6. de lege prœnal. cap.* 12. Ioann. Medin. *de Restitut. quæst.* 36. Azorius *tom. 6. lib. 5. cap. 12. quæst.* 4. Roderiquez 2. *part summ. cap.* 79. *conclus.* 5. & Guttierez 2. *pract. quæst.* 180. *num.* 16.

Quod à fortiori procedit in sententia eorum, qui docent, clericos, & Religiosos legibus ciuilibus immunitati Ecclesiasticæ non derogantibus directè obligari, quam sententiam tenent Salas *dubit.* 9. *conclus.* 2 & Rebellius 2. *par. de obligat. instit. lib. 9. quæst. 1. sect. 2. num.* 9. de qua tamen nos satis diximus *lib. de immunit. & iurisd. Ecclesiastica cap.* 9. & dicemus infrà *sect.* 30

8 Ex his sequitur, posse Clericos, & Religiosos habentes frumentum sibi, suæque familiæ non necessariu, a potestatibus sæcularibus peti, vt vendant pretio à lege taxato, sicut deciditur *l.* 1. *Regia tit.* 25. *lib.* 5. *compilat.* & docet Salas *tract. de empt. & vendit. dub. 9. conclus.* 1. Mexia *in Pragm. panis conclus.* 1. & Morla *in emporio iuris* 1. *par. tit. 9 quæst.* 1. *num.* 6. & ratio est, quia talis per legem petitio non videtur dedicere Clericos, & Religiosos.

9 Quod, si tales obedire noluerint, puniri debent à suis iudicibus Ecclesiasticis; & si non videatur improbabile, posse à potestatibus sæcularibus frumentum sequestrari, extrahi, & vendi, vtpote iniustè, & indebite retentum, Salas *loco cit.* & Guttierez *lib. 1. quæst. pract. quæst.* 13. *per totam*; Sed dicendum arbitror, prius requirendum esse iudicem proprium Ecclesiasticum, vt illos compellat, frumentum ipsis non necessarium exhibere; & auxilium præstet pro sequestrando, & capiendo frumento pro succursu publicæ necessitatis, vt rectè aduertit Acebedo *comment. ad leg. recollect. addita l* 4. *tit.* 25. *lib.* 5. *compilat.*





SECTIO VIII.

An possit semper licite vendi frumentum ad pretium lege taxatum?

SVMMARIVM.

1. *Lex taxans pretium frumenti, aliarumque mercium in gratiam Emptorum lata est, ne scilicet vltra illud pretium emere cogantur, liberumque reliquisse si minoris emere possent.*
2. *Emptores cogi non possunt ad pretium taxæ, si spectatis circumstantiis rigorosum pretium frumenti secundum eius valorem naturalem taxam non excedit; taxa enim terminum præscribit pretio ne vltra illud exigatur.*
3. *Lex taxans pretium frumenti spectat frumentum sanum, integrum & incorruptum, sicut ex area colligitur; quapropter si sit vitiosum, corruptum, paleis plenum, vermibus corrosum &c. non poterit vendi pretio à lege taxato; sed detrahendum est quantum prudentis arbitrio minoris valet.*
4. *Defectus paruus non consideratur ideo vitium notabiliter est demonstrandum.*
5. *Frumentum nimis purum, sanum, & integrum non potest vltra pretium legis vendi, quia esto excedat valorem frumenti à lege spectato, modicus est excessus, ratione cuius lex mutari non debet.*
6. *Admiscentes frumento puro, vel mundo aliqua inutilia, vel inferiora, aut vino optimo deterius, vel aquam, vel vinum nouum secundum aliquos Doctores possunt pretio taxato à lege vendere si ex malitiosa mixtione non reddatur deterius illo, quod ab aliis bona fide pretio à lege taxato venditur.*
7. *Probabilior tamen censetur opinio in oppositum, & cur.*
8. *Pretium cum non est taxatum lege; sed habetur ex communi vulgi æstimatione iuxta limitationem sal. mixtum ex malitia vendi potest eo pretio, quo res alia eiusdem bonitatis, & qualitatis.*
9. *Lex facere potest vt res inæquales in bonitate, ob bonum commune æquali pretio vendantur, & æquales minori pretio, vt in frumento per mare asportato; secus autem hominum æstimatio, quæ pretia rebus secundum earum bonitatem, spectatis circumstantiis, constituit.*
10. *Limitatio prædicta saltem Auctori non probatur, eo quod putet raro vel nunquam ea mixtione adulterina facta, rem æqualis bonitatis reddi ei, quæ tali mixtione caret.*
11. *Res notabiliter inæquales in bonitate eodem pretio, & æquales minori ex præcepto legis vendi, negat auctor.*
12. *Venditor si facta venditione talem adulteri-*

nam mixtionem faceret grauiter peccaret cum obligatione restituendi quidquid prudentis arbitrio res vendita deterioratur ob iniquam mixtionem.

13. *Ponens frumentum, vel lanam in loco humido, vt ex minori quantitate mensuram compleat, grauiter peccat, cum obligatione restituendi quidquid sic defraudauit.*

14. *Amplia vt restituendum sit etiamsi id non fecerit ex industria, monendusque est emptor ne res ei seruare volenti corrumpatur.*



Ratio dubitandi est, quia si pretium à lege taxatum non excedas, non excedis iustum, cum iustum censendum sit quod à lege taxatum est.

1 Vt autem nullus sit fraudi locus, aduerte, legem taxantem pretium frumenti, aliarumque mercium, in gratiam emptorum latam esse, ne scilicet vltra illud pretium emere cogantur, liberumque reliquisse, si minoris emere possint; quia id rationi consonum erat, & bono communi Reipublicæ expediens; Quare, si spectatis circumstantiis, rigorosum pretium frumenti secundum eius valorem naturalem taxam non excederet, emptores cogi non
2 possent ad pretium taxæ, quia taxa terminum præscribit pretio, ne vltra illum exigatur; At non derogat legi naturali pretium inferius constituenti; Cardon. *in summ. quæst.* 84. Medin. 1. *summ. cap.* 4. §. 25. Palatius 2. *de contract. cap.* 2. Salon. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controuers.* 11. Ludouic. 2. *par. instruct. cap.* 43. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 11. Rebellius 2. *par. de obligat. iustit. lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 3. & Guttierez *lib.* 2. *quæst.* 180. *num.* 12.

3 Aduerte secundò, legem taxantem pretium frumenti spectasse frumentum sanum, integrum, & incorruptum, sicut ex area colligitur; quapropter si notabiliter sit vitiosum, corruptum, paleis plenum, vermibus corrosum, &c. non poterit vendi pretio à lege taxato, sed detrahendum est, quantum prudentis arbitrio minoris valet, quam triticum sanum, integrum, & incorruptum, quod in taxæ lege fuit spectatum, Petr. Ledesma 2. *par. summ. tract.* 8. *cap.* 32. *conclus.* 7. *difficult.* 1. Molin. *disput.* 364. §. *posito*, Salas *dubit.* 11. & Rebellius *sect.* 3.

4 Dixi *notabiliter*, quia defectus paruus non consideratur, vt rectè dixit Molin. *loco supra citat.*

5 Neque propterea fit, quod frumentum nimis purum, sanum, & integrum possit vltra pretium legis vendi; quia esto, excedat valorem frumenti à lege spectati, modicus est excessus, ratione cuius lex mutari non debet, aliàs nihil esset in hac lege firmum, & raro vendentes ad sui obseruationem adstringeret. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 13. *circà finem*. & alij.

6 Difficultas igitur est, si frumento puro, & mundo misceas aliqua inutilia, vel inferiora, aut si vino optimo misceas deterius, vel aquam, vel vinum nouum, possis pretio taxato à lege vendere, sicut si nulla mixtio facta esset; & casus procedit, cum ex malitiosa mixtione non redditur deterius illo, quod ab aliis bona fide pretio à lege taxato venditur.

Quidam, vt Ludouicus Lopez 2. *par. instruct. cap.* 42. & Lessius *de iustit. & iur. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 11. *num.* 85. affirmant, quia si frumentum illud adduceretur ex area sic sordidum, & paleis permixtum, quale ex malitia constituitur, pretio legis venderetur licitè, vt supponimus: ergo etiam licite vendi potest, licèt ex malitia permisceatur: parum enim refert emptori, quod sic sordidum sit ex area adductum, vel domi permixtum; idemque dico de vino, si enim ob illius mixtionem malitiosam non redditur deterius eo, quod sine malitia pretio à lege taxato venditur, parum refert emptori, sit, vel non sit ex malitia permixtum. His tamen non obstantibus.

Respondetur, probabilius esse oppositum, 7
quod docet Salas, *tract de empt. & vendit. dub.* 12. *num.* 2. Medina, *lib.* 1. *summ.* §. 14. Ledesma 2. *part summ. tract.* 8. *cap.* 32. *difficult.* 2. Rebellius, 1. *part. de obligat. Iustit. lib.* 9. *quæst.* 8. *num.* 17. & *quæst.* 9. *num.* 3. Rodriguez, 2. *part. cap.* 79. *num.* 10. & Acebedo, *ad l.* 4. *tit.* 25. *lib.* 5. *compilat. in comment. ad leges additas in fin. num.* 2.

Probatur, quia taxa apposita est frumento, prout ex area colligitur, & vino, prout ex musto naturalitèr conficitur; velle autem palleas, vel aquam, vel aliud deteriùs mixtum eodem pretio, ac purum, & sanum frumentum, aut vinum, vendere eo quod ea frumento, vel vino misceas, iniquum est, cùm ex hac mixtione non accipiant ex se vllum valorem, sed rem mixtam, & quæ sub pretio legis continebatur, deteriorem reddant.

Confirmatur, quia si ex hoc nulla emptori 8
irrogatur iniuria, neque lex de taxa constituta violatur, minùs rectè dixit Lessius, *citat. dubit.* 11. *num.* 83. talem rerum vendendarum adulteratorem puniendum fore, cùm pœna non debeatur, nisi ob culpam.

Limitat tamen hanc doctrinam Salas, *citat. dubit.* 12. vt non procedat, cùm pretium non est taxatum lege, sed habetur ex communi vulgi æstimatione; in hoc casu enim putat, licitè mixtum illud ex malitia vendi posse eo pretio, quo res alia eiusdem bonitatis, & qualitatis iustè venditur ob rationem suprà adductam, & disparitatem assignat, quia lex facere potest, 9
vt res inæquales in bonitate, ob bonum commune, æquali pretio vendantur, & æquales minori pretio, vt in frumento per mare asportato, vel ibidem collecto; secùs autem hominum æstimatio, quæ pretia rebus secundum earum bonitatem, spectatis circumstantiis, constituit.

At hæc limitatio mihi non probatur, eò 10
quod putem, raro, vel nunquam ea mixtione adulterina facta, rem æqualis bonitatis reddi ei, quæ tali mixtione caret, licèt primo aspectu æqualis esse videatur; Neque est verum, res 11
notabiliter inæquales in bonitate eodem pretio, & æquales minori ex præcepto legis vendi, quia lex positiua semper æqualitatem cum pretio naturali intendit seruare.

12 Sed quidquid sit de his, quæ modò dicebatur, fatendum omninò est, si, facta venditione, talem adulterinam mixtionem faceres, te grauiter peccare, cum obligatione restituendi quidquid prudentis arbitrio res vendita deterioratur ob iniquam mixtionem, quia emptor ius habet, vt sibi res empta tradatur, sicuti illam emit, Salas, *citat. dubit.* 12. *num.* 3. & Roderiguez 2. *part. cap.* 79. *num.* 10.

13 Fatendum etiam est, si frumentum, vel lanam in loco humido ponas, vt ex minori quantitate mensuram compleas, te grauiter etiam peccare cum obligatione restituendi quidquid sic defraudas, quia minorem quantitatem dolosè præstas emptori, quam præstare tenebaris, Ludouic. Lopez 2. *part. instruct. cap.* 42. Emanuel Roderiguez, *citat. cap.* 79. *num.* 11. & Salas, *num.* 9. qui subdit, etiam si id non

14 fieret ex industria, detrahendum esse de pretio (quia determinatum est,) monendumque esse emptorem, ne seruare volenti corrumpatur.

distinguendum est: si iusto pretio emis, non videris iniustitiam committere, potes enim denegare frumentum ei, qui non vult tibi vendere, quod ab illo petis vendendum, cum vendendum, petas iusto pretio; At si peteres, vendi minori pretio, quàm vendi consueuit, fraudem committis, & teneris restituere, quantum de iusto pretio detrahis, Molin. *loco suprà citat.* & Guttierez, *lib.* 2. *quæstion. practic. quæst.* 181. *num.* 4.

Neque valet dici, concedi merces eo pretio uili in remunerationem beneficij accepti, vel gratis, & liberalitèr, quia id verum haberet, si nulla à uenditore frumenti petitione facta, & post frumentum venditum, & traditum concederentur; At cùm concedantur antequam frumentum sit traditum, conuincitur ad obtinendum frumentum, quod aliàs non speratur obtinendum, concedi. Ac proindè inuoluntariè, Guttierez vbi suprà *num.* 10. & *seqq.*

SECTIO IX.

An liceat vendere frumentum, vel aliam mercem pretio à lege taxato sub conditione, quod emptor alias merces assumat, vel tibi vendat?

SVMMARIVM.

1. *Frumentum, vel alia merces pretio à lege taxato sub conditione quod emptor alias merces assumat, vel tibi vendat, vendi non licet.*
2. *Nolens vendere frumentum, nisi alius eidem vendat oleum, vel vinum, &c. si iusto pretio emat, non videtur iniustitiam committere, potest enim denegare frumentum ei, qui non vult eidem vendere quod ab illo petit iusto pretio vendi: Secus si peteret vendi minori pretio, quia tunc est fraus, & insurgit obligatio restituendi quantum de iusto pretio detrahitur.*

1 Respondetur negatiuè, si emptorem cogas, vt simul cum frumento alias merces, forsan sibi inutiles, & à se non emendas assumat; itavt in tali casu tenearis restituere illi, quanti grauamen illud æstimabitur; Nauarr. *cap.* 23. *num.* 88. Petrus Ledesma, 2. *part. summ. tract.* 8. *cap.* 32. *difficult.* 10. Molin. *tract.* 2. *disput.* 364. §. *qui triticum,* Ioann. Salas, *tract. de empt. & vendit. dub.* 10. Medin. *de restitut. quæst.* 36. & Mathien. *l.* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *compilat. num.* 18.

Quod à fortiori procedit, si obligares illas merces assumere altiori pretio, quàm currenti, vt rectè adnotauit Acebedo *dict. l.* 1. *per text. ibi num.* 18.

2 Cæterum, si nolis vendere frumentum, nisi alius tibi vendat oleum, vel vinum, &c. tunc


SECTIO X.

An liceat vendere frumentum, vel aliam mercem pretio à lege taxato sub conditione, quod pretium in moneta aurea, vel argentea soluatur?

SVMMARIVM.

1. *Frumentum, vel alia merces pretio à lege taxato sub conditione vendi licet, quod pretium in moneta aurea, vel argentea soluatur secundum aliquos.*
2. *Petens ab emptore, vt pretium in moneta aurea, vel argentea soluat, non petit aliquid vltra pretium lege taxatum; cum pretium taxatum indifferenter soluendum sit in moneta ænea, aurea, vel argentea.*
3. *Venditor si facta conuentione de pretio legali soluendo emptor soluat in moneta aurea, vel argentea, poterit integrum pretium legale recipere, neque tenetur occasione illius solutionis aliquam diminutionem de pretio facere.*
4. *Monetæ pretiositas non inducit excessum in pretio legali.*
5. *Ex conditione recensita asserentes eam licere dicunt quidem esse eam pretio æstimabilem; sed non propterea inferri, licite peti non posse, & cur?*
6. *Frumentum, vel alia merces, quæ pretium habet lege taxatum vendi non licet obstringendo emptorem vt soluat in moneta aurea, vel argentea posito quod talis moneta pluris æstimetur secundum probabiliorem sententiam.*
7. *Venditor in casu recensito vltra pretium legis, exigit ab emptore conditionem onerosam.*
8. *Conditio recensita licet non augeat pretium legale spectatis legibus, auget tamen spectata communi hominum æstimatione.*

9. *Diluitur argumentum aduersariorum, & disparitas rationis assignatur; quia ista de certa moneta vltra taxatum pretium legale, est conditio onerosa: quod vero emptor non possit emere frumentum nisi reciproce vendat venditori aliquam mercem, est conditio gratuita, & remuneratoria, seruata tamen iustitia pretij.*



1 2 Quidam affirmant, quia petens ab emptore, vt pretium in moneta aurea, vel argentea soluat, non petis aliquid vltrà pretium lege taxatum, cum pretium taxatum sit indifferentèr soluendum in moneta ænea, aurea, vel argentea: Ac-
3 cedit, quòd si emptor, facta conuentione de pretio legali soluendo, soluat in moneta aurea, vel argentea, poteris integrum pretium legale recipere, neque teneris occasione illius solutionis aliquam diminutionem de pretio facere:
4 ergo signum est, pretiositatem monetæ non inducere excessum in pretio legali.

Quod si dicatur, obligare emptorem, vt mercem soluat in moneta aurea, vel argentea, esse onus pretio æstimabile, quia moneta aurea, vel argentea communi hominum æstimatione pluris valet; tùm quia libertas emptoris adstringitur, cui concessum erat in qualibet moneta soluere; tùm quia ad hanc solutionem faciendam sæpe emptor indiget sua bona viliùs vendere.


5 Respondent, ob has rationes illam conditionem esse quidem pretio æstimabilem, sed non propterea inferri, licitè peti non posse, quia etiam est pretio æstimabile, obligare alium, vt tibi iusto pretio suas merces vendat, aliàs non venditurus, & tamen potes nolle vendere illi frumentum, si ipse nolit tibi vendere merces necessarias: ergo similitèr poteris nolle vendere, nisi emptor soluat in moneta aurea, vel argentea. His tamen non obstantibus.

6 Respondetur, probabilius esse oppositum, scilicet non licere vendere frumentum, vel aliam mercem, quæ pretium habet lege taxatum, obstringendo emptorem, vt soluat in moneta aurea, vel argentea, posito quòd talis moneta pluris æstimetur, quàm moneta ænea.

7 Probatur ob rationem suprà allatam, quia scilicet vltrà pretium legis, exigis ab emptore conditionem onerosam: nam cum pretium legale non sit adstrictum monetæ aureæ, vel argenteæ, tu verò emptorem ad id adstringas conuinceris vltrà pretium legis emptorem onerare.

8 Secundò, quia esto talis conditio non augeat pretium legale, spectatis legibus, auget tamen, spectata communi hominum æstimatione; Lex autem taxam constituens, cùm lata fuerit in fauorem emptoris, hoc argumentum non spectauit, sed emptori liberum reliquit.

9 Non obstat te posse nolle vendere frumentum ei, qui non vult tibi suas merces vendere, quia in ea venditione, supposito quòd petis eas merces vendendas pretio iusto, quo alius esset empturus, nihil aliud petis, quàm opus gratuitum in remunerationem operis gratuiti à te exhibiti; sed in petitione solutionis in moneta aurea, vel argentea vltrà pretium à lege taxatum, quod est centum, v. g. in moneta ab emptore eligenda, petis electionem onerosam pretio æstimabilem, quam tu alia electione onerosa non compensas: Sicut enim non licet exigere ab emptore, vt pretium à lege taxatum deferat in locum distantem pro mercibus venditis, quia est conditio onerosa in legali pretio non imbibita, sic videtur dicendum de petitione solutionis in aurea, vel argentea moneta determinatè, cùm hæc determinatio non contineatur in pretio legali.



SECTIO XI.

An si frumentum ex horreo publico emas vltra taxam, eo quod Respublica frumentum quod habet, diuidit inter suos Ciues, soluendum vltra taxam ob sumptus in eo asportando, & conseruando factos, possis aliis illud frumentum eodem pretio vendere?

SVMMARIVM.

1. *Frumentum ex horreo publico Ciuibus assignatum vltra taxam, sed ne communitas loci remaneat grauata debitis, vel ne iacturam faceret frumenti publico horreo asseruati, non licet aliis vendi eodem pretio; quia excessus non exigitur pro frumento concesso, sed in quoddam quasi tributum, quod inter omnes Ciues diuiditur.*



Respondetur negatiuè, quia ille excessus non tibi exigitur pro frumento concesso, eiusque valore, sed in quoddam quasi tributum, quod inter omnes ciues diuiditur pro sumptibus in eo frumento asportando, & conseruando factis. 1

Neque illa expensarum distributio, & exactio concedit tibi ius excedendi taxam, cùm ex ea distributione frumenti valor auctus non fuerit, Salas, *tract. de empt. & vendit. dub.* 16. *num.* 4. & alij.




SECTIO XII.

An si emas frumentum vltra taxam ab eo, qui licite vendit ratione asportationis, possis eodem pretio alteri vendere?

SVMMARIVM.

1. *Emens frumentum vltra taxam ab eo qui licite vendit ratione asportationis, potest eodem pretio alteri vendere.*

1 REspondetur affirmatiuè, quia illud frumentum semper retinet qualitatem asportationis, ob quam permittitur vltrà taxam vendi, Petrus Ledesma, 2. *part. summ. tract.* 8. *cap.* 32. *difficult.* 15. *de taxa*; videri etiam poterit Salas, *de empt. & vendit. dub.* 16. & Roderiguez, *cap.* 79. *num.* 5.



SECTIO XIII.


An possis exigere iura asportationis si tempore abundantiæ asportaueris?

SVMMARIVM.

1. *Asportans frumentum, & alias merces tempore abundantiæ vt vendat tempore sterilitatis, imo etiam simpliciter potest exigere iura asportationis contra nonnullos secundum probabiliorem sententiam.*
2. *Lex non distinguit vtrum tempore abundantiæ, an sterilitatis frumentum asportetur, & quocumque tempore frumentum asportetur cedit in bonum Reipublicæ, cùm ex maiori illius abundantia pretium diminuatur.*
3. *Frumentum tempore abundantiæ adduci potest, vendendum tamen tempore sterilitatis. Item potest esse longe melius &c.*

1 REspondetur (quamuis negent Salas, 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controuers.* 9. & 11. Ledesma, 2. *par. summ. tract.* 8. *cap.* 32. *difficult.* 13. & alij communiter, ex eo, quia, hæc concessio videtur spectasse tempus sterilitatis, nam pro aliis temporibus superflua videbatur, cum sine asportatione frumentum reperiatur) probabilius tamen esse oppositum, quod docet Salas, *loco suprà*
2 *citat.* quia lex non distinguit, vtrum tempore abundantiæ, an sterilitatis frumentum asportetur, etsi in concessione succurri spectauerit tempore sterilitatis, & quocumque tempore frumentum asportetur, cedit in bonum Reipublicæ, cum ex maiori illius abundantia pretium diminuatur.

Adde quòd potest frumentum tempore abun-
3 dantiæ adduci, vendendum tamen tempore sterilitatis. Item potest esse illud frumentum longè meliùs, ob cuius causam emptor non solùm pretium à lege taxatum, sed etiam iura itineris libenter soluet.



SECTIO XIV.

An hoc ius asportationis competat etiam Nobilibus, & Clericis, cum frumentum aliunde in domos suas asportant?

SVMMARIVM.


1. *Nobiles, & Clerici quocumque fine frumentum asportent repetere possunt iura asportationis contra nonnullos, qui communiter distingunt, asserentes, quod si propriæ commoditati consulant, non poterunt iura asportationis exigere; secus si publicæ.*
2. *Lex non spectat quo fine interiori asportans ducatur; id enim parum refert Reipublicæ; sed solum attendit, an de facto in bonum Reipublicæ, illiusque commoditatem asportatum sit, quod fit si aliunde asportatum in communem vsum venditur.*
3. *Clericus, vel vir nobilis quod nullos sumptus in frumento asportando fecerit non obstat ad effectum de quo agitur; quia id fortunæ eorum potius adscribendum est.*



Vidam, vt Petrus Ledesma, *citat. tract.* 8. *cap.* 32. Salas, *dub.* 18. & 1
alij communiter distingunt, si propriam commoditatem spectantes frumentum adduxerint, vt in suis domibus meliùs conseruetur, & suæ familiæ prouideant, non poterunt iura asportationis exigere, poterunt autem, si frumentum adduxerint, vt Reipublicæ necessitati subueniant, quia lex non videtur voluisse fauere spectantibus propriam commoditatem, sed spectantibus commoditatem Reipublicæ, cùm in illius fauorem lata sit His tamen non obstantibus.

Respondetur: quocumque fine frumentum 2
asportent, posse prædictos repetere iura asportationis; quia lex non spectat, quo fine interiori asportans ducatur, id enim parum refert Reipublicæ, sed solum attendit, an de facto in bonum Reipublicæ, illiusque commoditatem, asportatum sit; quod obtinetur, cùm frumentum aliundè asportatum in communem vsum venditur, Emanuel Roderiguez, *in* 2. *part. summ. cap.* 79. *num.* 7. & Guttierez, *pract. quæstionum, quæst.* 180. *num.* 35. & probabile putant Salas, & Ledesma, *in locis suprà citatis.*

Neque obstat, quod clericus, vel vir nobilis 3
nullos sumptus in frumento asportando fecerit; quia satis est, quod per se illi faciendi fuerint, quos si non fecerit, bonæ fortunæ ipsius adscribi debet.



SECTIO XV.

An, si frumenti asportatores, testimonium, vnde frumentum asportauerint, non adduxerint, vel adductum non præsentauerint, poßint ius asportationis accipere, cum frumentum vendunt?

SVMMARIVM.

1. *Frumenti asportatores fidem publici Notarij ferre debent, à quo loco frumentum asportatum sit; vt inde colligi poßit quot sint leucæ, cum pro singulis leucis sex dispendia, & decem exigi vltra taxam poßint.*
2. *Frumenti asportatores licet non detulerint testimonium asportationis, vel adductum non præsentauerint, poßunt ius asportationis accipere, cum frumentum vendunt in foro conscientiæ; quia illa fides non requiritur vt priuilegium concedatur; sed vt fraudibus occurratur.*
3. *Amplia id etiam procedere probabilius in foro externo; quia non videntur venditores frumenti adstricti ad dictum testimonium præsentandum, nisi casu, quod fuerint requisiti, hoc tamen spectata nouißima Pragmatica Philippi II. nisi apud æquos & superiores Iudices.*
4. *Frumenti asportatoribus non potest à Ciuitate præmium constitui, quia Ciuitas non potest dispensare in Pragmatica, & augere pretium frumenti, si illud ab emptoribus frumenti augendum foret, quia esset facere contra legem Regiam, secus autem si soluendum sit ab ipsa Republica ex bonis proprius.*



1 Vppono, mandari frumenti asportatoribus, vt testimonium ferant à publico notario, à quo frumentum asportatum sit, vt indè colligi possit, quot sint leucæ; cùm pro singulis leucis sex dispendia iuxtà legem Regiam 1. *titul.* 25. *lib.* 5. *nouæ collect.* & decem iuxtà nouam Pragmat. æditam anno 1582. (de qua Guttierez, *quæst.* 180. *num.* 25. & Acebedo, *dict. l. tit.* 25. *lib.* 5. *compilat.*) pro faneca exigi vltrà taxam possint. Hoc supposito.

2 Respondetur in foro conscientiæ posse, quia illud testimonium non requiritur, vt priuilegium concedatur, sed vt fraudibus asportatorum in leucarum enumeratione occurratur; vndè, cùm verum sit, frumentum asportatum esse, tametsi nullo testimonio, vel legitimo, fuerit comprobatum, ius asportationis exigi poterit, Guttierez, *lib.* 2. *pract. quæst.* 181. *num.* 36. Salas, *dubit.* 19. Ledesma, 2. *part. summ. tract.* 8. *cap.* 32. *difficult.* 21. *de taxa*, & Rode

riguez, 2. *part. summ. cap.* 79. *num.* 7.

In foro externo posse etiam, probabilius 3 putat Acebedo *in dict. l.* 2. *tit.* 25. *lib.* 5. *compilat. & l.* 4. *eodem tit. num.* 5. quia non videntur venditores frumenti adstricti ad dictum testimonium præsentandum, nisi casu, quòd fuerint requisiti, prætorquàm quòd parum æquitati refert, quod testimonium ante, vel post præsentetur, si de facto constat nihil indebitum exactum esse; Addit tamen spectata nouissima Pragmatica Philippi II. difficultèr hoc fore sustinendum, nisi apud æquos, & superiores Iudices, vt colligit ex verbis talis Pragmaticæ.

His autem frumenti asportatoribus putat 4 idem Acebedo *dict. l. in fin.* non posse à ciuitate præmium constitui: mouetur, quia ciuitas non potest dispensare in Pragmatica, & augere pretium frumenti.

At hoc quidem verum est, si præmium illud ab emptoribus frumenti agendum foret, quia esset tacitè, imò expresè augere iura asportationis contra legem Regiam statuentem, nihil aliud esse exigendum, quàm quod ibidem præscribitur; At si præmium non esset exigendum ab emptoribus, sed soluendum ab ipsa Republica ex bonis propriis illius, posset Respublica asportatoribus frumenti id promittere, vt sic magis ad adducendum frumentum allicerentur, vt colligitur *ex l.* 1. *Cod. de frument. & l.* 1. *Cod. de Nauicular. lib.* 10. *& l.* 1. *ff. de Nundin.* & tradunt Ripa, *lib. de Peste, tit. de remed. præseruant. num.* 193. *& seq.* & Salas, *tract. de empt. & vendit. dub.* 19.



SECTIO XVI.

An poßint stabularij frumentum hordeum, & Auenam vltra taxam vendere?

SVMMARIVM.

1. *Stabularij frumentum, hordeum, & Auenam vltra taxam vendere poßunt si minutim vendant in animalium, & hospitum sustentationem, seruata tamen ea taxa, quæ ipsis præscribitur, vulgo Atancel; secus tamen esset si venderent hospitibus non vt ibidem insumerent, sed vt in alium locum asportarent.*



Espondetur posse, si minutim 1 vendant in animalium, & hospitum sustantationem, seruata tamẽ ea taxa, quæ ipsis præscribitur vulgò *Atancel*; his enim ob eorum officium, & occupationem Reipublicæ necessariam aliquis excessus, Principe sciente, permittitur; secùs tamen esset, si venderent hospitibus, non vt ibidem insumerent, sed vt in alium locum asportarent,

quia hæc non est propria Stabularii venditio, nec digna, cui priuilegium concedatur; Lopez *in Instructor. negotiant. cap.* 19. & Salas, *de empt. & vendit. cap.* 20.

SECTIO XVII.


An ex permißione Prætorum, Rectorumque Ciuitatis, vel ex dißimulatione Principis, possit vendi frumentum vltra taxam.

SVMMARIVM.

1. *Frumentum vltra taxam vendi potest; si facile posset Princeps sic vendentes impedire, & punire, & non facit; censetur enim pro tunc legis obligationem suspendere; secus si ob vitanda grandiora incommoda transgressionem non puniret; quia tunc non voluntarie consentit.*
2. *Frumentum vltra taxam vendi non potest ex permißione prætorum, Rectorumque Ciuitatis, si à Rege specialem facultatem dispensandi non habent; quia sic venditio honestari non potest vltra taxam.*

1 Respondetur: si facilè posset Princeps sic vendentes impedire, & punire, & non facit, censetur pro tunc legis obligationem suspendere; secus si obuitanda grandiora incommoda, transgressionem non puniret, quia tunc non voluntarie consentit, idemque dico, si aliquos ex transgressoribus puniret, licet alios impunitos relinqueret (quod scilicet tunc etiam non ob indè censenda sit lex esse abrogata) Guttierez, *lib.* 2. *quæst. pract. quæst.* 180. *num.* 21. Salas, *dub.* 23. Ledesma, *citat. cap.* 32. *difficult.* 5. & Rebellius, *lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 3. *num.* 15.

2 Ex permissione autem Prætorum, Rectorumque ciuitatis, si à Rege specialem facultatem dispensandi non habent (vti communitèr non censentur habere) venditio vltrà taxam honestari non potest; quia ipsis concessum non est legem Principis abrogare, dispensare, vel mutare posse, Guttierez, *quæst. pract. citat. quæst.* 180. *num.* 21. Ledesma, *difficult.* 4 Salas, *dub.* 21. Cordub. *cas.* 78. Acebedo, *ad dictam l.* 4. §. 7. & Rodrig. *citat. cap.* 79. *num.* 2.



SECTIO XVIII.

An possit Clericus, Religiosus, vir nobilis, aut diues, frumentum in farina, aut pane Cœto ad pretium à lege Regia præscriptum vendere?

SVMMARIVM.

1. *Clericus, Religiosus, vir nobilis, aut diues non potest frumentum in farina, aut pane cocto ad pretium à lege Regia præscriptum vendere; id enim prohibetur similibus personis, & omnibus aliis, qui panifici non sunt.*
2. *Limitatio Mexi, Emanuel Roderiguez, & Vegæ quod prædicta conclusio non procedat in Clerico diuite, vel, alio viro nobili, qui suis expensis, & periculo frumentum daret panificis in panem conuertendum, & vendendum, soluto panificorum labore, modo illud vendatur pretio currenti, & à Magistratibus desginato.*
3. *Non probatur quia lex omnibus aliis, qui non sunt panifici, seu munus panificandi non decet, prohibet ne per se, vel per interpositas personas sub hoc colore taxam excedant.*
4. *Agricolis conceditur in lege Regia vt frumentum, quod colligunt, quodque ipsis superest ex sua familiæ sustentatione, possint in panem coctum conuersum vendere (ex facultate tamen prætoris populi.*
5. *Clericus, Religiosus, vir nobilis, aut diues non possunt contractum societatis inire cum panificis, vt lucrum ex pane cocto proueniens inter ipsos diuidatur.*
6. *Limitatio Michaelis de palacios, & aliorum, in his, qui non causa lucri; sed necessitatis propriæ subleuandæ sui, suæque familiæ sustentationem hoc munus panificandi exercent. Auctori probatur, & cur.*
7. *Clerici, nobiles, diuites &c. si de facto per se, vel per interpositas personas panem coquunt ad vendendum restitutionis obligationem non contrahunt; modo illum vendant pretio à magistratibus taxato, vel si taxatum non fuerit; provt alij panifici passim vendunt.*

Respondetur, non posse, quia *l.* 4. 5. & 7. *tit.* 25. *lib.* 5. *nouæ collect.* id prohibetur similibus personis, & omnibus aliis, qui panifici non sunt, & tradit Guttierez, *lib.* 1. *quæst. practic. quæst.* 182. *num.* 2. *& seqq.* Salonius, 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controuers.* 5. Petrus Ledesma, *cap.* 32. *difficult.* 16. 28. *&* 30. Molin. *tract.* 2. *disput.* 364. §. *si triticum*, Emanuel Rodrig. *cap.* 79. *num.* 16. & Salas, *tract. de empt. & vendit. dub.* 15. 1

2 Limitant Mexia circà hanc legem, *conclus. 6. num.* 31. Emanuel Roderig. *loco cit.* & Vega, *verb. trigo cas.* 5. in clerico, vel alio viro nobili, qui suis expensis, & periculo frumentum daret panificis in panem conuertendum, & vendendum, soluto panificorum labore, modò illud vendatur pretio currenti & à Magistratibus designato, quia in supradictis legibus non videtur prohibitum iis vendere per se, vel per interpositas personas suum frumentum, vel farinam in pane cocto, sed ne hac via excedatur taxa præscripta vt colligunt prædicti Doctores ex verbis ipsius legis; Præterquam quòd hæc lex non ipsos, sed Magistratus adstringit, ac proinde ipsi non obligantur, nisi ad sustinendam pœnam.

3 At hæc limitatio mihi non probatur, quia lex omnibus aliis, qui non sunt panifici, seu munus panificandi non decet, prohibet, ne per se, vel per interpositas personas sub hoc colore taxam excedant; ergo si de facto panes coctos vendunt vltra taxam, quæ frumento, vel farinæ imposita est, aduersantur huic legi, & censentur legem defraudare; nam, si de excessu taxæ pani cocto à Magistratibus designatæ lex loqueretur, nihil speciale diuitibus, & viris nobilibus lex prohiberet; quia panifici etiam prohibentur, ne taxam à Magistratibus præscriptam excedant.

4 Confirmatur, quia in *l.* 7. *tit.* 25. *lib.* 5. *nouæ collect.* Agricolis conceditur, vt frumentum, quod colligunt, quodque ipsis superest ex suæ familiæ sustentatione, possint in panem coctum conuersum vendere (ex facultate tamen Prætoris populi) ergo signum est omnibus aliis hunc modum vendendi frumentum, ordeum, & Auenam prohibitum esse.

5 Adde, quod neque possunt hi contractum societatis inire cum panificis, vt lucrum ex pane cocto proueniens inter ipsos diuidatur; quia hoc est lucrum ex contractu prohibito.

6 Limitant secundò Michael de Palacios de contract. & restitut. *lib.* 2. *cap.* 2. & alij in his, qui non causa lucri, sed necessitatis propriæ subleuandæ sui, suæque familiæ sustentationem hoc munus panificandi exercerent; quia hæc lex cupiditatem diuitum coercere intendit, non autem prohibere indigentibus hoc paruum subsidium.

Et hæc limitatio mihi probatur, quia esto lex hoc munus coquendi panem ad vendendum omnibus aliis prohibeat, qui non sunt panifici, nec eius conditionis, vt hoc munus exercere debeant, tamen, cum mens legislatoris in hac prohibitione fuerit diuitum cupiditatem cohibere, & hic finis cesset in ijs, qui, vt suæ familiæ consulant, & necessitati prouideant, hoc munus exercent, non videntur tales vllius culpæ damnandi; præterquam quod eo ipso, quo hac indigentia premuntur, eius qualitatis sunt, vt hoc officium per se, vel interpositas personas, ipsos exercere non deceat.

7 Cæterum diuites, nobiles, clerici, vel Religiosi, si de facto per se, vel per interpositas personas panem coquunt ad vendendum, restitutionis obligationem non contrahunt, modò illum vendant pretio à Magistratibus taxato, vel si taxatum non fuerit, provt alij panifici passim vendunt; Guttierez *citat. lib.* 2. *practic. quæst.* 9. 182. Salonius, Vega, Ledesma, Roderiguez, & Salas *locis citatis*, & ratio est, quia lex non irritat contractum, & ex alia parte nullam Reipublicæ, neque emptoribus iniuriam faciunt, immò ipsis commodum afferunt, quia hac via facilius panis inuenitur, & inferiori pretio, ergò.



SECTIO XIX.

Qualiter vendens frumentum vltrà taxam, puniatur?

SVMMARIVM.

1. *Frumentum vendenti vltra taxam imponitur pœna vt illud amittat, & insuper quingentos dipendios pro singulis fanecis.*
2. *Pœna nulla in legibus Regiis prædictis statuitur contra emptorem; quia emptor præsumitur necessitate potius, quam voluntate excessum pretij dedisse.*
3. *Venditor ex eo tantum quod petat pretium supra taxam, si illud non receperit, non punitur pœnis in lege contentis, quia hæ pœnæ petentibus pretium cum effectu imponuntur.*
4. *Venditio esse non potest sine pretio, vel sine habita fide de pretio.*
5. *Venditor non excusatur à pœnis recensitis, ex eo, quod excessus sit modicus, si fuerit sæpius repetitus cum vno vel pluribus emptoribus.*
6. *Neque excusatur ex eo, quod panis venditus consumptus sit; quo casu condemnari debet vt illius æstimationem soluat.*
7. *Neque item excusatur ex eo, quod ab emptore frumentum pro pretio vltra legem, Ciuitas, vel depositum publicum, vel alius habens priuilegium retrahendi, extraxerit.*
8. *Emptor a quo frumentum retrahitur, nullam pœnam contrahit; quia non ipse censetur; sed primus emptor.*
9. *Saccus, in quo frumentum asportatum fuit, non publicatur.*



Respondetur, & dico primo: pœnæ quæ vendenti vltrà taxam imponuntur, sunt, vt frumentum, quod vendiderit, amittat, & insuper quingentos dipendios pro singulis fanecis. 1

Vbi aduerte, contrà emptorem nullam pœnam in prædictis legibus statui, vt rectè aduertit Acebedo *dict. l.* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *nouæ compilat. num.* 3. Et ratio est, quia emptor præsumitur necessitate potiùs, quàm voluntate excessum pretij dedisse; præterquàm quòd hæc lex lata est in fauorem emptorum, quibus excessus pretij reddi debet. 2


Dico secundò, venditor ex eo tantùm qu... 3

petit pretium suprà taxam, si illud non receperit, non punitur pœnis in lege contentis, quia hæ pœnæ petentibus pretium cum
4 effectu imponuntur; præterquàm quod non petentibus vltra taxam, sed vendentibus frumentum vltra taxam pœnæ statuuntur; venditio autem esse non potest, nisi pretium de facto, vel sub fide data recipiatur; Acebedo *num.* 18. & Salas, *tract. de empt. & vendit. dub.* 24.

5 Dico tertio, ab his pœnis tamen non excusatur venditor, ex eo quod excessus sit modicus, si fuerit sæpius repetitus cum vno, vel pluribus emptoribus; quia hoc ipso graue damnum infert Reipublicæ cum obligatione restituendi, Acebedo *ad dict. l. prim. num.* 4. & Salas, *dub.* 4. *num.* 2.

6 Neque excusatur ex eo, quod panis venditus consumptus sit, quo casu condemnari debet, vt illius æstimationem soluat, vt rectè contrà Auentanum docent Acebedo, *num.* 11. & Mexia *in Pragmat. panis conclus.* 1. *num.* 36. & suadet ratio, quia aliàs passim hæc pœna frustratetur.

7 Neque item excusatur ex eo, quòd ab emptore frumentum pro pretio vltrà legem ciuitas, vel depositum publicum, vel alius habens priuilegium retrahendi, extraxerit: quia id non tollit, quominus venditio excedens taxam con-
8 summata fuerit, Ipse tamen emptor, à quo frumentum retrahitur, nullam pœnam contrahit; quia non ipse censetur vendere, sed primus emptor, & aliàs duplici damno afficeretur, tùm priuatione frumenti, tùm pœnis legalibus, Acebedo *dict. l.* 1. *num.* 12. qui *num.* 13. sub-
9 dit, Saccum, in quo frumentum portabatur, non publicari, *argum. l. cum proponas Cod. de nautic. fœner.* vbi Bart. & Salicetus.



SECTIO XX.

Quibus pœnis afficiatur frumentum emens ad reuendendum?

SVMMARIVM.

1. *Recensentur leges Regiæ latæ contra ementes frumentum ad reuendendum quibus statuitur pœna amissionis frumenti &c. & pro prima vice exilij sex mensium, pro secunda integri anni, pro tertia trium annorum.*
2. *Pœna prædicta extenditur ad conductores redditum, & decimarum, quæ tamen sublata est.*
3. *Lex prædicta generalis est quoad personas, neminemque excludit, sicque comprehendit tam laicos quam Clericos aliosque à Iurisdictione seculari exemptos; hæc enim obligatio non diminuit; sed potius fouet libertatem Ecclesiasticam.*
4. *Excipitur Ciuitas, & publicum depositum, quod praxi recepta ad subueniendum publicæ necessitati hæc semina mense Augusti emit, tempore necessitatis reuendenda cum aliquo determinato lucro.*
5. *Excipitur etiam à Mexia, & à Francisco Mari diues, qui tempore vrgentis necessitatis frumentum emeret &c. postea suis Ciuibus reuendendum moderato lucro.*
6. *Auctor putat id faciendum esse non proprio marte; sed auctoritate superioris; ne sub prætextu pietatis, cupiditas inducatur.*
7. *Lex prædicta quoad loca, comprehendit omnia, exceptis iis, quæ his alimentis carent, quæque ex asportatione prouidentur, ea tamen conditione, concessa iisdem libera emptione, ne frumentum asportatum in horreis recondant, alio tempore sibi commodiori vendendum; sed statim vendant.*
8. *Facultas prædicta secundum aliquos non extenditur pro Curia Regia, at non videtur improbabile posse pro ea emi frumentum ad ibidem reuendendum.*
9. *Emens in sustentationem suæ familiæ si postea ex aliquo casu contingenti reuendat, pœnam huius legis non incurrit prohibentis emptionem eo fine factam, vt reuendantur, & in foro externo ipsius Iuramento standum est; nisi contrarium per circumstantias præsumatur.*
10. *Frumenti emptio &c. vt in solutum detur Creditoribus secundum nonnullos his legibus non prohibetur; at oppositum est ex communiori, & probabiliori sententia.*
11. *Datio in solutum dicitur venditio.*
12. *Legis prædictæ ratio æque procedit siue ematur frumentum ad reuendendum, siue ad dandum in solutum.*
13. *Vbi eadem ratio, ibi est etiam eadem Iuris dispositio.*
14. *Amplia id procedere etiamsi auctoritate Iudicis datio in solutum facienda foret, si eo fine vt huic dationi satisfaceres, frumentum emisses.*
15. *Legis prædictæ ad transgressionem non est opus vt de facto reuendas; sed satis est si emas eo fine.*
16. *Frumentum si consumptum sit tempore denunciationis secundum aliquos denunciatus condemnari non debet, at oppositum probabilius videtur, quia aliàs mitius puniretur emens panem, quem reuendit, ac qui solum emit, cum in reuendente non esset locus amissioni, bene tamen in emente.*
17. *Pœna apposita pro tertia vice vendenti, si venditor multoties vendiderit, licet semel denunciatus fuerit, secundum aliquos debetur, at oppositum est probabilius.*
18. *Lex pœnam exilij imponens talibus, supponit de crimine denunciatos esse, & delicta denunciata punit, & punitis pœnam aggrauat.*



Espondetur de hac re extat lex lata anno 1530. & 1539. & 1548. quæ habetur *in noua recompilat. l.* 19. *tit.* 11. *lib.* 5. vbi omnibus cuiuscumque conditionis, & qualitatis prohibetur, nè frumentum, hordeum, &c. emant, vt reuendant, sub pœna amittendi frumentum, hordeum, &c. Et pro prima vice, qua hoc delictum com- 1

missum fuerit, damnatur delinquens exilio sex mensium. Secunda, per integrum annum. Tertia per tres annos; eademque pœna ibi extenditur ad conductores reddituum & decimarum, quæ tamen sublata est, *l. 4. tit. 25. lib. 5. compilat.*

2

3 Quoad personas, hæc lex generalis est, neminemque excludit, sicque comprehendit tàm Laicos, quàm Clericos, aliosque à iurisdictione seculari exemptos; nam quoad hoc exempti non sunt, cum hæc obligatio neque ipsos dedeceat, neque libertatem Ecclesiasticam diminuat, sed potiùs foueat, Salcedo, *in addit. ad pract. crimin. cap. 55.* & Acebedo, *dict. l. 19. num. 1.*

4 Excipitur autem Ciuitas, & publicum depositum, quod praxi recepta ad subueniendum publicæ necessitati, hæc semina mense Augusti emit, tempore necessitatis reuendenda cum aliquo moderato lucro, Mexia *in Pragm. panis conclus. 1. Glos. 1. num. 53.* & Acebedo, *dict. l. 19. tit. 11. num. 4.*

5 Excipitur secundo, à Mexia loco citat. *num.* 178. & Francisco Mari *decis. Delphinatus* 540. *num.* 43. diues qui tempore vrgentis necessitatis frumentum, &c. emeret, postea inter suos ciues reuendendum moderato lucro; quia non tàm emit causa lucri faciendi quàm subueniendi necessitati; Sicque hic casus per Epicheam videtur à lege exceptus.

6 At, vt rectè aduertit Acebedo, *num.* 2. cautè in hac parte procedendum est, ne sub prætextu pietatis cupiditas inducatur, neuè legis dispositio elidatur; Quapropter auctoritate Superioris, & non ex proprio Marte id faciendum arbitror.

7 Quoad loca comprehendit omnia, exceptis iis, quæ his alimentis carent, quæque ex asportatione prouidentur, qualia sunt, quæ numerantur, *l. 1. tit. 25. lib. 5. noua collect.* nam pro his Terris, & Prouinciis libera conceditur emptio ad reuendendum, ea tamen conditione, ne frumentum asportatum in horreis recondant, alio tempore sibi commodiori vendendum, sed statim vendant, vt ibidem cauetur, & aduertit Marien. *l. 1. Glos. 3. tit. 14. lib. 5. nouæ collect. & l. 19. Glos. 4. tit. 11.*

8 An autem pro Curia Regia etiam hæc facultas extendatur.

Negant quidam, vt Marien. *loco citat. & l. 2. Glos. 5. eod. tit.* ex eo, quia esto *in dict. l. 2. tit. 14. lib. 5.* expresse pro Curia Regia concedatur (vt constat ex verbis illius legis) tamen censenda est corrigi *per l. 19. posteriorum tit. 11. lib. 5. & l. 1. tit. 25. eod. lib.* quæ generaliter reuenditionem frumenti prohibent, nisi in certis locis ibidem præscriptis, & sub ea forma ibi statuta.

At, cùm legum correctio vitanda sit, & expresse, quæ pro Curia Regia statuta sunt, *l. 2. tit. 14. num. 5.* non derogentur *in dict. l. 19. tit. 11. & tit. 25.* non videtur improbabile, posse pro Curia Regia emi frumentum ad ibidem reuendendum, atque ita tenet Acebedo *dict. l. 19. tit. 11. num. 3.*

9 Actio autem, quæ his legibus prohibetur, est emptio frumenti, hordei, auenæ, &c. eo fine facta, vt reuendantur; Vndè, si quis in sustentationem suæ familiæ emerit, & postea ex aliquo casu contingenti reuendat, pœnam huius legis non incurrit, quia non emit ad reuendendum, Acebedo *citat. l. 19. num. 5.* & Mexia *Pragm. panis, conclus. 1. num. 170.* in foro externo tamen ipsius iuramento standum est; nisi fortè circumstantiæ concurrentes contrariam præsumptionem inducant Mexia, *loc. cit. num.* 125. & videri etiam poterit Auendannus, *resp. 33. num. 3. & seqq.*

An autem emptio frumenti, vt creditoribus des in solutum, his legibus prohibeatur. 10

Quidam negant, eo quod hæc lex correctoria est, & pœnalis, ac proindè extendi non debet ad casum similem, etiam ex identitate rationis, iuxta Glos. *in Clement. vt hi, de ætat. & qualitat. & authent. quas actiones, & ibi Doctores C. de Sacros. Eccles.* Et Bart. Iason. & alij *in l. si constante. ff. solut. matrim.*

At alij ex communiori, & probabiliori sententia, quam refert, & sequitur Marien. *dicta l. 19. Glos. 2. num. 5. & seqq.* & Acebedo *loco* 11 *citat. num. 5.* affirmant, eò quod datio in solutum, venditio dicatur *l. si Prædium C. de euictionibus, l. eleganter,* & ibi Bartol. & Bald. *ff. de Pignorat. ait.* maximè, cum ratio prohibendi emptionem ad reuendendum procedat in datione in solutum, siquidem ratio prohibitionis est, vt constat ex principio ipsius legis, ne hac emptione panis, illius caritas, quæ pauperibus noxia est, inducatur; quæ 12 ratio æquè procedit, siue ematur ad reuendendum, siue ad dandum in solutum; cum autem eadem ratio est, dispositio legis ad ca- 13 sum similem, & sublata verborum forma, comprehensum extendi debet, Abb. *in c. vltim. num. 10. & 11. de Rescript.* & Ripa *in l. si constante in princ. num. 66. ff. solut. matrim* 14 quod procedit, etiamsi authoritate Iudicis datio in solutum facienda foret, si eo fine, vt huic dationi satisfaceres, frumentum emisses, quia eo ipso emis, vt vendas; nam emis frumentum, vt pro pecunia debita tribuas: quæ certè venditio est, iuxta *§. pretium Institut. de empt. & vendit.*

Dixi, *si emas vt des in solutum*, & à fortiori, 15 vt reuendas, nam ad huius legis transgressionem non est opus, vt de facto reuendas, sed satis est si emas eo fine, vt constat ex verbis ipsius legis, ita vt emptione tantum compleatur actio hac lege prohibita, vt rectè aduertit Acebedo *num. 7.* & Marien. *dicta l. 19. Glos. 2. num. 3.* Cæterum quoad pœnas.

Preces primò, an condemnari debeas in 16 amissione frumenti, si frumentum consumptum sit tempore denunciationis.

Quidam, vt Auendannus respons. 33. *in princ. vsque ad num. 3.* putant, te condemnari non debere, etiam in illius æstimatione, lex enim solum dixit *pierda todo el pan que asi comprar*; supponit ergò, panem apud ementem esse: ergo si iam est distinctus, non est locus pœnæ impositæ.

At oppositum videtur mihi probabilius, quia aliàs mitius puniretur emens panem, quem reuendit, ac qui solum emit; cùm in reuendente non esset locus amissioni, bene tamen in emente, verba enim illa, *pierda el*

pan que assi comprar, intelligi debent apposita ex vsu frequenti, quia id frequentius accidit, non quia dispositio solum pro casu, quo emptor habet panem, nec distraxit, intelligenda sit, præterquam quod panem censetur deperdere, si perdat pretium.

17 Petes secundo (cum in lege prima vice simul cum amissione frumenti sic empti statuatur pœna exilij per sex menses, pro secunda vice per annum, pro tertia per tres annos) an, si pluries emisti ad reuendendum, numquam tamen punitus fuisti, puniri debeas, ac si semel tantum emeris, vel puniri debeas pœna, quæ tertio ementi imposita est.

Quidam affirmant hoc posterius; quia lex ait, *y por la tercera vez sea condennado en distierro per tres Annos*, At tu tertia vice emisti: ergo incidis in dictam pœnam, tum quia æquum non videtur, vt pluries repetitum delictum eadem pœna puniatur, ac si repetitum non fuisset, cum ex reiteratione delicta grauentur, & grauius puniantur; Tum quia, vt tradit Gomez *tom. 3. variar. cap. 5. num 9.* stante statuto quod quis pro tribus furtis furca suspendatur, potest furca suspendi, si tria furta commiserit, & si pro prioribus furtis punitus non fuerit.

At oppositum, quod docet Acebedo *num.* 8. & Marien. *dicta l.* 19. *Glos.* 3. *num.* 3. videtur mihi probabilius, te scilicet ementem pluries, nec aliquando punitum, non debere puniri, nisi pœna, quæ contra semel ementem lata est.

Probatur, quia lex pœnam exilij imponens talibus, supponit de crimine denunciatos eos esse, & delicta denunciata punit, & punitis pœnam aggrauat: Inquit enim, *pro prima vice exulet per sex menses*, hoc est, pro prima vice, qua fuerit de crimine denunciatus, exulet per menses; deinde addit, *pro secunda vice*, idest, pro qua secundo fuerit denunciatus, *exultet per annum*, &c. nam si in aggrauatione harum pœnarum lex non spectaret delictum denunciatum, sed solum ipsum delictum per se sumptum, aliis verbis disponeret, dicendo scilicet, pro prima emptione emptor damnetur exilio sex mensium, pro duplici per integrum annum, pro triplici per tres annos.



SECTIO XXI.

Quibus ex causis res vendi possit carius, quam per se valet?

SVMMARIVM.

1. *Pretium iustum sæpe augetur ex mercium penuria, & ex multitudine emptorum, & vendentium vanitate.*
2. *Item ex abundantia pecuniæ; quia eo ipso minus æstimatur, vt in nouo Orbe carius res venduntur quam in Hispania.*

3. *Item ex nouitate, vel antiquitate rei venditæ, vt Imagines, statuæ, &c.*
4. *Item ex communi vtilitate, vel necessitate, & securitate rei venditæ.*
5. *Item ex modo vendendi, quia si rogatus, carius vendes; secus si emptorem roges.*
6. *Pallium quod in officina Mercatoris valet quatuor aureis in sententia Caiet. & Sal. ab emptore rogato emi potest duobus.*
7. *Res, quæ minutim venditur carius vendi potest.*
8. *Venditio fide data de pecunia soluenda carius fit, quam si præsenti pecunia soluueretur.*
9. *Vendes in casibus recensitis si non excedat augmentum ex communi hominum æstimatione nullam in iustitiam committit.*
10. *Vendens potest excedere pretium legitimum, vel naturale vulgare ex damno emergenti; nam potest rem vltra pretium lege taxatum vendere, si ob venditionem ei aliquod damnum prouenit; debet tamen id emptori manifestare, alias excessum iniuste reciperes, vtpote ab emptore, nec titulo donationis, nec titulo venditionis eidem concessum.*
11. *Ad hoc caput reduci debet si rei venditæ specialiter sis affectus, specialemque voluptatem ex ea percipias; potes enim tunc eam incommoditatem in pactum reducere, & pro illa commoditate aliquid amplius, arbitrio prudentis vltra rei valorem exigere.*
12. *Vendens potest excedere pretium legitimum ratione lucri cessantis. Potest enim etiam tunc aliquid exigere vltra id quod de presenti res æstimatur; quia illa priuatio est pretio æstimabilis vltra rem, quam vendit.*
13. *Vendens frumentum tempore Augusti, quod decreuerat seruare in tempus Maij, sperans eo tempore plus valiturum poterit exigere quanti illud speratum lucrum æstimatur, detracta tamen æstimatione laboris, periculi, custodiæ & expensarum, &c.*
14. *Lucrum non dicitur cessare indigenti pretio, vt damnum aliquod euitet, cuius euitatio pluris, vel tanti æstimatur, quanti æstimatur lucrum dubium speratum.*
15. *Res credita pecunia per se vendi non potest carius; nam id esset manifesta vsura; si quidem excessum illum acciperet non pro re vendita; sed pro solutione dilata quod est implicitum mutuum.*
16. *Rex quod sit pluris valitura tempore solutionis faciendæ nihil refert quia illud incrementum non cedit venditori sed emptori.*
17. *Aromata vendita ad creditum pluris venduntur quam si numerata pecunia venderentur, quia vendens illa seruare debebat, & ratione lucri cessantis spectat plus, minusve, quam eo tempore erant valitura.*
18. *Timens se molestias accepturum, & expensas facturum in pretio credito recuperando, potest ob hanc causam aliquid vltra pretium ipsius rei exigere; quia ille timor est pretio æstimabilis.*
19. *Timens emptorem termino præfixo non soluturum sortem vel hanc alio modo periculo expositam esse, potest aliquid accipere contra nonnullos.*
20. *Fideiussor periculum emptoris in se suscipiens*

potest pro ea securitate præstita pretium exigere.

21. *Res sæpe præsenti pecunia infimo pretio venditur, vel mediocri, tamen ad creditum rigoroso pretio venditur, licet non possit credito carius per se vendi quam præsenti pecunia.*

22. *Merces aliquæ sæpe solent ex communi hominum æstimatione ad creditum vendi carius quam sit summum pretium si pecunia numerata solueretur, vt sunt merces pretiosæ in magna quantitate ad nundinas, vel ad portum adiectæ.*

23. *Causa, ob quam diuersum pretium constituitur non est pecuniæ dilatio; sed illius frequens periculum, & labor, & molestia in ea recuperanda, & lucrum cessans, quod plerumque venditoribus contingit; & quamuis hæc in vna, vel altera venditione cessent, non ob inde pretium, quod frequenter contingentia spectat, mutatur.*

1 Suppono, quòd, vt suprà dicebam, ex penuria mercium, & ex multitudine emptorum, & raritate vendentium sæpè pretium iustum augetur, iuxtà illud Hieronymi ad Euagrium, *epist.* 85. *in cap. legimus* 98. *dist. quod rarum est, pretiosum est.*

2 Item ex abundantia pecuniæ, quia eò ipso minùs æstimatur, vt in nouo orbe cariùs res venduntur, quàm in Hispania, quia ibi copiosior est pecunia; idemque est, cum classis Indica ad portum illius accedit, quia multitudo emptorum, & copia pecuniæ res emendas pretiosiores reddit.

3 Item ex nouitate, vel antiquitate rei venditæ sæpè etiam pretium illius augetur, quia Monetæ, Statuæ, Imagines, ædificia antiqua, vel noua magni solent æstimari.

4 Item ex communi vtilitate, vel necessitate, & securitate rei venditæ pretium augetur.

5 Item ex modo vendendi, quia si rogatus vendas, cariùs vendes, secùs si emptorem roges; hinc Mercatores cariùs vendunt, quàm
6 alij, itavt Caietanus *verb. emptio cap.* 1. quem sequitur Salas, *dub.* 25. *num.* 4. audeat dicere, pallium, quod in officina Mercatoris valet quatuor aureis, ab emptore rogato emi posse duobus.

7 Ad idem est, si res minutim vendatur, quia tunc cariùs solet vendi, quàm si vendatur per modum vnius, quia ille modus vendendi vendenti minùs commodus est, & plus laboris, & expensarum continet.

8 Ad idem etiam est venditio fide data de pecunia soluenda, quæ cariùs fit, quàm si præsenti pecunia solueretur; quia ille modus vendendi per se est incommodus etiam vendenti, & periculis expositus.

9 Verùm, esto in supradictis casibus pretium naturale, seu vulgare augeatur ex communi hominum æstimatione, tamen si illud augmentum, quod ex communi hominum æstimatione res vendenda in illis circumstantiis accipit, non excedis, nullam iniustitiam committis; quia pretium iustum non excedis; Quod ergo nunc quæritur, est, ex quibus causis pretium legitimum, vel naturale vulgare excedere possis? His suppositis.

Respondetur: Prima causa est damni emergentis: nam, si ob venditionem tibi damnum aliquod prouenit, potes rem vltrà pretium lege taxatum vendere; quia eo casu, non tantum vendis rem; quàm etiam incommodum, quod tibi ex venditione prouenit; debes tamen id emptori manifestare, alias excessum iniustè reciperes, vtpotè ab emptore, nec titulo donationis, nec titulo venditionis tibi concessum, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. quem sequuntur Caiet. Bannes, & Aragonius ibi, Valentia *disput.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 2. §. 2. & 5. Medina *de restitut. quæst.* 32. Nauarrus, *cap.* 23. *num.* 84. Corradus, *de contractib. quæst.* 57. & 58. Molina, *disput.* 351. in princ. Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 2. *num.* 23. Salas, *dub.* 30. *num.* 1. Graffis, *lib.* 2. *decision. cap.* 112. *num.* 19. & *alij communiter.* 10

Ad hoc caput reduci debet, si rei venditæ 11 specialiter sis affectus, specialemque voluptatem ex ea percipias; potes enim tunc eam incommoditatem in pactum reducere, & pro illa sustinenda aliquid amplius, arbitrio prudentis, vltrà rei valorem exigere, Molin. Graffis, & Salas *locis supra citatis*; quod intellige, vt ipsimet Doctores aduertunt cùm ea affectio prouenit ex aliqua honesta, & rationabili causa, alias via aperiretur exigendi vltra pretium.

Secunda causa est lucri cessantis: potès enim 12 etiam tunc aliquid exigere vltrà id, quod de præsenti res æstimatur, quia illa priuatio est pretio æstimabilis vltrà rem, quam vendis: nam si frumentum tempore Augusti vendas, 13 quod decreueras seruare in tempus Maij, sperans eo tempore plus valiturum, poteris, si vendas tempore Augusti, exigere quanti illud speratum lucrum æstimatur, detracta tamen æstimatione laboris, periculi, custodiæ, & expensarum in eius asportatione, vel seruatione, Nauarrus *cap.* 27. *num.* 21. & *cap.* 18. *num.* 82. Valentia, Petrus Nauarra, Molina, & Salas *in locis suprà citatis.*

Debes tamen notare, non esse censendum 14 tibi lucrum cessare, si pretio indigeas, vt damnum aliquod euites, cuius vitatio pluris, vel tanti æstimatur, quanti æstimatur lucrum dubium speratum; nam ea vitatio lucrum compensat; neque potes dicere, velle frumentum in aliud tempus vendendum seruare, cum potius velis vendere, vt damnum illud effugias, Salas *tract. de empt. & vendit. dubit.* 30. *in fin.*

An autem ratione solutionis creditæ, per se 15 res vendi possit carius quam valet præsenti pecunia soluta?

Respondetur negatiuè; nam id esset manifesta vsura; siquidem excessum illum acciperes non pro re vendita, sed pro solutione dilata, & credita, quod est implicitum mutuum; & habetur in *c. in Ciuitate*, & *in c. consuluit de vsur.*

Neque refert, quod tempore, quo tibi so- 16 lutio facienda sit, res pluris sit valitura; quia illud incrementum cedit, non tibi; sed emptori: in ipsum enim res, & dominium illius

à tempore contractus translatum est, Sotus *lib. 6. de restit. quæst.* 4. *art.* 2. Couarruuias 2. *Variarum cap.* 3. *num.* 6. Medina *de Restitut. quæst.* 38. *cap.* 5. Lopez 1. *part. Instruct. cap.* 216. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 41. Molin. *disput.* 355. Lessius *lib.* 2. *de Iustit. cap.* 21. *dub.* 6. Rebell. 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 11. & alij.

17 Et si Caietanus 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 7. & Sà *verb. venditio num.* 7. quibus fauere videtur *cit. cap. in Ciuitate de vsur.* vbi aromata vendita ad creditum pluris venduntur, quam si numerata pecunia venderentur.

At hoc intelligendum est, vt explicat ibi Glos. quia vendens illa seruare debebat, & ratione lucri cessantis sperari plus, minusuè, quam eo tempore erant valitura, vendi potuerunt.

18 Illud tamen fatendum est, si times, te molestias accepturum, & expensas facturum in pretio credito recuperando; posse te ob hanc causam aliquid vltra pretium ipsius rei exigere; quia ille timor est pretio æstimabilis, quem propterea non teneris gratis in fauorem emptoris subire, vt communiter Doctores.

19 Quinimò, si timeas, emptorem termino præfixo non soluturum sortem, vel hanc alio modo periculo expositam esse, licèt nonnulli putent, ob hanc causam nihil te posse accipere tamen potius dicendum est, te posse accipere, quia subire tuæ pecuniæ periculum in gratiam emptoris, est quid pretio æstimabile.

20 Adde, si fideiussor periculum emptoris in se suscipiens potest pro ea securitate præstita pretium exigere, poteris etiam & tu, si id periculum suscipis, Medina *C. de Restitut. quæst.* 38. §. *ad* 3. *causam*, Molina *disput.* 304. & *disput.* 356. Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 6. & *cap.* 23. *dub.* 4. *num* 43. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 41. Valentia 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 2. *conclus.* 4. Aragonius *quæst.* 77. *art.* 4. Salonius *quæst.* 78. *art.* 1. *controuers.* 26. & Petrus Nauarra *de Restitut. lib.* 3. *cap.* 2. *par.* 1. *dub.* 11. *num.* 105. & *par.* 2. *dub.* 10. *cap.* 3. *num.* 342.

21 Verum esto, rem vendere ad creditum non possis carius, quàm præsenti pecunia, per se, & ex natura rei, tamen sæpè res præsenti pecunia venditur pretio infimo, vel mediocri, cum tamen ad creditum rigoroso pretio vendatur, in quo certum est nullam adesse iniustitiam, cum intra latitudinem iusti pretij vendatur, vt habet communis sententia Doctorum.

22 His adde, quod sæpè solent aliquæ merces ex communi hominum æstimatione ad creditum vendi carius, quàm sit summum pretium, si pecunia numerata solueretur, vt sunt merces pretiosæ in magna quantitate ad nundinas, vel ad portum adiectæ, Sotus *de Iustit. lib.* 6. *quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 4. Salonius 2. 2. *quæst.* 77. *controuers.* 24. Bannes *art.* 4. *dub.* 9. Couarruuias 2. *Variarum cap.* 3. *num.* 6. Molina *tract.* 2. *disput.* 357. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 6. *dict.* 5. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 42. & Rebellius *de obligat. iust.* 2. *par. lib.* 9. *quæst.* 14. *in fin.* & ratio ex eo est, quia cum hæ merces ob ipsarum æstimationem, vel copiam non soleant numerata pecunia vendi, sed ad creditum, earum pretium iustum censendum est, quod communi hominum æstimatione, in eo modo vendendi iustum censetur; licèt minus sit eo, quod daretur, si numerata pecunia venderentur.

Obiicies, hinc inferri ob solam dilationem pecuniæ pretium mercium augeri, quod est vsura, siquidem augetur ob mutuum virtuale; tùm duplex pretium rebus constitui, vnum pro venditione ad creditum, alterum pro venditione ad pecuniam numeratam, quod non videtur admittendum *ex cap. in ciuitate, cap. consuluit, & cap. nauiganti de vsuris.*

Ob has rationes Nauarrus, *cap.* 23. *num* 82. & *cons.* 32. *de vsuris.* Valentia, 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 2. §. 8. *conclus.* 6. Ioan. Medina, *de restitut. quæst.* 38. *cap.* 6. Palacius, *lib.* 4. *cap.* 13. Guttierez, *Canonicar. quæst. cap.* 39. *num.* 41. Garzia, 1. *de contract. cap.* 24. & Angles, *quæst. de vsur. ratione emptionis difficult.* 1. reprobant hunc modum vendendi cariùs ad creditum, quàm sit summum pretium, quod numerata pecunia esset soluendum.

Sed, quod supra dicebam, probabilius est; quia cum pretia rerum lege Principis, vel æstimatione hominum constituantur, & his mercibus ad creditum venditis diuersum pretium iustum constituatur, quad ad numerum, consequens est, vt illud iustum censendum sit; causa autem, ob quam diuersum pretium constituatur, non est pecuniæ dilatio, sed illius frequens periculum, & labor, & molestia in ea recuperanda, & lucrum cessans, quod plerumque venditoribus contingit; Et quamuis hæc in vna, vel altera venditione cessent, non ob inde pretium, quod frequenter contingentia spectat, mutatur, vt rectè aduertit Salas *dub.* 42. *in fin.* & Sà *verb. venditio num.* 7. 23



SECTIO XXII.

Ex quibus causis possint merces emi vilius anticipata solutione, quàm emerentur, si statim traderentur?

SVMMARIVM.

1. *Emptor potest merces emere vilius anticipata solutione quam sit pretium rigorosum, si ob illum modum emptionis aliquod damnum ei emergat.*
2. *Emptor si periculum fraudis sit in venditione, quod non tradet venditor merces, aut non tradet sinceras, vel statuto tempore, poterit etiam diminutione pretij eidem compensari.*
3. *Res, seu merces ex eo tantum quod per so-*

lutionem anticipatam emuntur cessantibus conditionibus supra recensitis licet secundum aliquos Doctores non possint vilius emi, quam sit earum pretium infimum, si de præsenti traderentur, oppositum tamen non est omnino improbabile.

4. *Pretia rerum ex lege Principis, vel ex communi æstimatione hominum constituuntur, & ita cum rebus emptis anticipata solutione vilius pretium constituant, quam si de præsenti traderentur, consequens est vt illud pretium sit iustum.*

5. *Pretium rei sumitur quidem ex tempore traditionis, nisi ex circunstantiis extrinsecis augeatur.*

1 Supponō, certum esse, quod si ob illum modum emptionis aliquod damnum tibi emergat, vel aliquod lucrum tibi cesset, possis ob illam causam vilius emere, quàm sit pretium rigorosum mercium, si de præsenti traderentur, quia illa diminutio pretij est compensatio damni
2 emergentis, vel lucri cessantis. Præterea si periculum fraudis sit in venditore, quod non tradet merces aut non tradet sinceras, vel statuto tempore, poteris etiam diminutione pretij compensari, cum & hæc sint pretio æstimabilia: nam merces cum illo periculo coniunctæ minoris æstimantur.

3 Sensus igitur dubitationis est; An casu, quo hæc cessent, ex eo tantum, quod communiter per solutionem anticipatam emuntur, possint vilius emi anticipata solutione, quàm sit earum pretium infimum, si de præsenti traderentur, vti solent emi lanæ in Flandriam transferendæ.

Quidam, vt Nauarrus *cap.* 28. *num.* 82. *& consl.* 32. *de vsur.* Guttierez *Canonicar. quæstion. cap.* 39. *num.* 43. *&* 44. Medina *de Restitut. quæst.* 38. *cap.* 6. Valentia 2. 2. *disput.* 5. *quæst.*20. *punct.* 2.§. 8. Garzia 1. *de contractib. cap.* 24. & Rebellius 2. *par. de Obligation.* Iustit. *lib.* 9. *quæst.* 11. *num.* 9. negant, ex eo quia emere infrà pretium ob anticipatam solutionem est lucrari vltra sortem ratione impliciti mutui. His tamen non obstantibus.

Respondetur, oppositum non esse omninò improbabile, quod docent Corduba *in summ. quæst.* 85. Sotus *de Iustit. lib.* 6. *quæst.* 4. *art.* 5. *in fin.* Molin. *tract.* 2. *disput.* 359. *&* 360. Lessius *de Iustit. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 7. Salas *de empt. & vendit. dub.* 43. Bannes 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *dub.* 10. Salonius *quæst.* 78. *art.* 6. *controuers.* 13. Emanuel Roderiguez 1. *par. summ. cap.* 83. *num.* 2. Ludouic. Lopez *de contract.* 1. *par.* 41. *&* 2. *par. Instructor. cap.* 65. & Angles *quæst. de vsur. ratione emptionis art.* 1. *difficult.* 1.

4 Probatur, quia, vt dubitatione præcedenti dicebam, pretia rerum ex lege Principis, vel ex communi æstimatione hominum constituuntur; cum autem his mercibus anticipata solutione emptis homines inferius pretium constituant, quam si de præsenti traderentur, consequens est, vt illud pretium censendum sit iustum; maximè cum in hac pretij diminutione ratione honesta ducantur; siquidem ducuntur, partim quia adest sæpè periculum non recipiendi merces statuto tempore, vel sinceras, vel sine lite, partim quia emptori ex ea solutione anticipata lucrum cessat, vel damnum emergit, partim quia ex eo modo vendendi multiplicantur venditores, & diminuuntur emptores, & venditorum indigentiæ succurritur cum periculo emptorum; Et quamuis in vno, vel altero casu hæc cessent, id est per accidens, neque pretium ex communiter contingentibus constitutum mutat.

Obijcies: pretium iustum rei est, quod valet res tempore traditionis, non verò quod valet res tempore conuensionis; At tempore traditionis merces supponuntur cariùs valituræ, etiam quoad infimum pretium: ergo cum vilius emuntur anticipata solutione, non emuntur iusto pretio. 5

Respondetur, pretium rei sumi quidem ex tempore traditionis, nisi ex circunstantiis extrinsecis augeatur, vt modò contingit: ex eo enim, quod merces anticipata solutione plures emptæ sint, augetur pretium earum, quæ supersunt, quarum pretium non augeretur, si nullæ essent merces emptæ, sed forte vilius venderentur, tum ob copiam mercium vendendarum, tum ob periculum eas conseruandi, tum ob necessitatem venditorum; non igitur anticipata solutione vilius emuntur, quam emerentur, si nulla esset facta solutio anticipata.




Corollarium I.

SVMMARIVM.

1. *Pretium non diminuitur ex anticipata solutione præcise; sed ob eas rationes, quæ communiter contingunt ex eo modo vendendi.*

Hinc responderi potest ad fundamentum oppositum: non enim diminuitur pretium ob anticipatam solutionem præcise, sed ob eas rationes, quæ communiter contingunt ex eo modo vendendi, sicuti dicebatur.





Corollarium II.

SVMMARIVM.

1. *Centum Petro debita soluenda post annum emi possunt vilius anticipata solutione v. g. nonaginta, si debitum non sit liquidum, vel sit difficile recuperatu, vel inde aliquod detrimentum emergat, aut lucrum cesset, secus tamen est secluso periculo morali difficilis solutionis, seclusisque aliis inconuenientibus extrinsecis.*
2. *Ius ad centum de futuro sublata omni difficultate ea habendi, est eiusdem æstimationis ac centum de præsenti.*
3. *Actio ad rem tanti valet, quanti valet res ad quam dirigitur deductis laboribus, & expensis.*
4. *Emere obligationem antiquam, vel de nouo constitutam, parum refert, cum sint eiusdem conditionis quod si obligatio antiqua ad centum æstimatur de præsenti nonaginta, etiam obligatio noua æstimari poterit nonaginta.*
5. *Recensentur absurda, quæ sequerentur si ius ad centum de futuro minoris valet, quam centum de præsenti.*
6. *Debita de futuro seu in diem non æstimantur minoris, quam centum de præsenti, secluso periculo, & incommodo solutionis, & lucro cessanti, vel damno emergenti, pro cuius difficultatis, & incommodi qualitate pretium diminuitur; quare non procedit obiectum allatum;*
7. *Secus autem est in emptione lanæ, aliarumque mercium anticipata solutione, & cur.*
8. *Diluitur aliud obiectum, conceditur enim non emi centum formaliter, sed ius ad centum; negatur tamen ius ad centum minoris æstimari quam centum, secluso periculo, neque currit paritas rationis de terra, quæ vilius emeretur si pro aliquo tempore sterilis esset, quia pecunia, sicut & ius semper est sterilis, ideoque non potest incrementum valoris accipere, secus est de terra quæ aliquando sterilis, aliquanda fructifera est.*
9. *Regula minus est habere actionem, quam rem, intelligitur de actione litigiosa vel periculosa, hæc enim minoris valet quam res ipsa.*
10. *Fructus immaturi minoris æstimantur, tum quia humanis vsibus minus apti sunt, tum quia periculo subiacent; acceptus est de pecunia quæ siue præsens, siue futura eamdem habet semper æstimationem, ex quo non currit paritas rationis in altero obiecto allata.*
11. *Emptio recensita licet non sit vsura formalis, est tamen virtualis, & implicita contra obiectum factum superius, nam accipiens nonaginta, facit vt qui tibi debet centum obligetur tibi illa concedere pro nonaginta, quæ das de præsenti.*
12. *Vsuræ implicitæ ratio non exigit vt ipsemet accipiens pretium, obligetur; nam satis est, si faciat, vt alius eius causa obligetur, vti obligatus manet qui erat ei debitor in casu recensito.*
13. *Argumentum quod fit à redditibus personalibus ad debita, & chyrographa futura, non applicatur; quia in his semper reputatur adesse periculum, & incommodum, ob diuturnitatem solutionis, ideoque minoris valere ius ad centum pluribus annis diuisim soluenda, quam si soluerentur præsenti pecunia.*

Hinc secundò solui poterit dubitatio illa; An centum Petro debita soluenda post annum, possis emere vilius anticipata solutione, v. g. nonaginta; Et dubium non est, vt patet ex dictis, te posse emere vilius, si debitum non sit liquidum, vel sit difficile recuperatu, vel inde tibi aliquod damnum emergat, aut lucrum cesset; sed controuersia solum est an cum hæc omnia cessent possis tunc licitè vilius emere. 1

Quidam affirmant, vt Abbas *c. in Ciuitate num 7. de vsur.* Caietanus *verb. vsura ad finem,* Armilla *eodem verbo num. 33. & 50.* Rosella *ibidem 2. §. 15.* Nauarrus *cap. 7. num. 232.* Toletus *lib. 5. cap. 31. in fin &* Sà *verb. debitum num. 21.* qui omnes, Caietano excepto, subdunt, etiam ipsum debitorem posse hoc ius vilius emere, modo soluendo difficilem non se præbeat, vt sit in causa, quod creditor debitum minoris vendat; Et mouentur ex eo, quia ipse debitor non debet esse deterioris conditionis, quàm quilibet alius.

Respondetur tamen, secluso periculo morali difficilis solutionis, seclusisque aliis inconuenientibus extrinsecis, non posse hoc ius minoris emi, neque ab ipso debitore, neque ab alio tertio; Atque ita ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum docet S. Thomas *opuscul. 67. ad lectorem florentin. & opuscul. 73. de vsur. 1. par. cap. 8.* S. Antonius *1. par. tit. 1. cap. 8. §. 3. & 4.* Syluester *verb. vsura 2. quæst. 14.* Bannes *2. 2. quæst. 77. art. 4. dub. 5.* Aragonius *eodem art. in fin* Valentia *disput. 5. quæst. 20. punct. 2. conclus. 5.* Graffis *1. par. lib. 2. cap. 112. num. 27.* Mercad. *6. de contract. cap. 12.* Molin. oppositam sententiam improbabilem reputans, *tract. 2. disput. 361.* Ioan. Medina *de Restit. quæst. 38. dub. vlt. & quæst. 1. de Camb.* Sotus *de Iustit. lib. 6. quæst. 4. art. 6. ad primum* Lessius *de Iustit. lib. 2. cap. 21. dub. 8. num. 70.* Salas *de empt. & vendit. dub. 39. &* Layman. *lib. 3. summ. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 5. num. 32.*

Probatur, quia ius ad centum de futuro, sublata omni difficultate ea habendi, est eiusdem æstimationis, ac centum de præsenti; Quod patet, tum ex auctoritate Bartoli *in l. per diuersas C. mandati,* & Baldi *in l. 2. C. ne lit. pendent.* asserentium, actionem ad rem tanti valere, quanti valet res, ad quam dirigitur, deductis laboribus, & expensis; Tum ex inconuenienti, quia si minoris valet ius ad centum futura quam centum præsentia, potes centum à te in mutuum petenti respondere, te 2 3

nolle illi ea mutuare, sed velle emere obligationem ab ipso, vt tibi centum soluat, quam obligationem nonaginta de præsenti emes, quod certè esset, viam vsuris aperire.

Quod, si dicas, in eo casu non emi obligationem, quam habes, sed quam de nouo constituis, quæ cum nunquam venditioni ex communi hominum æstimatione apponatur, arguit manifestam malitiam.

4 Contra est, quia emere obligationem antiquam, vel de nouo constitutam parum refert, cum sint eiusdem conditionis: ergo si obligatio antiqua ad centum, æstimatur de præsenti nonaginta, etiam obligatio noua æstimari poterit nonaginta.

5 Probatur secundò, quia si ius ad centum minoris valet, quàm centum de præsenti, poteris cum debitor es, centum ad annum satisfacere nonaginta de præsenti. Item, si surriperes à tuo debitore centum de præsenti, teneberis illi restituere decem, cum aliquid amplius sustuleris, quàm tibi debetur Item posses, per se loquendo pluris vendere ad creditum, quàm præsenti pecunia, & minoris emere præsenti pecunia, quam ad creditum, quæ omnia sunt absurda; non igitur minoris valet ius ad centum futura, quam ad centum præsentia.

6 Obiicies. Hæc debita, seu chyrographa, & obligationes soluendi centum futura, dum proponuntur venalia instar mercis, minoris æstimantur ex communi hominum æstimatione, partim quia sæpè, quæ liquida, & facilia videbantur, ambigua, & difficilia succedunt, partim quia præsentis pecuniæ solutio venditoribus est commoda, emptoribus autem incommoda, ob quas causas pretium communi hominum æstimatione iustè diminui potest, etiamsi in vno, vel altero casu hæ difficultates, & incommoda cessent, vti de emptione lanæ suprà dicebamus, ergò.

Respondetur. Nego, dicta debita minoris æstimari, quàm centum de præsenti, secluso periculo, & incommodo solutionis, & lucro cessanti, vel damno emergenti, pro cuius difficultatis, & incommodi qualitate pretium diminuitur; In emptione verò lanæ, aliarum-
7 que mercium anticipata solutione, longè diuersa est ratio: Tum quia reputatur periculum frequens, quod non reputatur indictis debitis, seù chyrographis; tum quia illæ merces tanti æstimantur, quanti anticipata solutione soluuntur, si per anticipatas solutiones illarum raritas, & penuria inducta non esset.

8 Obiicies secundò, quod creditor tibi vendit, non est centum tibi soluenda, quia ipse ex ea venditione non constituitur debitor, nec tenetur centum soluere, sed vendit ius, quod habet exigendi à suo debitore centum post annum; at hoc ius minoris valet, quàm illa centum, quia hoc ius est sterile vsque ad tempus solutionis: Nam, sicut terra, quæ pro aliquo tempore sterilis est, vilius emeretur, quàm illa, quæ statim esset fructifera, sic ius illud integro anno sterile minoris emi debet, quàm si præsens pecunia traderetur.

Respondetur, concedo, non emi centum formalitèr, sed ius ad centum, nego tamen ius ad centum minoris æstimari, quàm centum, secluso periculo, &c. vt supra dicebatur; Et ad probationem à simili de terra sterili, dico esse disparem rationem, quia pecunia, sicut, & ius semper est sterilis, ideoque non potest incrementum valoris accipere, ex eo quòd hominis industria lucrum parare possit, secùs est de terra, quæ aliquando sterilis est, aliquandò fructifera, ideoque diuersam æstimationē sortitur.

Instabis. *Ex regula minus 205. ff. de reg. iur. minus est habere actionem, quàm rem.* 9

Respondetur, Regulam istam intelligendam esse de actione litigiosa, vel periculosa; hæc enim minoris valet, quàm res ipsa.

Obiicies tertiò, fructus Prædij eò viliùs emuntur, quo plus à tempore perceptionis distant: ergo & huiusmodi ius ad centum eo viliùs emi debebit, quo plus distat à tempore solutionis. 10


Respondetur. Disparitas est, quia fructus immaturi minoris æstimantur, tùm quia humanis vsibus minùs apti sunt, tùm quia periculo subiacent; at secùs est de pecunia, quæ siue præsens, siue futura, eamdem habet semper æstimationem.

Obiicies quartò, si qua ratio esset, quare dicta venditio illicita foret, maximè esset, quia continet palliatam vsuram, nam pro nonaginta de præsenti, recipere intendis centum in futurum; At hæc intentio, & receptio nullam vsuræ labem continere videtur. quia tu non das illa nonaginta, vt dentur tibi centum, sed vt tibi detur ius ad centum, quod ius minoris æstimatur, quàm illa centum; Neque is, cui illa nonaginta das, tibi est obligatus ad danda centum, quod necessarium videbatur, vt vsura committeretur, & illa nonagintorum traditio mutui rationem haberet, ergo. 11

Respondeo: concedo, non esse vsuram formalem, est tamen vsura virtualis, & implicita, nam accipiens nonaginta facit, vt qui sibi debet centum, obligetur tibi ea concedere pro nonaginta, quæ das de præsenti; Ad rationem autem vsuræ implicitæ opus non est vt ipsemet accipiens pretium obligetur: nam satis est, si faciat, vt alius eius causa obligetur, vti obligatus manet, qui erat ei debitor.

Obiicies quinto, si ius ad centum emere non possum nonaginta verb. gra. neque etiam emere potero census personales, in quibus singulis annis aliqua pars soluitur, sed sorte in integrum soluta per illas partes, & minutas solutiones census euanesceret; & si fortè venditor intermedio tempore voluerit censum redimere, tenebor solutiones, & portiones acceptas in sortem computare, aliàs aliquid amplius accipio, quàm dedi; Hoc autem est contrà praxim receptam: ergo dicendum est, licitè hæc debita seu chyrographa minoris emi. 12 13

Respondetur, in redditibus personalibus esse diuersam rationem, quia in his semper reputatur adesse periculum, & incommodum, ob diuturnitatem solutionis, ideoque minoris valere ius ad centum, pluribus annis diuisim soluenda, quàm si soluerentur præsenti pecunia.



Corollarium III.

SVMMARIVM.

1. *Emptor, si creditori alicui difficile sit sui debiti solutionem recuperare, sicuti sæpe contingit in debitis, quæ militibus à Rege debentur, potest illud debitum minoris emere, si ipse ob industriam, vel fauorem, facile possit illius debiti solutionem habere.*
2. *Debita huiusmodi qualitatis ob incertitudinem, & difficultatem minus valent venditori.*
3. *Emptor, quod ipsius industria, & fauore solutionem facile comparare possit, non diminuit venditoris difficultatem, & incertitudinem.*
4. *Venditor prædictus vendere potest ea debita exigendo integram; summmam quia ipse non tenetur difficultatem & incertitudinem solutionis æstimare seclusa fraude, & dolo.*
5. *Limita nisi difficultas proueniat ex ipsis debitis, sed ex ipsis creditoribus tantum, qui diligentius præstare non possunt alias teneretur saltem admonere emptorem ignarum de vitio rei venditæ.*
6. *Creditor sciens occulte suum debitorem non esse soluendo, non potest illud debitum alteri illius vitij ignaro vendere; quia venderet rem vitiosam, & defectuosam.*

1 Inc tertiò solui poterit altera dubitatio illa, an, si creditori difficile sit sui debiti solutionem recuperare, sicuti sæpe contingit in debitis. quæ militibus à Rege debentur, possit quis illud debitum minoris emere. si ipse ob industriam, vel fauorem facilè possit illius debiti solutionem habere.


Respondetur ex dictis affirmatiuè, & ita docet Molina *citata disput.* 361. *§. illud etiam*, Salas, *de empt. & vendit. dubit.* 40. Lessius, *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 9. *num.* 74. & Layman, *lib.* 3. *summ. sect.* 5. *tract.* 4. *cap.*
2 17. *§.* 5. *num.* 34. Et probatur. quia debita illa ob incertitudinem, & difficultatem ex communi hominum æstimatione minus valent venditori, poterit ergo quis ea emere detrahendo, quanti ea difficultas, & incertitudo æstimatur.

3 Neque refert, quòd emptor ipsius industria, & fauore solutionem facile comparare possit: id enim non diminuit venditoris difficultatem, & incertitudinem, ex qua pretium diminutionem sumit.

4 Non tamen propterea hinc fit, non posse venditorem ea debita vendere exigendo integram summam; quia ipse non tenetur difficultatem, & incertitudinem solutionis æstimare: nam vsu receptum est, vt hæc vendantur, quanti vendi possint, seclusa fraude, & dolo.

Quod intellige. cùm incertitudo, & difficultas non prouenit ex ipsis debitis, sed ex ipsis creditoribus, qui diligentias præstare non possunt; quia si proueniret ex ipsis debitis, & emptor incertitudinis, & difficultatis esset ignarus, non poteris tu illa vendere, nisi emptori vitium rei venditæ manifestes. 5

Hinc rectè dixit Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 10. *num.* 80. *& seqq.* Salas, *dub.* 44. si sciam occultè meum debitorem non esse soluendo, non posse me illud debitum alteri illius vitij ignaro vendere, quia venderem rem vitiosam, & defectuosam. 6



SECTIO XXIII.

Quandonam ratione donationis admixtæ possis emere, vel vendere pluris, vel minoris iusto pretio?

SVMMARIVM.

1. *Pretium siue legitimum, siue naturale, seu vulgare ex donatione emptoris augeri, vel ex donatione venditoris diminui potest; quia contractus emptionis, & venditionis non impedit, quominus venditor, vel emptor donationem præstare possint.*
2. *Venditor censetur donationem facere vendens minoris iusto pretio, quando parum est; quia parum censentur emptor, & venditor sibi condonare ad inuicem, secundum aliquos.*
3. *Donatio etiam in minimo nunquam præsumitur, cum donare sit perdere.*
4. *Donatio secundum aliquos in casu de quo agitur præsumitur, cum emptor, vel venditor nouerunt rei pretium; at hoc non probatur præcise sumptum (nisi insuper adsit aliqua ratio præsumptionem donationis inducens.)*
5. *Donatio regulariter tunc præsumitur, cum nulla interueniente necessitate venditor rei venditæ pretium diminuit, vel emptor augei, conscius valoris rei.*
6. *Donans tali pacto prætendere debet vti nomine donationis; quia si nomine emptionis, vel venditionis, & non donationis vsus fuerit, non satis donationis præsumptionem inducet.*
7. *Donans probare debet causam, ob quam donationis nomine vsus non fuerit, eam donationem facere intenderit, fuisse v. g. vel quia prohibitus erat donare, vel quia erat consanguineus, vel magnus amicus emptoris, vel venditoris, &c.*

Vppono, pretium, siue sit legitimum, siue naturale, seu vulgare ex donatione emptoris augeri, vel ex donatione venditoris diminui posse: quia contractus emptionis, & venditionis non impedit, quominus venditor, vel emptor donationem præstare possint, Nauarr. *cap.* 9. *de Iud.* 1

notab. 6. *num.* 61. Ioann. Medina, *quæst.* 31. 32. & 36. *de restitut.* Molina, *disput.* 351. Valentia *disput.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 2. §. 1. Graffis, 1. *par. lib.* 2. *cap.* 112. *num.* 12. & Corradus, *de contract. quæst.* 57. & 58.

2 Difficultas autem est, quandonam censeatur venditor donationem facere, vendens minoris iusto pretio, emptor verò emens vltrà iustum pretium.

3 Quidam, vt Sà *verb. venditio num.* 20. putant, id esse, quando parum est; quia parum censentur emptor, & venditor sibi condonare ad inuicem.

4 At hoc mihi non probatur; quia donatio etiam in minimo nunquam præsumitur; cùm donare sit perdere, *l. filius familias, ff. de donat.*

Alij putant, id esse, cùm emptor, vel venditor nouerunt rei pretium; tunc enim censentur donare.

At neque hoc mihi probatur, præcisè sumptum (nisi insuper adsit aliqua ratio vrgens præsumptionem donationis inducens) quia potest emptor augere pretium, & venditor diminuere, non animo donandi, sed necessitate compulsi, quia scilicet aliter neque emptor inueniret venditorem, neque venditor emptorem; quo casu non est censenda donatio, cum hæc animum liberalem requirat. His ergo reiectis.

5 Respondetur, tunc esse, cùm nulla interueniente necessitate venditor rei venditæ pretium diminuit, vel emptor auget, conscius valoris rei; tunc enim regulariter præsumitur donatio; & neque in conscientiæ foro, neque in exteriori, vlla querela institui potest de læsione, ita Doctores, quos citat, & sequitur Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. cas.* 88. *in fin.*

6 Debet tamen sic donare prætendens, nomine donationis vti, quia si nomine emptionis, vel venditionis, & non donationis vsus fuerit, non satis donationis præsumptionem inducet: non enim est, cur nomine venditionis, vel emptionis vteretur, si donare, & non vendere, vel emere intendebat.

7 Quare, vt rectè Mariens. *l.* 1. *Glos.* 8. *tit.* 11. *lib.* 5. *num.* 39. aduertit, probare debet qui donat, causam, ob quam donationis nomine vsus non fuerit, cùm donationem facere intenderit, fuisse v. g. vel quia prohibitus erat donare, vt in *l. si sponsus,* §. *circa, ff. de donat. inter vir. & vxor.* vel quia erat consanguineus, vel magnus amicus emptoris, vel venditoris, & vt maiorem firmitatem haberet donatio, venditionis nomine vsus sit, vel quia alia via, nisi venditionis simulatione, non poterat sine dedecore recipientis fieri donatio: nam si aliqua ex his causis, vel similibus non intercedat, non potest præsumi donatio; neque ob hanc causam pretium auctum, vel diminutum fuisse.





SECTIO XXIV.

An, si scias breui tempore pretium mercium diminuendum, vel augendum, possis pretio nunc currenti emere, vel vendere?

SVMMARIVM.

1. *Sciens diminutionem pretij, & valoris ob mercium deteriorationem futuram, non potest vendere pretio currenti.*
2. *Sciens vinum, antequam ab emptore consumeretur, deteriorandum esse, non potest vendere pretio currenti, quia venderet vitiosam rem vitio non detecto, quare monendus est emptor de tali re, vel diminuere de pretio iuxta æstimationem damni.*
3. *Idem dicas si vendens sciat domum, vel equum venditum cito esse periturum ex causa ab ipsis rebus intrinsecus procedente.*
4. *Sciens ex causa extrinseca valorem mercium augendum, esse nimirum ex decreto Principis, vel ex abundantia, aut sterilitate secundum aliquos non potest vendere merces, emptori ignaro diminutionis futuræ, & eas statim non consumpturo.*
5. *Probabilius tamen est oppositum quod sciens v.g. possit vendere, vel emere pretio currenti, non obstante augmento, vel diminutione futura priuatim cognita.*
6. *Ioseph sciens sterilitatem futuram, ob quam frumenti valor, augendus erat, pretio currenti ingentem tritici copiam emit, & reclusit.*
7. *Emptio, vel venditio iusta illa censenda est, quæ adæquat valorem rei venditæ, vel emptæ; cum res nihil amplius valeat, quam quod lege iusta; vel communi hominum æstimatione valere indicatur.*
8. *Valor naturalis, seu vulgaris rei ex hominum æstimatione quocunque modo concepta, etiam si nitatur ignorantia euentus futuri, prouenit.*
9. *Emptor mercium, quarum valor statim diminuendus est, inuoluntarie, & per errorem censetur emere: at contractus est simpliciter voluntarius, & non procedit ex errore aliquo ad substantiam contractus pertinente.*
10. *Pretij præsentis augmentum, vel diminutio maxime pendet ex euentu futuro communiter tamen, non singulariter cognito.*
11. *Recensentur pro obiecto ad sententiam Auctoris multa absurda quæ sequerentur, quæ tamen auctor concedit, & non arbitratur esse absurda & in primis asserit posse aliquem vendere domum pretio currenti, quam priuata notitia scit ab hostibus cras diruendam.*
12. *Locans domum, cum sciat Aulam Regiam discessuram pretio curreti nemini facit iniuriam.*

13. *Pecunia breui tempore minuenda secundum Syluestrum expendi non potest cum obligatione eamdem quantitatem reddendi at probabilius est oppositum, nullam scilicet in hoc iniustitiam committi.*

14. *Vendens triticum, cuius nouit secreto à Rege, vel à Consiliario pretium à lege proximè superuentura, minuendum esse secundum aliquos non potest vendere pretio currenti, quia in aliorum detrimentum vtitur notitia legis, quæ omnibus debet esse communis; at non improbabile videtur oppositum quia est per accidens vt ea distractio cedat in damnum emptorum ex lege superuentura, non ex natura contractus.*

15. *Magistratus licet minus rectè faciat reuelans legem futuram: non propterea tamen ipse, vel venditor mercium, qui vsus fuit illa notitia ad vllam restitutionem videntur adstricti.*

16. *Libri prohibendi, & bona confiscanda alicui pretio currenti vendi non possunt ex causa extrinseca, scilicet ex sententia futura diminutionem valoris acceptura, nam continent moraliter in se causam futuræ prohibitionis, & confiscationis, quod vitium tenetur venditor manifestare emptori.*

17. *Charitas solum obligat abstinere à lucro iniquo, & contra leges, non autem condemnat lucrum legibus conformè, licet inde per accidens proximo detrimentum sequatur, & sic limitatio Couarr. & Penell. requiritur, tenemur tamen vitare extremam vel grauem proximi necessitatem etiam cum aliqua nostrorum bonorum iactura.*

18. *Venditor mercium si per se, vel per alios decipiat emptores persuadens pretium non esse minuendum, eaque persuasione fallaci decipiat ad emendum, satisfacere tenetur.*

19. *Deceptor est is, qui interrogatus an pretium minuendum sit respondet minuendum non esse, cum moraliter sciat oppositum, contra nonnullos id negantes: quia fraude bonum proximi impedit, vel diminuit, & ideo peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem cum per mendacij assertionem inducat ad contrahendum.*

20. *Excipe nisi sic asserenti nullam fidem emptor prudenter præstet.*

21. *Obsurdescens, vel verbis æquiuocis vtens vt veritatem abscondat contra nonnullos probabilius est quod nullam contrahat obligationem restituendi: quia non tenetur veritatem manifestare: quinimò ius habet eam celandi.*

1 Vppono, controuersiam non esse de diminutione pretij, & valoris ob mercium deteriorationem futuram; nam si huius vitij conscius sis, nequaquam potes vendere pretio currenti (vti colligitur *ex l. si vina, ff. de action. empt*) v. g.
2 si scires vinum, antequam ab emptore consumeretur, deteriorandum esse, non potes vendere pretio currenti, quia venderes rem vitiosam, vitio non detecto, quare debes monere emptorem de tali re, vel diminuere de pretio,
3 quanti illa deterioratio æstimatur. Idem est, si scires, domum, vel equum venditum citò esse periturum, ex causa ab ipsis rebus intrinsecùs procedente.

Controuersia igitur est, cùm ex causa ex- 4
trinseca, nimirum ex decreto Principis, vel ex abundantia, aut sterilitate valor mercium augendus, vel diminuendus est, an scilicet, si hoc scias, possis vendere, vel emere pretio currenti.

Quidam negant, posse te vendere merces emptori, ignaro diminutionis futuræ, & eas statim non consumpturo; Ita Ioannes Medina *de restitut. quæst.* 35. Corradus *de contract. quæst.* 62. 63. *&* 76. Roderiguez, 2. *part. summ. cap.* 81. *num.* 10. quibus fauet Cicero, *lib.* 3. *offic.* Glos. *in l. contra legem, ff. de legib.* Bartol. *l. quæro, ff. de actionibus empti, & alij relati à Couarruuia regul. peccatum* 2. *part.* §. 4. *num.* 6. Nihilominùs.

Respondetur, pròbabiliùs esse oppositum, 5
posse scilicet te vendere, vel emere pretio currenti, non obstante augumento, vel diminutione futura priuatim cognita, ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 8. *ad* 4. Caietanus, *ibidem*, Bannes, *dub.* 4. Aragonius, *dub.* 2. Valentia, *disput.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 4. Salonius, *controuers. vltim.* Syluester, *verb. emptio quæst.* 15. *num.* 16. Rosella, *ibidem num.* 20. Armilla, *num.* 21. Sotus, *de Iustit. lib.* 6. *quæst.* 3. *art.* 2. *ad* 5. Molin. *disp.* 354. Couarruuias, *regul. peccatum* 2. *part.* §. 4. *num.* 6. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. Salas, *tract. de empt. & vendit. cap.* 32. & Rebellius, *de obligat. instit.* 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 6.

Probatur ex illo *Genesis* 41. vbi Ioseph. 6
sciens sterelitatem futuram ob quam frumenti valor augendus erat, pretio currenti ingentem tritici copiam emit, & reclusit.

Secundo, probatur ratione, quia illa est cen- 7
senda iusta emptio, vel venditio, quæ adæquat valorem rei venditæ, vel emptæ; cùm res nihil amplius valeat, quàm quod lege iusta, vel communi hominum æstimatione valere iudicatur: ergo, &c.

Neque refert, hanc communem hominum 8
æstimationem niti ignorantia euentus futuri, quia valor naturalis seu vulgaris rei ex hominum æstimatione quocumque modo concepta prouenit, sicut valor legitimus ex ipsa lege, dum lex perseuerat.

OBIECTIONES.

Obiicies; emptor mercium, quarum valor 9
statim diminnendus est, inuoluntariè, & per errorem censetur emere: si enim diminutionem futuram agnosceret non emeret: ergo,

Respondetur, concedo hunc contractum esse aliquo modo inuoluntarium; At quia est simpliter voluntarius, & non procedit ex errore aliquo ad substantiam contractus pertinente, validus est.

Obiicies secundò; pretij præsentis augu- 10
mentum, vel diminutio maximè pendet ex euentu proximè futuro; sed inspecto euentu proximè futuro, merces fere pro nihilo habentur: ergo nunc merces minoris æstimari debent.

Respondetur; pendere quidem præsentis pretij augmentum, vel diminutionem ex euentu futuro, communiter tamen, non singulariter cognito.

Instabis; illa ignorantia, esto sit communis, est tamen irrationabilis, & rebus ipsis, & euentui futuro improportionata: ergo non potest impedire, quin euentus futurus præsenti tempore mercium valorem augeat, vel diminuat.

Respondetur, nego illam æstimationem esse irrationabilem, sed esse potius rationi consonam, vt potè conformem rei, secundùm circumstantias communiter notas.

11 Obiicies tertiò, sequeretur, quod posses vendere domum pretio currenti, quàm scires ab hostibus cras diruendam: locare ipsam, cùm scires Regem, eiusque Aulam discessuram: pecuniam expendere, tàm mutuò, quàm emptione, cùm scias eam statim diminuendam: vendere triticum, alioquin non vendendam, cùm scias, pretium statim diminuendum: vendere tandem libros prohibendos, & bona confiscanda; quæ omnia sunt absurda, & in graue magis damnum proximi redundantia.

Respondetur; & si quidam ex nostra sententia negent, concedo totum; at, vt veritas appareat, discurram per singula.

Et in primis arbitror, posse te vendere domum pretio currenti, quam priuata notitia scis ab hostibus cras diruendam, ob rationem iam suprà adductam.

12 Quoad locationem domus, cum scis Aulam Regiam discessuram, negat Valentia *citat. punct.* 4. & ratio esse potest, quia non vendis habitationem præsentem, sed futuram, cuius pretium, & valor ex tempore, quo fuerit habitata, desumendus est.

At probabilius est, iustam esse locationem, aliàs nulla esset locatio, esto ignarus illius euentus, eam faceres quod neque etiam contrariæ sententiæ Auctores admittunt. Quare dicendum est, te vendere ius ad præsentem, & futuram habitationem; quod ius cum præsens sit, & communi hominum æstimatione tanti in præsenti æstimetur consequens est, locationem iustam esse, vt concedit Salas *citat. cap.* 32.

13 Quoad pecuniam breui tempore minuendam, putat Syluest. *verb. vsura* 1. *quæst.* 15. Gabr. *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 11. *art.* 3. expendi non posse cum obligatione eamdem quantitatem reddendi.

At probabilius arbitror oppositum, nullam scilicet in hoc iniustitiam committi; cum nihil amplius petatur, quam quod de præsenti datur, vt rectè dixit Salas *cap.* 32. *in fine.*

14 Quoad venditionem tritici, Mol. *cit. disp.* 354. Rebell. *quæst.* 6. Pinell. *in lib.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* 3. *par. cap.* 2. *num.* 22. *&* 23. *& Aluar.* Valasc. *conf.* 184. *num.* 8. negant licitè fieri posse, si ea venditio procedat ex notitia, quàm secretò à Rege, vel à Consiliario accepisti, pretium tritici ex lege proximè superuentura minuendum esse, quia in aliorum detrimentum vteris notitia legis, quæ omnibus debet esse communis: Idem sentit Less. *cit. dub.* 5 *num.* 48. & Salas *dub.* 32. *circa finem* in magistratu vel altero, qui ex eius occasione vsus fuerit scientia legis promulgandæ in damnum aliorum, quia magistratus tenetur ex officio omnibus ciuibus prouidere, neque vnum præ alio grauare.

At non improbabile videtur oppositum, posse scilicet quemlibet ea scientia vti ad suas merces distrahendas: Nam estò ea distractio cedat in damnum emptorum, id est per accidens ex lege superuentura pretium mercium diminuente, non ex natura contractus; Neque venditor intendit illud damnum, sed intendit sibi consulere, & sui detrimentum vitare; Et licet magistratus obligetur omnibus ciuibus, commoda æqualiter spectare, id intelligi debet iuxtà leges, & consuetudines præscriptas, & in populo vigentes, ac proinde distrahens suas merces ex scientia priuata legis futuræ nullam emptoribus facit iniuriam: Non enim æquum est, magistratum esse deterioris conditionis quolibet alio priuato. Adde legem omnibus debere esse communem, cum promulgatur, at illius scientiæ priuatæ vsus antè legis promulgationem communis esse non debet; quapropter esto magistratus minùs rectè faciat, reuelans legem futuram, non propterea tamen ipse, vel venditor mercium, qui vsus fuit ea notitia, ad vllam restitutionem videntur astricti, vt ipse Less. propendet *cit. dub.* 5. *in fine.* 15

16 Quoad libros prohibendos, & bona confiscanda, alicui videbitur pretio currenti vendi posse, cum videantur ex causa extrinseca, scilicet ex sententia futura dimminutionem valoris acceptura.

At probabilius est oppositum, quod docet Molin. Salas, Rebell. Lopez, & Salon. quia illi libri prohibendi, & bona confiscanda in se continent moraliter causam futuræ prohibitionis, & confiscationis: Nam cùm hæc prohibitio librorum fiat ob vitium ipsorum, vel Auctoris, & confiscatio bonorum ob delictum possidentis illa, consequens est vt ea omnia reputentur, vti merces vitiosæ, quarum vitium tenetur venditor manifestare emptori.

LIMITATIONES.

Limitant prædicta Couar. & Pinell. vt procedant quoad obligationem iustitiæ, non tamen quoad obligationem charitatis, quæ quemlibet obligat, ne cum aliorum iactura lucrum quærat.

At hæc limitatio mihi non probatur, quia charitas solùm obligat abstinere à lucro iniquo, & contrà leges, non autem condemnat lucrum legibus conforme, licèt inde per accidens proximo detrimentum sequatur Molin. Salas, & Less. *in locis supracit.* 17

Curandum tamen est, ne ob indè proximus in extremam, vel grauem necessitatem deueniat: Nam hanc semper vitare tenemur, etiam cum aliqua nostrorum bonorum iactura, ergo à fortiori cum priuatione lucri.

Limitant secundò Molin. Rebell. Salas, & Less. *in locis supracit.* ne procedat cum venditor mercium per se, vel alios decepit emptores persuadens, precium non esse minuendum, eaque persuasione fallaci allicit ad emendum. 18

Nam cum hæc deceptio iniusta sit, & ex ea emptoribus damnum impendat, deceptor satisfacere tenetur.


Difficultas autem est, An censearis deceptor, si interrogatus, an pretium diminuendum sit, respondeas dimminuendum non esse, vel obsurdescas, vel dicas, te nescire.

19 Quidam, ait Bannes 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. *dub.* 4. Aragon. *lib.* 2. Salon. *controuers. vlt.* quodque probabile putat, Less. *cit. cap.* 21. *dub.* 5. *num.* 43. putant, te non esse deceptorem iniustum, quia illa deceptio non inducit ad rem iniustam, sed ad contractum iustum, & ad damnum proprium vitandum, sicuti, si pauper ostio diuitis assistens alteri pauperi accedenti diceret, elemosynam esse datam, vel diuitem non esse domi, non ob hoc mendacium censetur decipiens ad obligationem teneri. Adde, quod sic testanti fides haberi non debet, cum pretium possit ob ipsius commodum mentiri.

At hæc opinio mihi non probatur quia clarum est, quod inducitur emptor ad contrahendum per deceptionem aliàs non contracturus, & consequenter ad subitinendum damnum ex illo contractu proueniens; sed communis sententia est, quod si fraude bonum proximi impedias, vel diminuas, pecces contra iustitiam, & ad restitutionem tenearis; ergò cum per mendacij assertionem inducis emptorem ad contrahendum iniustitiam committis, & ad restitutionem teneris.

20 Excipe, nisi tibi sic asserenti nullam fidem emptor prudenter præstet, quod non est præsumendum, si seriò asseris, pretium diminuendum non esse.

21 Ex eo autem, quod obsurdescas, vel verbis æquiuocis varis, vt veritatem abscondas, esto aliqui (quos sequitur Lopez 1. *de contract. cap.* 47. *dicto* 5.) putent, te deceptorem iniustum esse. & ad restitutionem obligatum sicuti obligaretur, qui dolose Dominum amoueret vt facilius latro furtum committere posset probabilius tamen est oppositum, quod docent Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 33. Molin & Less. *in locis supra cit.* nullam scilicet indè te obligationem restitutionis contrahere, quia non teneris veritatem manifestare, quinimò ius habes eam celandi, vt tuis bonis consulas; neque ea dissimulatio est positiua deceptio, vel in contractum inductio, sed veritatis occultatio, & contractus permissio.



SECTIO XXV.

An intermedius, cui aliquid vendendum, vel emendum committis, designato pretio, possit incrementum, vel decrementum, illius sibi retinere?

SVMMARIVM.

1. *Intermedius, seu proxeneta, cui aliquid traditum est vendendum decem, si illud est pretium summum, & intra illud venderet tenetur reddere emptori excessum: quia iniustè accepit.*
2. *Intermedius &c. si pretium designatum non sit summum, sed mediocre, vel infimum, conuentione facta cum venditore exprassè, vel tacitè, vt rem vendat illo pretio: & si quid amplius inuenerit, sibi retineat, certum est quod potest retinere.*
3. *Secus non facta ea conuentione cùm venditore neque expræßè, neque tacite.*
4. *Intermedius pluribus rationibus conuincitur non posse retinere illud plus non facta conditione cum venditore v. g. Vestis augmentum, si eam venditor dederit pro decem, & intermedius deliberauerit eam intra latitudinem iusti pretij, datur enim ei actio negotiorum gestorum, & stipendium pro labore facta indicatione laboris, & diligentiæ.*
5. *Secus si vestem vendendam in hac Ciuitate pro decem detulerit alio, vbi duodecim vendita est.*
6. *Rogatus ad emendum pro alio duodecim ex g. vestem, si emat decem, non potest illa duo retinere, nisi forte ob aliquam industriam indebitam concessa fuerint.*
7. *Sartor, cui pannum committis emendum, non potest retinere aliquid de pretio sub prætextu quod posset ab aliis mercatoribus carius emere, quia ipse tenetur præstare moralem diligentiam, vt quantum fieri potest vilius emat.*
8. *Sartori, licet in rigore possit retinere id quod gratis à mercatore ei est concessum pro emptore exhibito, tamen id non consulendum.*
9. *Sartor prætextu damni emergentis, vel lucri cessantis, quod ammittit cessando ab opere, quod interim, dum occupatur in hac emptione facere poterat, non potest aliquid recipere; quia hanc diligentiam gratis exhibet.*



Respondetur: si cum rem tradis proxenetæ, famulo, vel amico vendendam decem, illud esset pretium, summum, & vltra illud venderet, certum est, intermedium teneri reddere emptori excessum, quia iniustè accepit. 1 Si verò pretium designatum non sit summum, sed mediocre, vel infimum, venditor vero pluris vendidit, v. g. dedisti vestem vendendam decem & intra latitudinem iusti pretij vendita est duodecim, distinguendum est: si expressè, vel tacite cum venditore conueneris, vt rem vendat illo pretio, & si quid amplius inuenerit, sibi retineat, certum est retinere posse, censeris autem tacite sic cum ipso conuenire, si ei commiseris venditionem, nullo pro eius diligentia, & labore stipendio promisso: censeris enim tunc in stipendium concedere, quod, vltra pretium designatum, inuentum fuerit, nisi multum excedat diligentiam, & laborem; Nauarr. *cap.* 23. *num.* 97. Ledesma 2. *par. summ. tract.* 8. *cap.* 32. *concl.* 17. *difficul.* 2. Salas *tract. de empt. & vend. cap.* 45. *num.* 4. Graffis 1. *par. dec. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 26. Corrad. *in summ. de contract. quæst.* 133. & Sà *verb. venditio, num.* 11. 2

3 Si verò neque expressè, neque tacitè eam conuentionem cum venditore feceris, non poterit ille excessum retinere, Maior *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 41. *art.* 5. Syluest. *verb. emptio, quæst.* 24. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 97. Molin. *disp.* 363. *num.* 1. Less. *de iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 19. Ledesma, Corradus, Salas, & Sà *locis supracit.* quia in tali casu non habet ille causam vllam retinendi dictum excessum.

4 Non enim retinere potest, eo quod tu pretium, quo veste is erat vendenda, designaueris; quia illa designatio non fuit facta, ne vestis venderetur vltra illud pretium, sed ne venderetur infra illud.

Neque retinere potest ratione vestis venditæ; quia vestis tua est, non intermedij, consequenter tibi competit integrè pretium; neque refert, si dicat intermedius, vt propriam illam vendidisse, & accepisse pro pretio à te designato; quia oportebat, vt id tibi manifestaret: Non enim præsumeris in emptionem illius consentire ante vllam præmissam diligentiam de pretio, vltrà designatum, inueniendo; neque intermedius credi potest, vt propriam illam accepisse; aliàs facta diligentia, & non inueniens, qui pretium illud offerat, deberet ex propriis bonis soluere, quod non videtur verum.


Neque retinere potest, eo quod diligentia extraordinaria facta, inuentus fuerit, qui duodecim dederit, & ex alio capite, mediocri diligentia facta, solùm inuentus fuerit, qui pretium à te designatum offerret; quia quantamcumque diligentiam apposuerit, pretij augmentum non fructus illius, sed vestis venditæ, ac proindè tibi, tanquàm Domino, cedere debet, reseruata intermedio actione negotiorum. Iusto-
5 rũ Secùs esset, vt rectè dixit Molin. Nauar. Salas, Ledesma, & Sà *in locis suprà cit.* Si vestem vendendam dares in hac Ciuitate, & facta ibi morali diligentia intermedius non inueniret nisi decem, qui in alium locum detulit, vbi inuenit duodecim: Nam in tali casu illa duo, tamquam fructus suæ industriæ, retinere poterit, quia sunt habita extra diligentiam sibi iniunctam; & idem est, si alia industria non debita rem meliorauit, Salas, *citat. cap.* 45. *num.* 4.

Neque retinere potest titulo stipendij sui laboris, quem gratis exhibere non tenebatur, siue facto indicauit gratis exhibitum, vel exhibendum; quia facta tali indicatione, tu non es astrictus aliquid soluere pro illo obsequio; quia prudenter credis, gratis tibi concedi & sub ea qualitate admittis, aliàs forte non admittendum; ergo ipse intermedius non potest compensationem facere, cùm hoc locum non habeat, vbi non intercedit debitum ex iustitia. Quin imò esto illud obsequium non gratis, sed ex animo, vt solueretur, esset præstitum, & sic acceptum, adhuc intermedius secretò vice compensationis retinere excessum non potest; quia compensatio non permittitur, cum facile debitum recuperari potest; vti videtur posse in præsenti casu actione negotiorum gestorum; Neque videtur sufficiens causa hanc compensationem honestandi verecundia quam intermedius pati potest, exigens actione negotiorum gestorum solutione obsequi exhibiti, quia eam verecundiam satis compensare videtur obligatio antidoralis, qua tu crederis astrictus ex obsequio, quod putas gratis tibi exhibitum.

Hinc, si rogasti Petrum, vt tibi emeret vestem 6
duodecim, qui tamen emit decem, non poterit illa duo retinere, nisi fortè ob aliquam industriam indebitam concessa fuerint; quia nomine tuo emit, & tanquam tuorum negotiorum gestor. Molin. *disp.* 363. *circà finem*, & Salas, *de empt. & vendit. dub.* 45. *num.* 6.

Hinc secundo, non potest Sartor. cui pan- 7
num committis emendum, retinere aliquid de pretio, sub prætextu, quod posset ab aliis mercatoribus cariùs emere; quia ipse tenetur præstare moralem diligentiam, vt, quantum fieri potest, vilius emat. Quod si, facta morali diligentia, non inueniat, qui minoris duodecim 8
panni vlnam concedat, vnus autem mercator, ad quem accedit, ipsi dimidium argenti à pretij diminuit, vt ipse sibi retineat in gratiam, quod ad ipsum accesserit empturus, & vt in posterum accedat, licet spectato iuris rigore id retinere possit, vt potè gratis à mercatore ipsi concessum, & vltra debitum in tui gratiam diligenter conquisitum; tamen, vt benè inquit Molin. *hac scrupulis plena sunt*, & ideo dissuadenda.

Prætextu autem damni emergentis, vel lucri 9
cessantis, quod amittit cessando ab opere, quod interim, dum occupatur in hac emptione, facere poterat, arbitror nunquam ipsum aliquid recipere posse; quia hanc diligentiam libenter ipse gratis exhibendam offert, vt ipsi potiùs, quàm aliis, vestis conficienda committatur; neque tu præsumeris emptionem ipsi commissurus, si scires, compensationem ipsum illius secretò fore facturum; sed in tali casu per te, vel per alios emptionem illam præstares.



SECTIO XXVI.

An possit Princeps, si frumenta, aliisuè ad suum, & militiæ victum necessariis indigeat, cogere Vassallos, vt illa emant, & ex diuersis locis asportent?

SVMMARIVM.

1. *Princeps, si propter bellum iustum, quod gerit frumento, aliisuè ad suum, vel militum victum necessariis indigeat, potest cogere Vassallos, vt illa emant, & ex diuersis locis etiam distantibus, si opus fuerint, asportant in beneficium ipsius Principis.*
2. *Ciuitas si victuarium pecuniam patiatur, & commoditatem emendi illa non habeat, licitè potest cogere Ciues singuli eorum iuxta vires, & facultates victualia emant, &c.*

3. *Item*

3. *Item vt pecuniam ipsi mutuent, ad hoc vt ipsa Ciuitas saltem emere victualia possit, ne tam ipsi quam alij Ciues fame pereant.*
4. *Amplia id totum posse facere Principem in ordine ad suos Vassallos.*
5. *Onus prædictum imponendum est cum moderatione, & positione Geometrica secundum vires, & facultates singulorum.*
6. *Tam Diuites, quam Pauperes tempore pecuniæ ad id tenentur, licet Diuitibus id necessarium non sit.*
7. *Ciuitas vt minus damni patiatur proportionaliter etiam geometricè compelli possunt Ciues ad emendum frumentum, vel quid aliud simile, quod Ciuitas habet ad vendendum, in casu, quo corrumpi illud incipiat, vel in casu aliquo alio simili.*
8. *Fiscus idem etiam facere potest de suo frumento.*
9. *Ciuitas, vel fiscus vt minus damni patiatur, potest misceri frumentum vetus licet corruptum cum nouo; vel vetus licet corruptum proportionaliter distribui per Ciues.*

1 RESpondetur: ex dictis suprà *sect.* 1. & 2. quod possit Princeps (si propter bellum iustum, quod gerit, frumento, aliisue ad suum, & militum victum necessarijs indigeat) cogere vassallos, vt illa emant, & ex diuersis locis, etiam distantibus, si opus fuerit, asportent in beneficium ipsius Principis, 2 & suæ militiæ; sicut & Ciuitas, si victualium penuriam patiatur, & commoditatem emendi illa non habeat; licitè etiam potest cogere Ciues, vt singuli eorum iuxta vires & facultates suas victualia emant, & ex diuersis locis, etiam distantibus, si opus fuerit asportent & 3 postea in beneficium Ciuitatis vendant. vel saltem, vt pecuniam ipsi mutuent, ad hoc vt ipsa Ciuitas saltem, emere Victualia possit, ne tam ipsi, quam alij Ciues fame pereant; atque ita docent Io. de Plat. Andr. de Barul Rebuff. Luc de Penn. alijque Doctores communiter *in l. 1. Cod. quibus mun vel præstat nem. lic. se excus. vbi est Casus:* idemque tradit Iacob. *in tit. de homag. num. 35.* vbi quod ob publicas necessitates possit Ciuitas cogere Ciues ad id. quod supra dicebam, adducit authoritatem Angeli, & quamplurium Doctorum aliorum; quodque idem propter easdem publicas necessitates 4 possit facere Princeps in ordine ad suos Vassallos docent etiam communiter Doctores, vti videre est apud Modern. in addit. ad Andr. *in tit. quæ sint Reg. in verb. & extraordinaria collatio vers. manus suas ad iniquitatem in fin.* Vbi 5 notat Luc. de Penn. id quod supra dixi, cum moderamine, & proportione Geometrica faciendum esse; Nemque quod ad id præstandum non eligantur soli Diuites, ita vt ij tantum aliis immunibus existentibus ad tale onus obstringantur, sed quòd omnes ad victualia emenda, vel asportanda, aut ad pecuniam ad hunc finem mutuandam æqualiter per æs, & libram, seu secundum vires, & facultates singulorum, seruata proportione quadam Geometrica, Ciues cogantur, quia vt rectè dixit Io. de Plat. post Andr. de Barul. apud Regentem de Ponte *de Potest. Proreg. tit. 2. num. 9.* ita est idoneus pauper ad modicum, sicut Diues ad multum; quapropter ad prædictum onus tenentur omnes, & singuli Ciues, siue pauperes, siue diuites illi sint, proportione Geometricà tamen, vti dicebam pauperes, scilicet, vt pauperes, diuites autem, vt diuites.

Quod autem fieri possint impositiones, imo, & possint taxari proportionaliter Geometricè Ciues omnes ad pecuniam mutuandam propter emptionem Victualium pro sustentatione necessaria Militum, est casus *in l. vnica, Cod. vt nem. lic. emp. se excus. lib.* 11. vbi Luc. de Penn. ait, Textum habere locũ secundum communem Doctor. opinionem etiam in ordine ad sustentationem populorũ tempore penuriæ: subditque, quòd ita temporibus suis in praxi positũ sit: idem sentit Glos. *ibidem*, dum exponit, alij necessitate, scilicet, belli, & famis, vbi Bart.

Notat primò, quòd tàm diuites, quàm pauperes tempore penuriæ ad id teneantur, licet diuitibus id necessarium non sit, & ratio, inquit, ipse, est, quia id spectat ad publicam vtilitatem, cum Ciuitas sine pauperibus perfecta non sit. 6

Notat secundò, quòd, ad hoc vt Ciuitas minus damni patiatur proportionaliter Geometricè etiam compelli possint Ciues ad emendum frumentum, vel quid aliud simile, quod Ciuitas habet ad vendendum, in casu quo corrumpi illud incipiat, vel in casu aliquo alio simili; Nec quisquam ab hoc excusetur, licet ipsi necessarium non sit. Ratio, quia sic etiam in tali casu exposcit bonum commune: Quod pariter facere posse Fiscum de suo frumento, docet etiam idem Bart. quem sequuntur Afflict. *in cap. post natale ante num. 8. vers. & scias de pac. ten.* & alij Doctor. Quinimo propter eamdem causam, vt scilicet Ciuitas, vel Fiscus minus damni patiatur, posse misceri frumentum vetus, licet corruptum, cum nouo, vel vetus, licet corruptum, proportionaliter distribui per Ciues, dixit idem Bart. cum Glos. *in l. 2. Cod. de Cond. in publ. horr. lib. 10.* 7 8 9

SECTIO XXVII.

An possit Princeps cogere Vassallos, vt animalia, naues, vel similia iusto pretio locent?

SVMMARIVM.

1. *Princeps potest (si sic necessitas vrgeat: atque adeo sic exigat bonum commune) compellere Vassallos (sicut & Ciuitas compellere Ciues) vt iusto pretio animalia, naues, vel similia, quæ habent, locent.*
2. *Laudantur ordinationes, quod iusto pretio dentur alimenta Mulis, & Vecturis; & quod pretia moderentur, & taxentur.*

1 RESpondetur ex dictis eadem *sect.* 1. & 2. quòd possit Princeps (si sic necessitas vrgeat : atque adeò sic exigat bonum commune) compellere Vassallos (sicut & Ciuitas compellere Ciues) vt iusto pretio animalia, naues vel similia, quæ habent, locent causa asportandi frumentum, vel alia ad bonum commune necessaria; qua de re vide si placet, Bald. *in l. iubemus, nullam, Cod. de Sacris. Eccles.* & Regentem de Ponte, *tit.* 4. *de regalib. imposition. §.2. num.* 51. vbi subdit, quòd hinc fieri consue-
2 uerunt ordinationes, quòd iusto pretio dentur alimenta mulis vecturis & quòd pretia moderentur, & taxentur, & hoc desumptum esse dicit ex Text. *in l. animalia, C. de curs. publ. lib.* Vide, 12. quæ dicentur *sect.* 37.



SECTIO XXVIII.

An possit Princeps cogere Vniuersitates Regni, vt homines pro Militia exhibeant?

SVMMARIVM.

1. *Princeps potest cogere Vniuersitates Regni, vt in beneficium commune ipsius Regni proportione Geometrica attenta exhibeant homines pro Militia, pro remigando, pro fodiendo, &c.*
2. *Praxis origo, vt ad carceres pro delictis grauibus homines condemnati, transmittantur ad Regias Triremes.*
3. *Praxis prædicta, omissa publica vtilitate, etiam ex aliis capitibus non est irrationabilis, quæ infra recensetur.*
4. *Origo Bannimentorum recensetur per quæ inutiles, & vagabundi homines, qui modum viuendi non habent, & ex alio capite nec aliis inseruire, nec laborare aliquo modo curant, ad Triremes Regias mittantur.*
5. *Princeps vt licitè possit per vim ex vniuersitatibus assumere sibi Vassallos pro Militia pro remigando, & aliis similibus, &c. ad beneficium commune spectantibus, requiritur primò quod iis iustum stipendium præstetur.*
6. *Item requiritur quod non sint Bubulci, & similes homines Agriculturæ vacantes; alioquin Principis prouisio potius tenderet in damnum, quam in beneficium commune.*
7. *Guidatica expediri solent per Proreges vt Agricolæ culturæ, & messis tempore pro debitis ciuilibus ab aliquo non inquietentur.*
8. *Item vt licitè possit Vassallos vt supra astringere, debet indigere hic & nunc propriis, & Regni redditibus, si enim non indigeat, debet commodum proprium postponere bono communi, quare si in tali casu astringeret ad compensanda damna illis teneretur.*
9. *Princeps licitè non potest pro his, quæ supradicebantur impositiones de nouo facere; quia sicut de iure spectat ad ipsum administrare subditis iustitiam; ita & de iure spectat ad eumdem subditos ab incursu hostium, latronum, & à similibus malis custodire.*
10. *Afflicti sententia quod impositiones, quæ fiunt in Regno pro persecutione delinquentium, & similibus rebus ad bonum commune spectantibus, procedant ratione statutorum, & consuetudinum particularium eiusdem Regni, non placet nisi in casu quod Regni redditus non sufficiant.*



RESpondetur ex dictis eadem *sect.* 1. & 2. quòd possit Princeps cogere Vniuersitates Regni, vt in beneficium commune ipsius Regni, proportione quadam Geometrica attenta, exhibeant homines pro militia, pro remigando, pro fodiendo (cum Exercitus per mare, vel per terram ad bellum transmittitur) pro persequendo, & extirpando Latrones, & pro similibus aliis rebus ad publicam vtilitatem eiusdem Regni necessariis, sicuti docent Luc. de Penn. & Capic. quos refert, & sequitur Regens de Ponte *tit.* 4. *de Regal. imposition. num.* 48. & *seqq.* Vide etiam quæ dicuntur, *sect.* 37. 1

Hinc ortum habuit Praxis, vt ad carceres, 2
pro delictis grauibus homines condemnati, transmittantur (donec ipsorum causæ expediantur) ad Regias Triremes, vt ibi inseruiant in beneficium Regni.

Quæ Praxis (vt omittam caput publicæ vti- 3
litatis; quia sic quidem exigit, suadente necessitate, bonum commune in defensionem Regni) est ex aliis capitibus etiam non irrationabilis. Primò quia vel digni postea tali pœna huiusmodi homines reperiuntur, & sic nullam quod ad Triremes transmissi fuerint, iniuriam acceperunt, vel digni non reperiuntur, & nec etiam per hoc iniuriam patiuntur, quia interim debitam, & iustam mercedem, sicut & alij, qui voluntariè ad remigandum se locant, habuerunt, quamuis pro carcere, qui sanè ipsis debitus erat, Triremis successerit. Secundò, quia cum tales delinquentes sint homines facinorosi, & viles, non dissonum omnino à ratione videtur, quòd in Triremibus inseruiant Regi, à quo ipsis alimenta præstantur. Tertiò, quia cum per Regias constitutiones, capitula Regni, & pragmaticas Barones possint (vt videre est apud Regentem de Ponte *loc. supra cit. num.* 52.) Vassallos sibi assumere pro seruitiis sibi necessariis, non est, cur hoc idem non concedatur Regi, qui est Dominus omnium, iuxta ius, constitutiones, & capitula eiusdem Regni, vt apud eumdem Regentem de Ponte *in eodem loc. cit.* videre est.

Hinc etiam ortum habuerunt banna, per quæ 4
inutiles, & vagabundi homines, qui modum viuendi non habent, & ex alio capite nec aliis inseruire, nec laborare aliquo modo curant, ad Triremes Regias mittantur: Quod fundatur tum in Text. *l.* 1. *C. de mend. valid. lib.* 11. Tum in præsumptione, quòd in futurum facinora, furta, & similia commissuri sint cum nullum prorsus modũ viuendi obtineant, & laborare omni modo recusẽt; Quapropter rationabilia sunt prædicta banna, cum tẽdant in publicũ

vtilitatem & securitatem Vniuersitatum, &
5 Regni vt autem licitè possit Princeps, vti suprà dicebam, per vim ex Vniuersitatibus assumere sibi Vassallos pro Militia, pro remigando, pro fodiendo, pro persequendo, & extirpando latrones, & pro similibus aliis rebus ad beneficium communè spectantibus, requiritur primò, quod iis iustum stipendium præstetur;
6 Qua de re vide Regentem de Ponte *loc. cit. num.* 48. Secundò, quod sint Bubulci, & similes homines Agriculturæ vacantes, vt rectè dixit Ripa, *de potest. tit. de remed. præseru. num.* 217. & sequitur Regens de Ponte, *tit.* 4. *de Regalibus impositión. num.* 50. alioquin enim Principis prouisio potiùs tenderet in damnum, quàm in beneficium commune: nam omittetetur per hoc Agricultura, quæ adeò est vitæ humanæ, atque adeò bono publico, necessa-
7 ria. Quapropter in beneficium talium hominum (ad hoc vt culturæ, & messi vacare commode possint) expediri solent per Proreges quidatica, ne culturæ, & messis tempore pro debitis ciuilibus ab aliquo inquietentur; Quâ de re *in l.* 1. vbi Andr. de Barul. *& in l. coloni, par.* 2. *C. de Agricolis lib.* 10. & Regens de Ponte, *tit.* 10. *de insigniis, & armis, num.* 12. Tertiò, quòd de proprio, & redditibus
8 Regni non possit hic, & nunc Princeps instanti necessitati prouidere; Nam, si potest, in conscientia non debet Princeps ad ea, quæ suprà dicebantur, Vassallos astringere, cum debeat commodum proprium postponere bono communi, sicuti suprà dicebam: Quare si in tali casu astringeret, ad compensanda damna illis teneretur. Et hinc Andr. *in prælud. feud.* 2. *quæst. num.* 34. *& in tit. quæ sint regalia ante num.* 15. *vers. hæc vectigalia*, quem sequitur
9 Regens de Ponte, *loc. supra cit. num.* 65. dixit, quòd pro his, quæ supra dicebantur, & similibus licitè non possit Princeps, impositiones de nouo facere quia sicut de Iure spectat ad Principem administrare subditis Iustitiam, ita & de Iure spectat ad eundem subditos ab incursu Hostium, Latronum, & à similibus malis custodire; Cum propterea, veluti stipendia ad hunc finem instituta, percipiat redditus Regni, vt Doanas, &c.

Et quamuis Afflict. *in constit. Regn. incip.*
10 *super incisionibus*, auctoritate quorumdam Doctorum, quos pro se ibi refert, dicat, quòd impositiones, quæ fiunt in Regno pro persecutione Delinquentium, & similibus rebus ad bonum commune spectantibus procedant ratione Statutorum, & Consuetudinum particularium eiusdem Regni, id tamen mihi non probatur nisi in casu, quod Regni redditus non sufficiant: Nam *non Regnum propter Regem, sed Rex potius propter Regnum debet esse*, sicuti supra, & diffusius *in dub.* 3. dicebam.



SECTIO XXIX.

An possit Princeps cogere Vassallos ad refectionem Pontium, Viarum, & similium.

SVMMARIVM.

1. *Princeps potest si v.g. sic exigat bonum commune, cogere Vassallos ad refectionem Pontium, Viarum, & similium.*
2. *Item potest cogere eosdem ad refectionem murorum Ciuitatis, & ad constructionem turrium, & custodiam illarum in locis maritimis pro defensione à Piratis, & Catholicæ fidei hostibus.*
3. *Item potest prohibere ædificia Priuatorum, occupare, sola, quin & diruere Domos eorumdem pro viis ampliandis etiam ad ornatum Ciuitatis, vel pro nouo Porticu faciendo, &c.*
4. *Princeps pro prædictis potest etiam imponere Collectus, & eos, qui inde commodum percipiunt, taxare, vt illis qui damnum patiuntur proportionaliter satisfiat.*

Respondetur, ex dictis *eadem sect.* 1. 1
& 2. quòd possit Princeps, si scilicet sic exigit bonum commune, cogere Vassallos ad refectionem Pontium, Viarum, & similium, vt per Isern. *in constit. Regn. incip. si damna clandestina* iuxta Text. *in l. ad instructionem C. de Sacros. Eccles.* & iuxta Text. *in l. fin. C. de Immunit. nem. concedo lib.* 10.

Item possit cogere eosdem ad refectionē mu- 2
rorum Ciuitatis, iuxta Textum, *in l. fin. Cod. quibus mun. vel præst. eodem libr.* & ad constructionem Turrium & custodiam illarum in locis maritimis pro defensione à Piratis, & Catholicæ fidei inimicis.

Item possit prohibere ædificia Priuatorum, 3
occupare sola, quin & diruere domos eorumdem pro viis ampliandis, etiam ad ornatum Ciuitatis, vel pro nouo Porticu faciendo, vel similibus, &c. pro quibus etiam potest impone- 4
re Collectus, & eos qui inde commodum percipiunt, taxare, vt illis, qui damnum patiuntur, proportionaliter satisfiat; quâ de re *in l. ædificia. C. de oper. publ.* & latè Auend. *de exequ. mand. p.* 1. *cap.* 19. *num.* 39. quapropter in dies id videtur in praxi poni, teste Regente Lanario *cons.* 4. & Regente de Ponte, *tit.* 4. *cit. num.* 66. *& tit.* 10. *de insigniis, & armis num.* 11. Vide, quæ dicentur *sect.* 37.



SECTIO XXX.

An possit Princeps cogere Vassallos, vt quædam è Regno non extrahant.

SVMMARIVM.

1. *Princeps, cum sic exigit bonum commune, ne Regnum restet inops, sub certis pœnis adstringere Vassallos, vt v. g. aurum, argentum, frumentum, vinum, equos, lignamina ad vsum belli deseruientia, & similia de Regno non extrahant sine licentia ipsius.*
2. *Item ex nonnullis Regni Capitulis prout refert Regens de Ponte, pretium perceptum ex mercibus immissis in Regnum extrahi prohibetur, quam vis non prohibeantur extrahi merces ex prædicto pretio emptæ, reuocata in contrarium quadam Regiæ Cameræ consultatione.*
3. *Amplia primò quod Princeps potest sub certis pœnis extractiones quarumdam rerum è Regno fieri, impedire, si sic exigat bonum commune Regni; ita vt licet per Reges, & Proreges concedantur tracta, seu extractiones frumenti vini, & similium semper intelligitur subinserta conditio, si scilicet Regnum his rebus opus non habeat.*
4. *Proreges videant ne propter amicitiam vel sanguinis coniunctionem tractas à Rege aliquibus datas permittant in praxi poni cum periculo damni, & penuriæ communis totius Regni.*
5. *Amplia secundò, hoc etiam procedere, si Rex, vel ipsius Ministri ad hoc vt Regno vel Ciuitati prouideant, impediunt frumenti vel aliorum victualium extractionem ad Curiam Romanam, non incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, Can. 8.*
6. *Prohibentes tempore pestis, ne quis reuersurus Romam tendat, non incidunt in excommunicationem Bullarem latam contra impedientes illos, qui Romam tendunt.*
7. *Pater familias si prohibeat filium Romam deferre victualia, vel similia ob periculum Latronum, vel Meretricum non incidit in excommunicationem Bullarem.*
8. *Prohibens extractionem rerum prædictarum ad Curiam Romanam ob periculum probabile penuriæ futuræ, vel etiam dubium, non incidit in excommunicationem Bullarem secundum Megalium, & alios; secus si summus Pontifex caput Reipublicæ Christianæ, cum suis Ministris Romæ indigeret.*
10. *Caput, præsertim tale, qualis est Summus Pontifex, omnino cæteris membris præferri debet.*
11. *Prorex, vel ipsius Ministri non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ in sententia aliquorum Doctorum, si Neapoli v. g. adesset magna penuria frumenti, & Nauis frumenti plena vi ventorum, Romam tendens, Neapolim accederet eam retinerent.*
12. *Famis necessitate compulsus si aliena sumat excusatur à culpa, sicque ex prædicta causa impedientes Victualia deferentes ad Romanam Curiam.*
13. *Vbi culpa mortalis non contrahitur, ibi excommunicatio maior locum non habet.*
14. *Omnia in necessitate sunt communia.*
15. *Amplia tertio id quod dictum fuit superius, adeo verum esse, vt si quis ex rebus extrahi probibitis, extrahat à Regno quantitatem aliquam, quamuis damnum graue ex tali facto Ciuitati, vel Regno non sequatur, adhuc tamẽ peccet mortaliter contra Castrum Palaum non improbabiliter sentientem oppositum.*
16. *Amplia quartò dictum superius adeo verum esse, vt tali prohibitione subdantur etiam Ecclesiastici indirectè tamen & secundum vim directiuam non autem directè, & secundum vim coactiuam, coërcitiuam, seu punitiuam, seu quoad personas, seu etiam quoad ipsorum, bona.*
17. *Ecclesiastici neque de iure Diuino, neque humano eximuntur à legibus ciuilibus, quatenus hæ cum libertate Ecclesiastica non pugnant, neque cum Sacris Canonibus, neque cum Clericorum statu; sed solum ad Reipublicæ bonam gubernationem, & quietem pertinent.*
18. *Ecclesiastici in communi societate viuentes, sunt etiam Ciues, & membra Reipublicæ.*
19. *Turpis omnis pars est suo vniuerso non congruens.*
20. *Qui sentit commodum sentire debet & in commodum.*
21. *Ecclesiastici fruuntur communibus Reipublicæ commodis & priuilegiis, parque est vt communem in aliis Ciuibus suscipiant obligationem, quæ eorum statui non repugnet.*
22. *Ecclesiastici tenentur obedire legibus Principis secularis taxantibus pretia censuum.*
23. *Ecclesiastici si res extrahi prohibitas extrahant à Regno saltem in notabili quantitate: item si vendant frumentum, vel quid aliud vltra pretium à Principe taxatum peccent mortaliter, & tenentur ad compensationem damni, sicut & Laici.*
24. *Ecclesiastici subduntur, & obligantur legibus Principum secularium, dummodo illæ communes sint, id est ad totam communitatem ferantur boni publici causa.*
25. *Ecclesia non recipit; sed reprobat eas Principum secularium leges, quæ de Ecclesiasticis bonis aut personis, speciatim decernunt præcipiendo, vel prohibendo, quamuis Ecclesiæ fauorem continere videantur.*
26. *Leges Imperatoriæ nisi Canonico iure sint receptæ, & approbatæ, licet contineant fauorem Ecclesiæ, nullius roboris sunt, tanquam latæ ab eo, qui potestatem non habet.*
27. *Amplia idem procedere etiam in bonis Ecclesiasticorum, vel patrimonialibus. Et cur.*
28. *Limita primò, nisi bona seu Ecclesiæ, seu Ecclesiasticorum proprio merè reali onere obstricta fuerint principi seculari, priusquam transirent ad Personam Ecclesiasticam.*
29. *Item si cum pacto vel conditione Ecclesiæ, vel Ecclesiast. Personæ illa concessa sint, vt secularium Iurisdictioni, vel exactioni alicui subiecta sint.*

30. *Limita secundò, nisi dispositio ciuilis de bonis, vel etiam personis Ecclesiasticis sit praeceptiua; sed solum permissiua, vel priuilegiatiua: dare enim priuilegium non est signum superioritatis, cum etiam non subdito dari possit.*

31. *Ecclesiastici subduntur generatim legibus Principum secularium in quorum Regnis, vel Prouinciis vitam degunt, licet Sacri Canones loquantur solum de legibus Imperialibus.*

32. *Ratio naturalis dictat quod Ecclesiastici leges seculares sequantur, ad hoc vt conformitatem, seu congruitatem seruent cum personis saecularibus eiusdem communitatis, veluti membra eiusdem corporis.*

33. *Nemo tenetur directè legibus illius, qui in ipsum potestatem, seu iurisdictionem non habet.*

34. *Principes seculares non habent potestatem, seu iurisdictonem in personas Ecclesiasticas.*

35. *Ecclesiastici probabilius Ciuilibus Principum saecularium legibus non obligantur directè id est praecisè ex vi ipsarum legum, vel potestatis Legislatricis ciuilis, cum ab illa omni iure exempti sint.*

36. *Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adiuuantur.*

37. *Potestas Laica propter transgressionem legum ciuilium punire non potest Ecclesiasticas Personas etiam in opinione Doctorũ affirmantium quod Ecclesiastici legibus Principum secularium directè subdantur secundum vim directiuam; sed contra huiusmodi delinquentes contra legem ciuilem deferenda est querela ad proprium Iudicem Ecclesiasticum.*

38. *Iudex Ecclesiasticus non debet (licet possit) Clericis leges ciuiles violantibus eamdem infligere poenam, quae Laicis statuta est; decet enim vt cum Ecclesiasticis mitius agatur ob conseruationem status ipsorum.*

39. *Leges ciuiles, quae infirmant contractum, testamentum, &c. Item quae reddunt personas inhabiles ad contrahendum testandum, &c. In poena commissi criminis, non comprehendunt Ecclesiasticos; quia poenales sunt.*

40. *Leges infirmantes contractum, testamentum, & similia, quae poenales non sunt, sed certam formam seu solemnitatem contrahendi, testandi &c. praescribunt, vt aliter actus irritus sit, comprehendunt etiam Ecclesiasticos ex generali Iuris Canonici consensu, & approbatione.*

41. *Laica Potestas non habet iurisdictionem vllam in Ecclesiasticos; ergo multo minus coactiuam, & punitiuam; cum haec quam maximè pugnent cum statu Ecclesiasticorum.*

42. *Inferior statu valde indecens est vt iudicet, & puniat Superiorem; Sacerdotes enim aliique Ecclesiastici sunt statu digniore, & altiore quam Laici.*

43. *Ecclesiastici quoad personas plenissimum fori priuilegium habent vt coram Iudice seculari conueniri, iudicari, & puniri nullo modo possint.*

44. *Cõstantinus primus decreuit hanc exemptionem vt videre est apud Ruffin. lib. 2. histor. cap. 21. ibi Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi; vos verò non potestis ab hominibus iudicari.*

45. *Decreuit etiam Constantinus, vt Clerici minime ad curias seculares reuocentur, sed immunitate plenissima potiantur, eamque immunitatem Clericorum à Iuliano Apostata postea impie violatam integre reuocarunt Theodosius, & Valentinianus Imperatores.*

46. *Iustinianus Imperator Ecclesiasticam immunitatem non parum minuit multis legibus, quas limites suae potestatis excedens, de causis, & personis Ecclesiasticis condidit, & praesertim in Cod. de Episc. & Cler. quae constitutio correcta fuit ab Imperatore Frider. II. in Auth.*

47. *Necessitas publici, vel priuati incommodi auertendi non tribuit Magistratui Laico iurisdictionem in Ecclesiasticas personas; sed solum tribuit ius defensionis, quam naturalis ratio cuilibet in quemlibet permittit contra nonnullos Doctores excipientes latum necessitatis.*

48. *Bona sequuntur personam; ita vt si eximatur persona, eximantur & bona personae.*

49. *Iudex, fieri non potest, vt de bonis processum iudicij & sententiam formet, nisi personam vocando, examinando, eidem iubendo, vel prohibendo.*

50. *Ecclesiastici quod in causis realibus coram Iudice seculari conueniri possint secundum aliquos Doctores, ex eo quod quisque sortiatur forum in loco, vbi res sita est, vel vbi celebratus est cõtractus, requiritur: habet enim regula plures limitationes, inter quas ea est, nisi persona, sit priuilegiata, &c.*



Espondetur ex dictis *cit. Sect.* 1. & 2. quòd possit Princeps (cum sic exigit bonum commune, ad hoc ne Regnum restet inops, & spoliatum) sub certis poenis astringere Vassallos, vt v. g. aurum, argentum, frumentum, vinum, equos, lignamina ad vsum belli deseruientia, & similia de Regno non extrahant sine licentia ipsius. Ad quod comprobandum praeter dispositiones de Iure communi, vt *in l. Cod. quae res export. non. deb. in l. vnica, C. de lict. & iten. custod. lib. 12. & in l. 2. C. de com. & mercat.* adsunt (videre est apud Regentem de Ponte *loc. cit. in princ.*) nonnulla Regni capitula, & pragmaticae, quibus etiam prohibetur, ne pretium perceptum ex mercibus immissis in Regnum (quamuis non prohibeantur extrahi merces ex praedicto pretio emptae) de Regno extrahatur. Quidquid in contrarium esse videatur quaedam Regiae Camerae consultatio, quae postea tractu temporis, re melius considerata, reuocata fuit, vt apud eumdem Regentem *loc. supra cit. num.* 4. videre est. 1 2

AMPLIATIO PRIMA.

Hoc autem, quod modò dixi, nempe quòd possit Princeps sub certis poenis extractiones quarumdam rerum è Regno fieri, impedire (si sic exigit bonum commune Regni) adeò verum est, vt quamuis saepè saepius per Regem, & Proreges concedantur tractae, seu extractiones frumenti, vini, & similium, quae extrahi è Regno per Regias pragmaticas, vt supra dicebam, prohibentur, semper tamen hae concessiones intelligantur cum insita conditione, si 3

si scilicet Regnum iis rebus opus non habeat; Idque propter eamdem rationem, quia sic exigit bonum commune Regni. Quare Proreges, hac conditione non seruata, tractas concedendo, perperam agent; Cum inde sequi consueuerint multa incommoda, penuriæ, ruinæ, & perturbationes totius Regni. In quo prudentes Reges ministri summoperè aduertere, & inuigilare tenentur, sicuti rectè notauit Regens de
4 Ponte *vbi suprà num.* 5. Quare videant Proreges, ne propter amicitiam, vel sanguinis coniunctionem tractas à Rege aliquibus datas permittant in praxi poni cum periculo damni, & penuriæ communis totius Regni: Nam in omnibus his tractarum concessionibus à Rege cuicumque concessis semper, vti suprà dicebam, subintelligitur conditio illa: *si scilicet Regnum his rebus opus non habeat, & in se munitum remaneat*; Idque propter rationes iam dictas.

AMPLIATIO SECVNDA.

5 Item secundò, quod dixi, adeò verum est, vt si Rex, vel ipsius Ministri, ad hoc vt Regno, vel Ciuitati prouideant, impediunt frumenti, vel aliorum Victualium extractionem ad Curiam Romanam, non incidant in excommunicationem *Bullæ Cœnæ can.* 8. *Latam* contra inuadentes, vel impedientes eos, qui victualia vel
6 alia ad vsum Curiæ Romanæ necessaria Romam vehunt. Sicut neque incidunt in excommunicationem Bullarem latam contra eos, qui impediunt illos, qui Romam tendunt, si pestis tempore prohibeant, ne quis reuersurus, Romam tendat, Caiet. *verb. excommunicatio cap.* 19. Nauarr. *in summ. cap.* 27. *num.* 64. Graff. *num.* 110. & Scortia *epit.* 166. *Theor.* 417. Sicut etiam neque incidit in excommunicationem Bullarem Pater-Familias, si prohibeat Fi-
7 lium Romam deferre victualia, vel similia, ob periculum Latronum, vel Meretricum. Ratio; quia in his, & similibus casibus is, qui impedit, vtitur Iure suo, & impedit iustè, & legitimè; Cum ex alio capite in prædictis Canonibus prohibeatur solum iniusta inuasio, & impeditio cum peccatò mortali, quod excommunicatio maior necessariò supponit.

Videatur, præter Caiet. Nauarr. Graff. & Scortiam. *locis supra cit.* Baldus *in l.* 1. *C. de his, quæ pœn. nom.* Glos. *in cap.* 1. *vers. imperatis de stat. Monachor.* Sayr. *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 4. Alterius, *lib.* 5. *dis.* 9. *cap.* 4. & Regens de Ponte *vbi suprà num.* 8. qui, quod non contrahatur excommunicatio in casibus prædictis, docet ex eo quia charitas, vt inquit ipse, incipit à se ipso. Videatur Megalius *in* 3. *p. cap.* 7.
8 *quæst.* 1. *num.* 4. & 5. vbi subdit, *quod neque excommunicationem Bullarem incidit ille, qui ob periculum penuriæ futuræ probabile, vel etiam dubium prohibet extractionem rerum prædictarum ad Curiam Romanam* · videatur Sousa *in explicat. Bullæ Cœnæ cap.* 9. *disp.* 53. *conclus.* 1. *num.* 3. qui ibi eamdem doctrinam tradit cum multis aliis Doctoribus; Quamuis Genuensis *in pract. cap. Eccles. tricennario* 21. *quæst.* 618. *num.* 2. prædictam Doctorum opinionem moderandam meri-
9 tò putet, *Si summus Pontifex caput Reipublicæ Christianæ cum suis Ministris Romæ indigeret.* Et ratio huius moderationis esse potest, quia caput, præsertim tale, qualis est summus Ponti- 10
fex omnino cæteris membris præferri debet: Videatur etiam Vgosinus, *quem citat, & sequitur* Duard. *in Bull. Cœnæ. lib.* 2. *can.* 8. *quæst.* 4. *num.* 2. qui subdunt, quòd si Neapoli v. g. 11
adesset magna penuria frumenti, & Nauis frumenti plena viuentorum Romam tendens Neapolim accederet, Prorex, vel ipsius ministri illam simul cum frumento retinendo non incurrerent excommunicationem Bullæ Cœnæ; ad quod probandum adducunt Textum *in l. Præses C. de seruit. & aqua, & in cap. Discipulos dist.* 5. Et ratio esse potest, quia qui famis ne- 12
cessitate compulsus aliena sumit, excusatur à culpa, sicque qui ex prædicta causa ad Curiam Romanam victualia deferentes impedit, excommunicationis vinculo non alligatur: Nam, vt suprà dicebam, & habetur *id cap. nullus* 11. *quæst.* 3. vbi culpa mortalis non contrahitur, 13
ibi excommunicatio maior locum non habet. Et quamuis Sousa *loc. supra cit.* dicat opinionem hanc esse veram cum limitatione, si scilicet Romæ non esset verum, quæ illuc portari impediuntur, indigentia, ita vt aliter impedientem non excuset à censura, motus ex eo, quia ad impediendam delationem Mercium, quæ aliunde ad aliquem locum portantur Ius nemo habet; Hæc tamen Sousæ limitatio sic absolutè prolata mihi non probatur, quia, vt rectè ait Glos. *in cit. cap. Discipulos dist.* 5. omnia in 14
necessitate sunt communia per *Text. in cap.* sicut *dist.* 47. *præsertim Cibaria ex l.* 2. *§. in eadem Naui in fin. ff. ad l. Rhodiam de iac.* ex eo quia hæc maximè rerum aliarum omnium ad vitam sustentandam sunt necessaria; admittenda tamen est dicta Sousæ limitatio in casu, quo Summus Pontifex cum suis Ministris indigeret, vt cum Genuensi suprà dicebam.

AMPLIATIO TERTIA.

Item tertiò, quod dixi, adeò verum est, vt, 15
si quis ex rebus extrahi prohibitis extrahat è Regno quantitatem aliquam, quamuis damnum graue ex tali facto Ciuitati, vel Regno non sequatur, adhuc tamen peccet mortaliter; atque ita docet Sanchez, *lib.* 1. *Moral. cap.* 4. *num.* 8. & ratio est quia in tali casu non debet spectari, quale damnum sequatur, vno, vel altero contrauueniente, sed quale damnum sequatur, si multi contraueniant, & communiter fiat.

Confirmatur, quia alioquin finis legis frustraretur: cum vt plurimum nemo de supradictis rebus tantam quantitatem extrahat, vt ex ipsius solius facto magnum damnum Ciuitati vel Regno sequi soleat.

Et si Castrus Palaus non improbaliter sentiat oppositum *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 6. vbi docet, quod non peccet quis mortaliter, nisi cum ex rerum prohibitarum sua exportatione Regnum, vel Ciuitas graue damnum pateretur, vt si quis. v. g. exportaret, regulariter loquendo, centum aureos, vel Merces huius valoris circiter, vel Arma decem Militum; secùs, si exportaret quantitatem valoris

minoris; nisi forsan in casu, quo Regnum esset ab hostibus, vel alia calamitate nimis oppressum.

AMPLIATIO QVARTA.

16 Item quartò, quod dixi, adeò verum est, vt tali prohibitione (sicut & aliis sæcularium Principum legibus) subdantur etiam Ecclesiastici, indirectè tamen, & secundùm vim directiuam, non autem directè, & secundùm vim coactiuam, coercitiuam, seu punitiuam, seu quoad personas, seu etiam quoad ipsorum bona.

17 Ratio autem quartæ ampliationis quoad primam partem, illa est; quia neque de iure diuino, neque humano eximuntur Ecclesiastici à legibus ciuilibus, quatenus hæ cum libertate Ecclesiastica non pugnant, idest, quatenus neque cum sacris canonibus, neque cum clericorum statu repugnantiam habent, sed solum ad Reipublicæ bonam gubernationem, ac quietem pertinent, cuiusmodi sunt leges, quibus taxatur pretium rerum; prohibetur aliquod genus armorum; præscribitur modus ædificandi, testandi contrahendi, &c. atque ita sumitur ex *cap. 1. cap. quoniam cap. de capitulis dist. 10. cap. cum ad verum dist. 96. &*
18 *cap. 1. de noui operis nuntiat.* & ratio vlterius est, quia Ecclesiastici in communi Societate viuentes, sunt etiam ciues, & membra Reipublicæ; ergo naturali ratione æquum est, quod & ipsi etiam præstent, quæ ad communem Reipublicæ gubernationem necessaria
19 sunt: *turpis enim omnis pars est, suo vniuerso non congruens*, ait S. August. 3. *Confess. cap. 8.*

20 Confirmatur, quia qui sentit commodum, sentire debet incommodum, *iuxta reg. 55. in 6.* At
21 Ecclesiastici fruuntur omnibus communibus Reipublicæ commodis, & Priuilegiis, ergo par est quod ipsis etiam communem cum aliis ciuibus suscipiant obligationem, quæ ipsorum statui liberati, & canonicis priuilegiis non repugnant.

Atque ita (quidquid in contrarium dixerit Genuensis *in praxi cap. 74. per tot.* & dicere videtur etiam Nauarr. *lib. 1. cons. 3. de constit. num. 4. §. 3. edit. 2.*) docent communiter canonistæ *in cap. Ecclesia de constit. & cap. 1. de noui operis nunciatione*; Legistæ. *in l. cunctos populos Cod. de summ. Trinit.* Theologi, & summistæ *in verb. lex.* Angelus *num. 5.* Syluest. *quæst. 15. num. 11.* Victoria *relect. 1. de potest. Eccles. quæst. vlt. prop. 4.* Barth. Medina *1. 2. quæst. 96. art. 5. dub. vlt.* Nauarr. *cap. 23. num. 88.* Bellarm. *lib. 1. de Clericis cap. 28.* Vasq. *12. disp. 176. cap. 4.* Suar. *lib. 3. de leg. cap. 34. & lib. 4. defens. fidei cap. 16.* Ioan. Salas *disp. 14. sect. 8.* Sotus *de iust. lib. 1. quæst. 6. art. 7.* Molina *tom. 2. tract. 2. disput. 31. num. 15.* Salonius *tom. 2. in 2. 2. quæst. 77. art. 1. controuers. 10.* Ledesma *tom. 2. tract. 8. cap. 32. diffic. 4.* & alij, quos refert, & sequitur etiam Salgado *de protect. Regia tom. 1. part. 1. cap. 1. num. 64. prael. 2.* Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ in prolog. num. 30.* & Peirinus *de Priuileg. Minimorum tom. 1. constit. Iulij 11. §. 33. num. 151.*

Hinc Ecclesiastici tenentur obedire legibus Principis sæcularis taxantibus pretia censuum, vt in specie notauit Auendagno *tract. de censib. cap. 32. num. 10.* Lassarte *de Decima vendit. cap. 10. num. 3.* Mexia *in pragm. taxa panis concl. 5. num. 39.* & Salas *de empt. & vendit. dub. 9. num. 2.* 22

Hinc etiam Ecclesiastici, si res extrahi prohibitas extrahant è Regno, saltem in notabili quantitate vti suprà dicebam. Item, si vendant frumentum, vel quid aliud vltra pretium à Principe taxatum, peccant mortaliter, & tenentur ad compensationem damni sicut & laici, idemque dicendum de similibus aliis casibus. 23

Aduerte tamen, quod Ecclesiastici subduntur, & obligantur legibus ciuilibus Principum sæcularium, dummodo illæ communes sint, 24
ideft ad totam communitatem ferantur boni publici causa: nam Ecclesia non recipit, sed 25
reprobat eas Principum sæcularium leges, quæ de Ecclesiasticis bonis, aut personis speciatim decernunt, præcipiendo, vel prohibendo, quamuis Ecclesiæ fauorem, aut patrocinium continere videantur; sicut expresse habetur *in cap. 1. dist. 96. & cap. Eccles. de constit.* & ratio est, quia eiusmodi legibus prætenditur directa Principum laicorum Iurisdictio super Ecclesiasticos (siquidem leges ferre actus Iurisdictionis est) sed talis potestatis vsurpatio repugnat immunitati Ecclesiasticæ; quapropter per similes leges maius Ecclesiæ infertur præiudicium, quam commodum, vt rectè notauit Angelus *verb. lex. num. 5.* & Suarez *cit. cap. 34. num. 13. & cit. cap. 16. num. 7.* & clarè habetur *in cit. cap. Ecclesia.*

Ex his colligit Abb. *in dicto cap. Ecclesia, num. 10. & in cap. præsentia num. 28. de probat.* quod leges Imperatoriæ (quales extant *v. g. in tit. Cod. de sacros. Eccles. & in auth. eodem. tit.* nisi canonico Iure sint receptæ, & approbatæ) nullius roboris sint, tanquam latæ ab eo, qui potestatem non habet. 26

Colligit secundò, idem Abbas *in dicto cap. Ecclesia num. 25.* quod dicta doctrina locum habeat etiam in bonis Ecclesiasticorum vel patrimonialibus; Idque probatur ex eo, quia non potest lex ciuilis aliquid disponere de bonis Ecclesiasticorum, nisi obligando illos ad huiusmodi legis obseruationem: nam bona adhærent personæ; ideoque lex disponens circa bona obseruari necessariò debet à personis; at lex ciuilis non potest speciatim obligare personas Ecclesiasticorum, ergo nec de illorum bonis quidquam speciatim disponere: vel sic: lex non fertur sine Iurisdictione, sed nullus habet Iurisdictionem, seu potestatem disponendi de bonis alicuius, nisi etiam habeat super illam personam Iurisdictionem; quare, cum laicus superior non habeat Iurisdictionem in personas Ecclesiasticas, sequitur quod neque etiam possit habere Iurisdictionem disponendi de illorum bonis. 27

Limitatur tamen hæc doctrina; si bona seu Ecclesiæ, seu Ecclesiasticorum proprio mere 28

reali onere obstricta fuerint Principi seculari, priusquam transirent ad personam Ecclesiasticam, sicuti rectè dixit Abb. *in cit. cap. Ecclesia num.* 23. nam res transit cum onere suo,
29 *cap. ex litteris de pignor.* Item, si cum pacto, vel conditione Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ personæ illa concessa sint, vt secularium Iurisdictioni, vel exactioni alicui subiecta sint, *argum. cap. verum de condit. apposit.*

30 Limitatur secundò, si dispositio ciuilis de bonis, vel etiam personis Ecclesiasticis, non sit præceptiua, sed solùm permissiua, vel priuilegiatiua, vt si v. g. statuto caueatur, quod clerici Primogeniti ad feuda maioratus, &c. *sint admittendi*; quia tunc valebit statutum, teste eodem Abb. *vbi suprà num.* 26. cuius rei ratio illa est; quia dare Priuilegium non est signum superioritatis, cum etiam non subdito priuilegium dari possit.

31 Aduerte secundò, quod Ecclesiastici subduntur generatim legibus Principum secularium, in quorum Regnis, vel Prouinciis vitam degunt; quia licet summorum Pontificum supra citati canones solum dicant, quod Ecclesiastici legibus Romanorum Imperatorum subdantur, tamen eædem rationes cogunt, nos dicere, quod etiam aliorum Regnorum leges communes, & iustæ ab Ecclesiasticis obseruandæ sint. Quod consuetudo, scientibus, & approbantibus Ecclesiæ Prælatis, iamdiù introducta confirmare videtur.

Ratio quartæ, Ampliationis quoad secundam partem (quod scilicet Ecclesiastici secularium Principum legibus indirectè subdantur)
32 illa est; quia ratio naturalis dictat, quod Ecclesiastici leges seculares sequantur, ad hoc vt conformitatem, seu congruitatem seruent cum personis secelaribus eiusdem communitatis, veluti membra eiusdem corporis, vti suprà cum S. August. 3. *confess. cap.* 8. dicebam. Atque ita contra Sotum, Victoriam, Medinam, & alios, quos citat, & sequitur Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 8. *num.* 94. *&* 104. probabilius docent Vasquez. *in* 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 176. *cap.* 4. Iannerus *parte* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *quæst.* 3. *& par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 7. *quæst.* 8. 9. *&* 15. & Pesantius *tract. de immunit. Ecclesiast. disp.* 4.

Ratio quartæ] Ampliationis quoad tertiam partem (quòd scilicet Ecclesiastici secularium Principum legibus non directè subdantur) illa
33 est; quia nemo tenetur directè legibus illius, qui in ipsum potestatem, seu Iurisdictionem non habet; vti docet S. Thom. *in* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. & constat *ex l. fin. ff. de Iurisdictione omnium Iudicum*; At Principes seculares non
34 habent potestatem, seu Iurisdictionem in personas Ecclesiasticas, *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constitut. & cap. placuit 76. quæst. 7. & cap. seculares de foro competenti*; Ergo &c.

35 Quare probabilius dicitur; quòd Ecclesiastici ciuilibus Principum secularium legibus non obligentur directè, idest, præcise ex vi ipsarum legum, vel potestatis legislatricis ciuilis (cum ab illa omni Iure exempti sint, iuxta *Lateranense Concilium sub Leone X. sess.* 9. *in Bulla* quæ incipit, *supernæ dispositionis*; vbi sic dicitur *cum à Iure tam Diuino, quàm humano laicis nulla potestas super Ecclesiasticis personis attributa sit*; Et iuxta Innoc. 3. *in cit. cap. Ecclesia de constitut.* vbi habetur quod laicis super Ecclesiasticis personis, & Ecclesiis nulla sit attributa facultas imperandi, sed quod obligentur solùm indirectè; quia scilicet naturalis æquitas, vti supra dicebam, id postulare videtur: nam alioquin communis pax inter ciues difficile haberi posset: quæ ratio mouit summos Pontifices, aliosque Ecclesiæ Prælatos, vt huiusmodi iustas Principum leges approbarent, & Ecclesiasticis omnibus obseruandas præciperent, imo etiam vellent secundùm eas in foro Ecclesiastico iudicari, vbi Canones deficerent, sicuti constat *ex cap. innotuit de arbitris, & cap.* 36
1. *de noui operis nunciatione, ibi sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ità & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuuantur.* Vbi id etiam adnotat Glosa *in verbo adiuuantur.*

Atque ita contra Sotum, Victoriam, Medinam, & Salas *loc. supra cit.* docent, præter Vasquez, Azorium, Iannerum, & Pesantium vbi supra, Suarius *lib.* 3. *de legib. cap.* 34. *num.* 12. *& lib.* 4. *defens. fidei, cap.* 16. *num.* 14. Bellarm. *in Apolog. contra Regem Angliæ*, Vigianus *in tract. de Immunit. Eccles. disp.* 2. *concl.* 5. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 31. Portell. *verb. lex.* Filiucius *tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 4. *num.* 94. Faustus *in specul. Confess. disp.* 6. *quæst.* 44. & Barbos. *in collect. lib.* 1. *decret. tit.* 2. *cap. Ecclesia S. Mariæ de constitut. num.* 4.

Aduerte tamen, quod etiam in opinione Doctorum affirmantium, quòd Ecclesiastici legibus Principum secularium directè subdantur secundùm vim directiuam, non sequitur, etiam per ipsos, quod iisdem legibus Principum secularium Ecclesiastici subdantur secundùm vim coactiuam, & punitiuam, idest, quod possit potestas laica propter transgressionem legum Ciuilium Ecclesiasticas personas punire, sed, etiam in opinione ipsorum, dicendum est, quod, querela delata ad proprium Ecclesiasticum Iudicem, ab isto Ecclesiasticæ personæ contra ciuilem legem delinquentes pœna condigna affici debent, siue eadem, quæ ciuili lege in laicos constituta est, siue potius (vt mox infrà dicam) alia arbitraria mitiore, sicuti rectè docent Couarr. *in pract. quæstion. cap.* 33. Rodrig. *tom.* 1. *regul.* 99. *quæst.* 66. *art.* 2. *reg.* 8. *&* 9. Vasq. *cit disp.* 176. *c.* 4. Suar. *cit. cap.* 34. *num.* 18. *& cit. cap.* 16. *num.* 20. & Salas *vbi suprà num.* 104. *in fin.* 37

Aduerte secundò, quod Iudex Ecclesiasticus, vti mox suprà dicebam, non debet (licet possit) Clericis leges ciuiles violantibus eamdem infligere pœnam, quæ laicis statuta est; vt præcipuè apud Vasq. *vbi supra*, & apud Salas *loc. cit. sect.* 10. *num.* 112. legere est; ratio, quia decet, vt cum Ecclesiasticis mitius agatur, ob conseruationem status ipsorum, atque ita in vsu seruari videmus, etiam in pœnis statutis pro iuris naturalis violatione. 38

Aduerte tertiò, quod leges ciuiles, quæ infirmant contractum, testamentum, &c. Item, quæ reddunt personas inhabiles ad contrahendum, testandum, &c. in pœnam commissi cri- 39

minis non comprehendunt Ecclesiasticos, sicut ex communi notauit Nauarr. *consil. 43. de const. num. 5. edit. 2.* & Suarez *cit. cap. 16. num. 21.* & ratio est manifesta, quia talis lex est pœnalis, & vim coactiuam continet, quæ, vti dicebam, & iterum mox infrà dicam, ad personas Ecclesiasticas se extendere non potest; Alia verò ratio est, si bona fuerint commissa, seu realiter aliquo modo obligata fisco ob crimen, antequam illorum Dominus persona Ecclesiastica fieret, sicuti infrà dicam, quia res transire debet cum onere suo.

40 Cœterum leges infirmantes contractum, testamentum, & similia quæ pœnales non sunt, sed certam formam, seu solemnitatem contrahendi, testandi, &c. præscribunt, vt aliter actus irritus sit, comprehendunt etiam Ecclesiasticos ex generalis Iuris canonici consensu, & approbatione; Nisi in illo speciatim aliquid contrarium esse, reperiatur, sicuti rectè notauit Suarez *cit. cap. 16. num. 14.*

Ratio quartæ, Ampliationis quoad quartam partem (quod scilicet Ecclesiastici legibus Principum secularium quoad vim coactiuam, & punitiuam non subdantur quoad personas)

41 illa est; quia laica potestas, vt patet ex dictis, non habet Iurisdictionem vllam in Ecclesiasticos, ergo multo minus coactiuam, & punitiuam; cum hæc quam maximè pugnet cum statu Ecclesiasticorum.

42 Confirmatur, quia valde indecens est, vt statu inferior iudicet, & puniat superiorem; at Sacerdotes, alijque Ecclesiastici sunt statu digniore, & altiore, quam laici, *cap. duo sunt dist. 6.* Ergo indecens est, atque in contumeliam Ordinis Clericalis cedit, si Ecclesiastici à laicis iudicentur, condemnentur, vel puniantur &c. Quam rationem affert Leo I. *epist. 96. ad Episcop. & Presbyt. Thraciæ*, & Gregor. VII. *lib. 7. & 8. epist. 21.* Relatus *in cap. 9. dist. 96.* & Concilium Matisconense 2. *cap. 9.*

43 Confirmatur secundò, quia quod Ecclesiastici quoad personas, plenissimum fori priuilegium habeant, vt coram Iudice seculari conueniri, iudicari, & puniri nullo modo possint, clarè constat ex multis decretis Conciliorum, & Pontificum, quæ congerit Gratianus *causa 11. quæst. 1.* Item clarè constat ex concilio Matisconense 2. *cap. 10. & ex lib. 2. Decretal. tit. de Iudiciis, cap. at si Clerici, cap. Clerici, cap. qualitèr & quando, cap. cum non ab homine, & ex tit. de foro competenti cap. 2. cap. si diligenti, & cap. significasti.*

44 Eamdem exemptionem decreuit Constantinus primus apud Ruffin. *lib. 2. Histor. cap. 21. ibi; Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, vos verò non potestis ab hominibus iudicari* (quod Constantini dictum refert etiam Gregor. Papa *in epist. ad Mauritium Imperatorem, & lib. 16. Cod. Theodosiani lib. 7. de Episc. & Cleric.*) Decre-

45 uit etiam Constantinus, vt Clerici minimè ad Curias seculares reuocentur, sed immunitate plenissima potiantur, *lib. 12. & seq. eodem tit.* Eamque Immunitatem Clericorum à Iuliano Apostata posteà impiè violatam integrè reuocarunt Theodosius, & Valentinianus Imperatores, sicuti videre est *in eodem tit. Cod. Theodosiani lib. 45. 46. & 47.* vbi manifestò indicant immunitatem Ecclesiasticorum adeo omni Iure Diuino & humano firmatam esse, vt sine tyrannide, & sacrilegio à Principe Laicò violari non possit.

Et quamuis postea Iustinianus Imperator 46 Ecclesiasticam immunitatem non parùm minuere inceperit, *Nouell. 83. collat. 6. tit. 12.* vbi decernit, quòd Clerici, saltem in criminibus, vt furto, homicidio, &c. coram Iudice seculari cōueniri possint, qui, si Rei esse apparuerint, ab Episcopo spolientur dignitate Sacerdotali, sicque Laico Iudici subdantur; Quod propter temporum illorum iniuriam postea etiam Matisconense concilium 1. *can. 7.* permisit, nihilominùs & hæ, & multæ aliæ leges, quas Iustinianus Imperator limites suæ potestatis excedens de causis & personis Ecclesiasticis condidit (vt videre est, præsertim *in Cod. de Episc. & Cleric.*) nullius roboris, & momenti sunt; Ipsaque constitutio illa vt in crimine, si ciuiliter agatur, Clerici ad secularem Iudicem trahantur, correcta fuit ab Imperatore Frederico II. *in authentica, ibi: statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad Iudicium seculare præsumat contra constitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones, quòd si Actor fecerit, Iure suo cadat, iudicatum non teneat, & Iudex ex tunc potestate iudicandi priuetur*: consentit *cap. at si Clerici, & cap. cum non ab homine de Iudic.*

Nonnulli tamen Doctores excipiunt casum 47 necessitatis: quod enim, inquiunt ipsi per leges non est licitum, necessitas quandoque licitum facit, *cap. 4. extra de regul. Iuris*; at hic exactè considerandum est quòd necessitas publici, vel priuati incommodi auertendi non tribuat Magistratui Laico Iurisdictionem in Ecclesiasticas personas, sed solùm tribuat Ius defensionis, quam naturalis ratio cuilibet in quemlibet permittit. Quapropter, vt id locum habeat, opus est, vt aliqua in aliquem priùs Ecclesiasticæ personæ antecesserit violentia, vel saltem insit periculum proximum violentiæ quam necesse sit Laicis per se ipsos, vel per suos Magistratus repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ; Qua de re vide quæ dicebam, *lib. de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiast. cap. 1. & 9.*

Ratio 4. Ampliationis quoad quintam partem (quod scilicet secularium Principum legibus quoad vim coactiuam, & punitiuam Ecclesiastici non subdantur, neque etiam quoad bona, quæ possident) illa est; quia si bona 48 non habent per se, propriam sibi, realem obligationem, necessariò sequuntur statum, & conditionem personæ, ita vt si eximitur persona, eximantur & bona personæ. Quandoquidem fieri non potest, vt Iudex de bonis Proces- 49 sum Iudiciis, & sententiam formet, nisi personam vocando, examinando, eidem iubendo, vel prohibendo, &c. quæ sine iurisdictione in personam fieri non possunt; Quare certum est, inquit Abb. in loc. infra citando, quòd, si persona est exempta, etiam & res personæ sit exempta; Atque ita etiam habetur *in cap. nullus Clericus, cap. nullus Episcopus, cap. placuit primò, & secundò, caus. 11. quæst. 1. cap. 2. cap. at si Clerici de Iudiciis, cap. si diligenti de for. comp.*

cap. seculares eodem tit. in 6. & in authent. statuimus Cod. de Episcop. & Cleric. vnde, hanc esse communem sententiam Doctorum, testatur Abb. *in cap. qualiter de Iudic. num.* 8. Mynsingerius *cent.* 1. *obseruat.* 22. *num.* 2. Mart. *part.* 4. *casu* 125. & alij passim.

50 Non obstat, quod nonnulli Iuristæ (vt videre est apud Fabrum §. *vlt. num.* 8. *de satisdatione*, Mynsingerius *cit. obseruat.* 22. *num.* 2. *& centur.* 4. *obseruat.* 95. & Gaill. *lib.* 1. *obseruat.* 37.) contrarium sentiant, nempè quod Ecclesiastici in causis realibus coram iudice seculari conueniri possint, ex eo quod, vt inquiunt ipsi, quisque sortitur forum in loco, vbi res sita est, vel vbi celebratus est contractus, *l. vlt. Cod. vbi in rem actio, & Cod. vlt. de for. compet.*

Respondetur enim, quod id vniuersim verum non sit, & quod Regula illa varias limitationes habeat, quarum illa certissima est; nisi persona sit priuilegiata, & exempta à foro seculari, sicuti de facto sunt personæ Ecclesiasticæ, vti suprà dicebam: nam in tali casu seruandum est, quod *in eadem l. vltima* dicitur, nempè quod *Actor forum Rei sequitur*, siue in rem, siue in personam sit actio.

SECTIO XXXI.

An possit Princeps aliquando sumere bona Vassallorum.

SVMMARIVM.

1. *Princeps potest, si sic exigat bonum commune, cui ille hic & nunc, cùm vrgeat necessitas, aliter prouidere non potest, sumere bona subditorum, quibus postea de proprio si habuerit, vel nisi habuerit, de communi, grauando proportionaliter Vassallos omnes, satisfaciat.*
2. *Vtilitas publica præfertur priuatæ, quæ includitur in illa, & in casibus necessitatis attendi debet bonum commune, & non priuatum.*

1 Respondetur ex dictis *sect.* 1. *&* 2. quod potest Princeps (si sic exigit bonum commune, cui ille hic & nunc, cum vrgeat necessitas, aliter prouidere non potest) sumere bona subditorum, quibus postea de proprio (si habebit) vel (si non habebit) de communi, grauando proportio-
2 naliter Vassallos omnes, satisfaciat. Ratio est eadem (quam in principio *dub.* 4. dicebam) quia scilicet vtilitas publica præfertur priuatæ, quæ includitur in illa; & in casibus necessitatis attendi debet bonum commune, & non priuatum, cum sic expediat Reipublicæ, & corpori totius communitatis. Vnde & introducta fuit præscriptio, & vsucapio rerum.

Atque sic, quod scilicet licitè possit Princeps facere, quod iam dicebam, habetur *in ff. de nata restit. l. quaris de euect. l. lucius de legat.* 2. *l. qui solidum* §. 10. *de rei vendit. l. Item si verberatum & l. fin. Cod. si contra Ius, vel vtilit. public. & in cap. quæ in Ecclesiarum de constitut.* vbi Innoc. & alij, tam Canonistæ, quàm Iuristæ idemque docent Iacob de Arena, Cynus, Andr. de Barül. *in l. ex omnibus Cod. de Decur. lib.* 10. Alex. *conf.* 190. *volum.* 2. Decius *in conf.* 520. *& in cap. quæ in Ecclesiarum num.*20. *de constitut* Isern. cum latè cumulatis, Restaur. Castäld. *in tract. de Imper. quæst.* 98. *volum.* 16. Bellug. *in spec. Princip. rubr.* 46. *num.* 2. *&* 4. Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 1. *num.* 26. *& tit.* 4. *num.* 36. & communiter Canonistæ *in cit. cap. quæ in Ecclesiarum de constit.* & Iuristæ *in l. præscriptione Cod. si contra Ius, vel vtilit. public. & in l. fin. & l. quoties de precibus Imperat. offeren.* vide etiam, quæ dicebam *dubit.* 3. & vt *dubit.* 4. *sect.* 1. 2. *&* 3.

SECTIO XXXII.

An possit Princeps priuare Infideles sibi subditos dominio, quod habet in seruos, si hi Christiani fiant?

SVMMARIVM.

1. *Princeps priuare potest infideles sibi subditos dominio, quod habet in seruos, si hi Christiani fiant.*
2. *Serui Iudæorum tam vernaculi, quam ad seruitutem empti liberi fiunt eo ipso quod fidem Christi suscipiunt; si autem empti sint ad mercationem tenetur Dominus eos intra sex menses venales exponere, vt emi possint à Christianis, & sic fidem suscipere.*
3. *Serui infidelium, etiam Christianis Principibus non subiectorum, si periculum peruersionis patiantur, possunt à Dominio suorum Dominorum potestate Ecclesiasticâ absolui.*

Respondetur ex dictis eadem *sect.* 1. *&* 2. quod possit Princeps id efficere in casu dicto; Atque ità docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. & habetur ex praxi Ecclesiæ, quæ statuit *in cap. fraternitatem; dist.* 54. *& in cap.* 1. *&* 2. *de Iudæis*, vt serui Iudæorum, tam vernaculi, quam ad seruitutem empti, liberi fiant, eo ipso quod fidem Christi suscipiunt, sin autem empti sint ad mercationem, teneatur Dominus eos intra sex menses, venales exponere, vt emi possint à Christianis, & sic fidem suscipere. Ratio est; quia, sicuti dicebam, Princeps licitè potest subditos suos priuare Dominio rerum, quas habent, si id bonum commune, præsertim Religionis, postulauerit.

3 Adde, quod si serui Infidelium, etiam Christianis Principibus non subiectorum, periculum peruersionis patiantur, possunt à Domino suorum Dominorum potestate Ecclesiastica absolui: nam tunc indirectè tantùm Iurisdictio exercetur in infideles, quatenus scilicet id necessarium est ad tuendum finem Ecclesiasticæ potestatis à Deo concessæ; Quod summus Pontifex quàm maximè præstare potest, vt infrà *sect. vlt.* dicetur.

SECTIO XXXIII.

An possit Princeps aliquo modo cogere Infideles sibi subditos ad fidem amplectendam; & quid dicendum de Hæreticis, & Apostatis?

SVMMARIVM.

1. *Princeps, etiam summus Pontifex, licet non possit Infideles, ac Iudæos, etiam sibi subditos ad Christi fidem amplectendam directe cogere instituto v.g. contra eos bello, vel proposita eis pœna mortis &c.*
2. *Potest tamen eos cogere indirecte, idque duobus modis: Primò, negando illis ius habitationis in Regione sua nisi Euangelij prædicationem audire velint: secundo imponendo illis maiora, quam aliis subditis tributa, modo tamen sint intra limites iustitiæ.*
3. *Summus Pontifex è contra potest cogere directè Hæreticos, & Apostatas, vtpote Ecclesiæ, atque adeo sibi, ratione Baptismi suscepti, subiectos.*


1 Respondetur quod Princeps, etiam summus Pontifex (quamuis non possit Infideles, ac Iudæos, etiam sibi subditos, ad Christi fidem amplectendam directè cogere, instituto v. g. contra eos bello, vel proposita eis pœna mortis, carceris, bonorum spoliationis, &c. sicuti habetur *in cap. sicut de Iudæis*, & docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. alijque communiter; & ratio est, quia in illos quoad hoc supremus Christianus Princeps iurisdictionem, & potestatem directè non habet; tum quia Ecclesiæ praxis ostendit, voluntatem Dei non esse, vt homines ad fidem Christi audiendam, vel amplectendam directè compellantur, cum ad diuinum honorem, & suauem Euangelij propagationem, Ecclesiæque ædificationem valdè intersit, vt Christi fides libere suscipiatur, eoque constantius retineatur) possit
2 tamen eos cogere indirectè. Idque duobus modis; Primò, negando illis ius habitandi in Regione sua, nisi Euangelij prædicationem audire velint, cum habitandi ius illis non debeatur, sed absolutè negari possit. Secundò, imponendo illis maiora, quàm aliis subditis, tributa (modo tamen sint intra limites iustitiæ) donec Christiani fiant.

Atque ita sumitur *ex cap. iam verò* 23. *quæst.* 6. & docet S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 2. §. 1. & suadet ratio; quia si non directè, saltem indirectè, ratione boni communis spiritualis, supremus Princeps Christianus in illos, vtpote sibi subditos, potestatem, & iurisdictionem habet, vti supra dicebam.

Ex his sequitur, quod è contra cogere directè possit Hæreticos, & Apostatas, saltem summus Pontifex vtpote Ecclesiæ atque adeo sibi, ratione Baptismi suscepti, subiectos. 3

Confirmatur, quia summus Pontifex (licet non possit infideles illos, qui fidem Christianam numquam professi sunt, spiritualibus pœnis ad fidem compellere, sicuti ex Apost. 1. *ad Corinth.* 3. colligitur; & ratio est, quia Ecclesiasticæ iurisdictioni numquam se subdiderunt) potest tamen spiritualibus pœnis ad illam cogere Hæreticos, & Apostatas; quia, cum hi Christi fidem in baptismo professi, & per hanc, veluti ianuam, in Ecclesiam ingressi, eiusdem Iurisdictioni se subdiderint, sequitur, quod ab ea postea impiè recedentes, ad obsequium fidei, & obedientiam Ecclesiæ meritò compellantur.

Atque ità habetur *in cap. de Iudæis dist.* 45. *& cap. excommunicamus de Hæreticis*, adeò vt qui relapsi, & incorrigibiles reperiuntur, seculari Magistratui traditi, pœna mortis afficiantur iuxta *cap. ad abolendam* §. *illos*, *& cit. cap. excommunicamus* §. 1. *de Hæretic.* & docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. *& quæst.* 11. *art.* 3. & agnouit S. August. *lib.* 2. *retract. cap.* 5. *tract.* 11. *in Ioan. cap.* 3. *lib.* 1. *contra Epist. Parmen. cap.* 7. *epist.* 48. *ad Vincentium & epist.* 50. *ad Bonifacium*, etsi aliquando aliter senserit.



SECTIO XXXIV.

An possit Princeps aliquo modo persequi bello Infideles exteros propter Idolatriam, & similia alia eorum delicta seu peccata?

SVMMARIVM.

1. *Princeps atque etiam summus Pontifex licet non possit inuadere, vel bello prosequi Paganos exteros suæ scilicet Iurisdictioni non subiectos, propter infidelitatem, per Idolatriam, & similia alia illorum peccata si Christianis, aut aliis innocentibus illa iniuriosa non sint, potest tamen id in eos efficere, si eorumdem peccata contra Christianos, aut alios innocentes iniuriam aliquam quomodocunque contineant.*

2. *Infideles tunc essent in causa: Primò, si impiis suis ritibus innocentes damno afficiant rapiendo vel immolando infantes, si moniti à Christianis desistere nolint.*

3. *Item secundò si Christianam fidem contumeliis, & blasphemiis prosequantur, aut Christianos peruertere conentur.*

4. *Item tertiò si Christianis Euangelij prædicatoribus aditum in Regiones suas dare, vel suis subditis fidem Prædicatores audiendi, & amplectendi, liberam potestatem concedere recusent.*

5. *Ecclesia potest concedere alicui Principi Christiano curam, & potestatem introducendi, & seruandi idoneos Prædicatores in Prouinciis infidelium, & vlciscendi iniurias huiusmodi Prædicatoribus, ab infidelibus illatas, imo etiam titulo belli concedere potestatem occupandi infidelium Prouincias, in quibus non permittitur libera prædicatio Euangelij.*

6. *Infideles subiecti Christianæ Jurisdictioni compelli possunt vt naturæ legem obseruent, ideoque vt abstineant à falsorum deorum cultu, & omni impietate sacrilega.*

7. *Item possunt à Christiano Principe pagani, & Iudæi propter dicta, & similia alia peccata contra legem Naturæ, & ne Christiani damna ab illis patiantur, terris suis expelli.*

8. *Iudeorum causæ, seu controuersiæ ciuiles decidi debent apud Iudicem Christianum secundum legem Mosaycam, & si controuersia sit cum Christiano dirimi debet secundum ius Christianorum.*

1 REspondetur quod, (etsi non possit Princeps, neque etiam summus Pontifex inuadere, vel bello persequi Paganos exteros, suæ scilicet Iurisdictioni non subiectos, propter infidelitatem, idolatriam, & similia alia illorum peccata, si Christianis aut aliis innocentibus illa iniuriosa non sint, vt ex communiori docet Victoria *relect. de Indis insulanis part. 1. num. 39. & 4.* Couarr. *reg. peccatum part. 2. §. 20. num. 4.* Valent. *tom. 3. disput. 1. quæst. 10. punct. 7.* Becan. *cap. 13. quæst. 6.* Molin. *tom. 1. tract. 2. disput. 106.* contra Castrum *de iusta Hæretic. punit. lib. 1. cap. 14.* & S. Anton. *3. part. tit. 22. cap. 5. §. 8.* & suadet ratio, quia ad omnem punitionem, vel vindictam iustam requiritur, vel iurisdictio, vel illata iniuria, ità vt vbi vtraque deest, iusta punitio, seu vindicta inferri non possit.

Etsi, inquam, non possit Princeps, neque etiam summus Pontifex inuadere, vel bello persequi Paganos exteros, seu sibi non subiectos, si illorum peccata Christianis, aut aliis innocentibus iniuriosa, non sint, possit tamen id in eos efficere, si eorumdem peccata contra Christianos, aut alios innocentes iniuriam aliquam quomodocumque contineant, vtsi
2 v. g. impiis suis ritibus innocentes damno afficiant, rapiendo, vel immolando infantes, atque moniti à Christianis desistere nolint; qua
3 de re Molin. *cit. disput. 106.* Secundò, si Christianam fidem contumeliis, & blasphemiis persequantur, aut Christianos peruertere conentur, vti colligitur *ex cap. in nonnullis de Judæis, & Sarracenis*; Tertiò, si Christianis Euangelij 4
Prædicatoribus (cum ex Dei voluntate, atque Imperio mittantur, vt in omnem terram exeat sonus Euangelicæ doctrinæ, secundùm Christi promissionem, Matth. 24. *num.* 14. *& cap.* 28. *num.* 19.) Aditum in Regiones suas dare, vel suis subditis fidem à Prædicatoribus audiendi, & amplectendi liberam potestatem concedere recusent.

Atque ità docet S. Thom. *quæst.* 10. *art.* 8. Victoria *relect. de Indis part.* 2. *num.* 15. & Decanus *cap.* 13. *quæst.* 4. *conclus.* 3. vbi rectè ait, 5
posse Ecclesiam concedere alicui Principi Christiano curam, & potestatem introducendi, & conseruandi idoneos Prædicatores in Prouinciis infidelium, & vlciscendi iniurias huiusmodi Prædicatoribus ab infidelibus illatas, imo etiam titulo Belli concedere potestatem occupandi infidelium Prouincias, in quibus non permittitur libera prædicatio Euangelij.

Loquutus sum autem de Infidelibus exter- 6
nis, & Christianæ iurisdictioni non subiectis: Nam qui subiecti sunt Christiano Magistratui, hi compelli possunt, vt naturæ legem obseruent, ideoque, vt abstineant à falsorum Deorum cultu, & omni impietate sacrilega, sicut constat *ex l. nemo cod. de Paganis*, & *Clement. vnica de Iudæis, & sarracenis*, & docet S. August. *Epist.* 48. *ad Vincentium*, S. Thom. *in* 2. 2. *cit. quæst.* 10. *art.* 11. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 106. *conclus.* 2. & Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 6. *ad quartum.*

Item possunt à Christiano Principe Pagani, 7
& Iudæi propter dicta, & similia alia peccata contra legem naturæ, & ne Christiani damna ab illis patiantur, terris suis expelli.

Item Iudæorum causæ, seu controuersiæ 8
ciuiles decidi debent apud Iudicem Christianum secundùm legem eorum Mosaycam, v. g. vt filius excludat filiam ab hæreditate Patris, vti colligitur *ex cap.* 27. *iuncta Glos. ordin.* sin verò casus lege Mosayca determinatus non est, vel si Iudæus litigat cum Christiano, tunc controuersia decidi debet secundùm ius Cæsarium, & commune Regni, *l. Iudæis cod. de Iudæis.*

SECTIO XXXV.

An possit Princeps aliquando cudere pecuniam de materia vili?

SVMMARIVM.

1. *Princeps potest propter imminentes necessitates bellorum; si aliter non possit necessitati consulere, cudere pecuniam de materia vili, vt de ferro, corio &c. tenetur tamen necessitate transacta compensare damnum, quod ex ea causa vassallis obuenit.*

2. *Princeps*

2. *Princeps ob similem causam boni communis potest augere valorem pecuniæ.*
3. *Pretia rerum crescunt, & decrescunt sicut crescit, & decrescit æstimatio pecuniæ.*
4. *Restitutio pecuniæ creditæ si facienda sit, debet solui valor pecuniæ, prout valor erat tempore contractus, non autem prout erat tempore restitutionis contra nonnullos.*
5. *Pecunia non spectatur ordinariè nisi appretiatiuè, non autem materialiter ad differentiam aliarum rerum.*
6. *In mutuo semper potest exigi eadem mensura, seu idem pondus rerum, in mutuo enim spectatur proportio, seu æqualitas corporum quæ permutantur, non autem æqualitas pretiorum.*
7. *Mutuator, si est dubium, vtrum res tempore restitutionis valuerit pluris, vel minoris, potest exigere parem mensuram rei æquè in se bonæ, eamque suo tempore accipere, etiamsi interim pretium eius valde creuerit.*
8. *Mutuator, si certum, vel probabilius sit, rem tempore traditionis valituram pluris, quam modo valeat, non potest ad parem mensuram reddendam mutuatarium obligare, sed tantum ad eam, quæ tunc temporis adæquabit pretium rei ab ipso mutuante traditæ.*
9. *Excipe, nisi mutuator rem suam vsque ad illud tempus seruare constituisset: aut saltem de hac re adhuc anceps esset: tunc enim ratione lucri cessantis, posset is quid amplius exigere, quam res ipsius modo valet, detrahi tamen debet æstimatio custodiæ faciendæ vsque ad illud tempus, & periculi corruptionis, tantoque minus exigendum.*
10. *Mutuator si exigat etiam in hoc casu parem mensuram, modo non obliget mutuatarium vt differat solutionem vsque ad illud tempus secundum Molinam non facit contra iustitiam, adhuc tamen probabilius est quod superius dictum fuit in casu certitudinis augendi pretij.*
11. *Mutuator si certum est, vel saltem probabilius rem valituram minoris, potest maiorem quam dederit mensuram exigere provt id magis, vel minus certum fuerit, vt fiat æqualitas; idque, siue rem illam esset venditurus, aut quomodocunque consumpturus, siue seruaturus in futurum.*
12. *Mutuator potest in re sua spectare non solum naturalem bonitatem, sed etiam pretium, quanti res illa valet, & sic exigere vt restituatur sibi quid æquale, non solum in bonitate, sed etiam in pretio.*
13. *Mutuans decem modios dum valent viginti quinque aureis, potest pacisci vt restituat sibi mutuatarius duodecim modios, & dimidium, si tempore restitutionis singuli modij non valebunt, nisi duobus aureis; quia illi duodecim modij cum dimidio æquales sunt æstimatione decem modiis.*
14. *Mutuare modo recensito est formalis contractus mutui, non emptionis, & venditionis; licet impliciè venditionem, & emptionem contineat.*
15. *Mutuator, potest æstimare rem mutuatam secundum præsentem valorem hoc ipso quod mutauit propositum non conseruandi illam in tempus, quo valeret minoris; sed alienandi per mutuum.*
16. *Mutuator si in contractu non fuit conuentum de restituenda maiori summa; sed de exæquando pretio; sed tantum de restituendo mutuo, non potest cum decreuerit pretium, maiorem mensuram exigere.*
17. *Mutuatarius, provt receptum est in mutuo, non censetur obligatus nisi ad reddendam rem similem in specie, & parem in bonitate, & mensura, nisi ratione mutationis pretij aliter conuentum fuerit, contra Nauarrum oppositum non improbabiliter docentem ex eo, quia alioquin non seruaretur æqualitas pretiorum.*
19. *Æqualitas pretiorum in mutuo nudo non spectatur, sed bonitatis naturalis, & mensuræ rei.*
20. *In pecunia non spectatur nisi pretium; vnde non debet restitui nisi pretium æquale, at in aliis rebus vt in frumento, oleo, & similibus primario spectatur ipsa materia.*


Espondetur ex dictis *sect.* 1. & 2. quod possit aliquando Princeps (si v. g. propter imminentes necessitates bellorum sic vrgeat necessitas, & ille bono publico aliter consulere non possit) cudere pecuniam de materia vili, vt de ferro, vel corio, &c. & præcipere, quod illa per Regnum, tanquam bona, expendatur, (quamuis necessitate transacta, teneatur Princeps compensare damnum; quod ex ea causa Vassallis obuenit) ratio huius Doctrinæ est eadem, quam *cit. sect.* 1. & 2. dicebam; Quia scilicet publica vtilitas præfertur priuatæ; & in casibus necessitatis attendi debet bonum commune, & non particulare; atque ita in terminis docent Andr. *verb. vectigalia, num.* 23. *quæ sint regalia*, & Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 4. *num.* 36. 1

Item ob similem causam boni Communis potest Princeps augere valorem pecuniæ, atque ita in terminis docet Io. Andr. Innoc. & Isern. *in cap. quanto, de Iur. Iuran.* & Regens de Ponte *loc. supra cit.* vbi etiam testatur, id multoties in praxi positum esse. 2

Aduerte tamen, quod in tali casu, sicut crescit, & decrescit æstimatio pecuniæ, ita etiam crescunt, & decrescunt pretia rerum; atque ita aduertunt Isern. & Regens de Ponte vbi supra. 3

Aduerte secundò quod, si facienda sit restitutio pecuniæ creditæ, debet solui valor pecuniæ, provt valor erat tempore restitutionis, atque ita contra nonnullos aduertunt Isern. & Regens de Ponte *in locis supra citatis*, & ex Theologis Petrus Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 2. & nos mox infra dicemus; Et ratio pro nunc breuiter est, quia in pecunia, ad differentiam aliarum rerum, ordinariè non spectatur, nisi pretium æquale; Qua de re vide, quæ diffuse tradit Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 5. & si nobiscum ipse non sentiat, saltem in totum. 4 5

Petes, an semper licitum sit in mutuo pacisci, vt res restituatur in eadem mensura, etiam si pretium illius tempore restitutionis creuerit, v. g. si mutues mihi decem modios tritici valentes nunc viginti aureis, an possit exigere à

me totidem modios, etiam si pretium crescat ad vigintiquinque aureos.

6 Respondet Sotus *lib. 6. de iustitia, quæst.* 1. *art.* 2. affirmatiuè, nempe quod in mutuo semper possit exigi eadem mensura, seu idem pondus rerum; & ratio ipsius est, quia in mutuo spectatur proportio, seu æqualitas corporum, quæ permutantur, non autem æqualitas pretiorum: nam si pretiorum æqualitas spectaretur, esset potius emptio, & venditio, quàm mutuum.

7 At ego respondeo cum distinctione, quod si est dubium, vtrum res tempore restitutionis valuerit pluris, vel minoris possit mutuator exigere parem mensuram rei æquè in se bonæ, eamque suo tempore accipere, etiamsi interim pretium eius valdè creuerit. Ratio est, quia tunc par est vtriusque conditio: sicut enim mutuator potest lucrari, ita potest & amittere. Vnde si lucretur ille, non prouenit id ex obligatione mutui (quasi lucrum illud supra sortem exigatur ex pacto) sed per accidens & casu fortuito, eò quòd res tempore redditionis facta sit maioris æstimationis, & sic admitto sententiam Soti.

8 Si autem certum est, vel probabilius, rem tempore traditionis valituram pluris quàm modò valeat, non potest mutuator ad parem mensuram reddendam mutuatarium obligare, sed tantùm ad eam, quæ tunc temporis adæquabit pretium rei ab ipso mutuante traditæ: vt si decem modij, qui tunc valent viginti aureis, restituendi sint eo tempore, quo valebunt viginti quinque, non potest mutuator exigere, vt restituantur decem. Ratio est, quia non potest quis pacisci, vt aliquid reddatur vltra id, quod æquiualet rei suæ; at decem modij tempore redditionis pluris valebunt, quàm valet tes ipsius,
9 quam modò tradit; Ergo, &c. Excipe, nisi rem suam mutuator vsque ad illud tempus constituisset seruare; aut saltem de hac re adhuc anceps esset: tunc enim ratione lucri cessantis posset is quid ampliùs exigere, quàm res ipsius modò valet; hîc tamen detrahenda esset æstimatio custodiæ faciendæ vsque ad illud tempus, & æstimatio periculi corruptionis, tantoque minùs exigendum.

10 Molina tamen *de iustit. & iur. disput.* 311. sequens Sotum *in loc. suprà cit.* putat, non esse contra iustitiam, si exigat mutuator etiam in hoc casu parem mensuram, modò non obliget mutuatarium, vt differat solutionem vsque ad illud tempus; & ratio esse potest quia tunc mutuatarius sibi imputare debet, quod expectauerit, donec pretium creuerit.

At adhuc probabilius est, quod suprà dicebam, in casu scilicet, quod erat certum, pretium fore augendum, & mutuans constituerat rem consumere, aut alienare ante illud tempus: nam præter rationem suprà adductam, non apparet, quo iure in tali casu possit mutuans æqualem mensuram petere: hoc enim esset clarè aliquid lucrari suprà æstimationem sortis, ex pacto mutui.

11 At si tandem certum est, vel saltem probabilius, rem valituram minoris, potest mutuator moiorem, quàm dederit, mensuram exigere (prout id magis, vel minus certum fuerit) vt fiat æqualitas; idque siuè rem illam esset venditurus; aut quomodocumque consumptnrus,
12 siue seruaturus in futurum. Ratio, quia qui dat mutuum, potest in re sua spectare non solum naturalem bonitatem, sed etiam pretium, quanti res illa valet, & sic exigere. vt restituatur sibi quid æquale, non solum in bonitate sed etiam in pretio, quanti res ipsius valet.

Confirmatur, quia in omnibus aliis contractibus potest exigi æquale in pretio; ergo etiam in mutuo, cùm vtrobique militet eadem ratio; Quare si v. g. tibi mutuo decem modios, dum valent viginti quinque aureis, possum pacisci, vt restituas mihi duodecim modios, & dimidium, si tempore restitutionis singuli modij non valebunt, nisi duobus aureis, quia illi duodecim modij cum dimidio æquales sunt æstimatione meis decem modiis. 13

Dixi, si tempore restitutionis non valebunt nisi duobus aureis, quia non possum te obligare vt ad illud tempus differas restitutionem, etsi possum te obligare, vt illam non differas vltra certum terminum, & intra illnm soluas in ea mensura, quæ adæquet pretium mensuræ, quam nunc tibi trado.

Hinc tamen non inferas, quod non esset contractus mutui, sed emptionis. & venditionis, nam respõdetur, quòd si esset contractus emptionis, & venditionis, non possem exigere, vt reddas mihi rem eiusdem speciei: si enim pretium frumenti mei est viginti quinque aureorum, debeo illo in venditione esse contentus, nec possum vlteriùs obligare emptorem, vt vendat mihi vicissim frumentum vsque ad illam summam pretio, tempore traditionis, currente: hæc enim obligatio exigeretur supra iustum pretium; est igitur formalis contractus mutui, etsi implicitè venditionem & emptionem contineat. 14

Dices, si rem illam eras seruaturus in illud vsque tempus, quo minoris erat valitura, non censetur tibi pluris nunc valere, quàm tunc valebit; Ergo non potes nunc pro ea plus exigere, quàm tunc valebit. Quidam concedunt totum. 15

At ego nego consequentiam, quia etsi toto illo tempore, quo manebas in proposito seruandi illam, non pluris valebat, tamen hoc ipso quod mutasti propositum statuendo illam nunc alienare per mutuum potes illam æstimare secundùm præsentem valorem, quem modò habet, ac proinde huic æquale quid exigere.


Aduerte tamen hic, quòd si in contractu non fuit conuentum de restituenda maiore mensura. vel de exæquando pretio, sed tantùm de restituendo mutuo, non potest mutuator postea cum pretium decreuerit, maiorem mensuram, exigere. Ratio est, quia in mutuo ita vsu receptum est, vt mutuatarius non censeatur obligatus, nisi ad reddendam rem similem in specie, & parem in bonitate, & mensura; nisi ratione mutationis pretij, aliter conuentum fuerit: nam hæc est conditio puri mutui, cui ex natura sua nulla implicitè miscetur emptio, & venditio, Sotus *vbi suprà*, alijque multi Doctores. 16 17

Quamuis Pet. Nauarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 257. oppositum non improbabiliter doceat, ex eo, quia alioquin non seruaretur æqualitas pretiorum. quæ in cœteris omnibus permutationibus seruari consueuit: tum quia, si v. g. mutuo tibi centum aureos, dum singuli valent duodecim regalibus, & postea decrescit pretium eorum vsque ad vndecim, non satisfacis, si mihi resti- 18

tuas idem pondus auri; sed maius dare debes; ergo ita similiter dicendum est, vbi materia distinguitur à pretio.

Respon. tamen ad primum Nauarræ argumentum, quod in mutuo nudo non spectetur æqualitas pretiorum, sed bonitatis naturalis. & mensuræ rei; quamuis, si mutuans velit, possit habere tunc rationem pretij, & sic spectare æqualitatem pretiorũ: Quod si non fecit, sibi imputare debet.

Ad secundum respondetur, quod alia est ratio pecuniæ, alia frumenti, olei, & similium rerum: In pecunia enim ferè semper non spectatur nisi pretium; vnde non debet restitui nisi pretium æquale: at in aliis rebus primariò spectatur ipsa materia: nemo enim petit mutuum frumentum, oleum, & similia propter pretium frumenti, olei, & similium, sed propter ipsum corpus, & substantia frumenti, olei, & similium; vnde videtur esse disparitas ad id, quod dicitur in argumento.



SECTIO XXXVI.

An possit Princeps operari, & iudicare aliquando contra Leges Ciuiles, & in eis dispensare, & quando?

SVMMARIVM.

1 *Princeps potest, si sic exigat aliquo modo bonum commune, operari, & iudicare aliquando contra leges ciuiles, & in illis dispensare, non solum si leges ciuiles respiciant tantum subditos, non tamen Principem; sed etiam si respiciant, & complectantur ipsum Principem, & spectent ad communem totius Reipublicæ gubernationem*

2. *Princeps non subditur legibus respicientibus tantum subditos ex aliqua rationabili causa.*

3. *Princeps ex plenitudine suæ potestatis si sciat innocentem probatum esse nocentem potest illum non condemnare iuxta leges ciuiles secluso tamen scandalo; imo etiam si esset nocens, dummodo sit Reipublicæ vtilis, vel necessarius.*

4. *Princeps potest conferre alicui priuilegium, ne bona illius præscribi possint, quo priuilegio stante non daretur alteri locus acquirendi ius in bona illius, & teneretur Iudex non iuxta leges, sed iuxta priuilegium à Principe concessum, aliàs peccaret mortaliter.*

5. *Princeps ab aliis inferioribus Iudicibus in hoc differt, quod hi sunt tantùm meri executores habentes authoritatem taxatam per leges: Princeps autem est Legislator, & Conditor, ac legitimus legis interpres.*

6. *Dispensare in lege tria requirit. Primò quod lex sit dispensabilis, qualis non est lex naturæ, & Diuina. 2. Authoritas in dispensante. 3. Causa iusta dispensandi.*

7. *Princeps quotiescumque potest in lege ciuili dispensare poterit etiam iuxta suam prudentiam, & non secundùm legem ciuilem iudicare.*

8. *Causa iusta ad dispensandum requisita debet esse bonum publicum.*

9. *Princeps, si quis miles strenuus, & Reipublicæ vtilis homicidium commiserit poterit cum illo dispensare in lege de occidendis homicidis, & imponere illi aliam pœnam, vel omninò condonare, bono publico ita exigente.*

10. *Saul meritò dispensauit cum Ionata milite strenuo, & populi saluti tunc maximè necessario.*

11. *Princeps, si homicida sit eius dilectus non tamen necessarius aut vtilis Reipublicæ, non potest cum illo dispensare, sed eum debet iudicare secundùm leges.*

12. *Princeps cum sit Custos boni publici, quotiescumque videt bono publico ita expedire, potest quin & debet, bona Ciuium in illud referre, sicque ob bonum publicum bona alicuius Ciuis alteri adiudicare.*

13. *Princeps nisi bonum commune id exigat (quod rarissimè euenit) peccat mortaliter, si in suis iudiciis, & sententiis leges ciuiles præsertim si illæ ius alteri conferant, non seruet.*

14. *Contra ius naturale videtur esse, vt cum quis legitimo contractu effectus est Dominus alicuius rei, vel habet ius legitimi in illa expolietur illa re, vel legitimo iure, quod acquisiuit in illam, cum talis expoliatio ipso inuito sit furtum formaliter.*

15. *Princeps quamuis supremus non potest in furto dispensare, vel ferre sententiam contra ius naturale, & sic non potest spoliare eum, qui iam rem aliquam possidet, vel ius in illam per legitimum contractum habet.*

16. *Lex præscriptionis, & aliæ similes leges non minus conferunt nunc hominibus dominium, & ius in bona temporalia, quam contulerit iis à principio ius Gentium, quo facta fuit prima diuisio rerum.*

17. *Princeps in casu recensito non solum peccat grauiter; sed etiam peccat grauius quam peccat homo priuatus, cum rem alterius subrepit.*

18. *Princeps in dicto casu non solum peccat grauiter, & grauius quam peccat homo priuatus cum rem alienam subripit, sed etiam tenetur ad restitutionem.*

19. *Circumstantia personæ publicæ in confessione non est explicanda probabilius, dummodo scandalum absit, quia talis circumstantia publici officij solum aggrauat peccatum intra eamdem speciem iniustitiæ, non autem mutat speciem.*

Espondetur ex dictis *eadem sect.* 1 &. 1
2. quod possit Princeps (si sic exigit aliquo modo bonum commune) operari, & iudicare aliquando contra leges ciuiles, & in illis dispensare non solùm si leges ciuiles respiciant tantùm Subditos, non tamen Principem, sed etiam si respiciant, & complectantur ipsum Principem, & spectent ad communem totius Reipublicæ gubernationem; Idque siue leges ciuiles Ius alteri non conferant (vt v.g. quod fur vapulet, &c.) siue etiam conferant, quales sunt leges præscriptionis, & leges quæ præcipiunt, parti læsæ aliquid à Læsore restitui; vel habentibus hæc, vel illa merita, hæc, vel illa beneficia conferri, &c.

Probatur prima pars, quia (si leges ciuiles 2
respiciunt solùm Subditos, & nullo pacto Principem ex aliqua rationabili causa) constat quòd eis Princeps non subdatur; v. g. si lex extet iubens quòd nullus induatur serico, &c.

Probatur secunda pars quòd (si scilicet leges 3
ciuiles, quæ Pricipem etiam complectuntur,

ſpectantque ad communem Reipublicæ totius gubernationem, nullum tamen alteri Ius conferunt) poſſit Princeps contra tales leges operari, & in illis diſpenſare; v.g. (ſi quis innocens probetur eſſe nocens) poſſit Princeps in tali caſu ex plenitudine ſuæ poteſtatis illum non condemnare iuxta leges ciuiles, ſecluſo tamen ſcandalo; Imo etiam, ſi eſſet nocens, dummodo ſit Reipublicæ vtilis, vel neceſſarius: Item poſſit
4 Pricceps conferre alicui priuilegium, ne bona illius præſcribi poſſint, quo paiuilegio extante non daretur alteri locus acquirendi Ius in bona illius, & teneretur inferior Iudex iudicare de bonis illius non iuxta leges ciuiles, ſed iuxta priuilegium à Principe illi conceſſum, adeò vt ſi illud non ſeruaret Iudex inferior, per vſurpationem Iudicij peccaret mortaliter, & ſententia ipſius eſſet inualida.

5 Probatur, inquam hæc ſecunda pars, quia in hoc differt Princeps ab aliis inferioribus Iudicibus, quòd hi ſunt tantùm meri executores, & Miniſtri legum, habentes ſolùm authoritatem ipſis taxatam per leges; Princeps autem eſt Legiſlator, & Conditor, ac legitimus Legis interpres (cum eius ſit interpretari, cuius eſt condere), reſidetque in ipſo ſuprema plenitudo poteſtatis ciuilis; vnde ſic formo pro hac ſecunda parte Argumentum: Diſpenſare in lege ciuili ex cauſa iuſta, idem eſt, quod interpretari legem, & declarare, non fuiſſe Legiſlatoris animum comprehendere talem caſum ex iuſta cauſa in illa lege; ſed ſupremi Principis eſt, interpretari legem; ergo & diſpenſare, ex iuſta cauſa, in lege. Minor per ſe patet; Maior probatur quia ideo ex communi conſenſu Doctorum requiritur ad diſpenſationem iuſta cauſa, quia diſpenſatio eſt quædam legis interpretatio qua exponitur, Legiſlatorem (cum de eius prudentia, & æquitate non dubitetur) non intendiſſe lege ſua comprehendere illum caſum, ad quem excipiendum iuſta cauſa ſe offert.

6 Confirmatur, quia per omnes ad diſpenſandum in lege tria ſufficiciunt: Primò, quòd lex ſit diſpenſabilis, ideſt, non ſit ex natura ſua immutabilis, qualis eſt lex naturalis, & Diuina: Secundò authoritas in diſpenſante: Tertiò cauſa iuſta diſpenſandi; ſed lex merè ciuilis, & humana ad differentiam legis naturalis, & diuinæ eſt diſpenſabilis, & mutabilis: In Principe eſt plenitudo authoritatis ciuilis: Et cauſa diſpenſandi ſupponitur iuſta, ergo, &c.

7 Hinc ſequitur, quòd quotieſcumque poteſt Princeps in lege ciuili diſpenſare, poterit etiam iuxta ſuam prudentiam, & non ſecundùm legem ciuilem iudicare.

At quoniam dixi, iuſtam cauſam requiri, vt poſſit Princeps in lege diſpēſare, & aliter, quàm
8 lex ciuilis præcipit, iudicare, notandum hic eſt, quòd cauſa iuſta ad diſpenſandum requiſita debet eſſe bonum publicum. Ratio, quia cauſa, & effectus debent inter ſe cōmenſurari; ſed lex eſt regula publica, authoritas Principis etiam eſt publica, collata ipſi ob bonum publicum, non ad deſtruendum, ſed ad ædificandum; Ergo
9 & bonum, ob quod poteſt Princeps im lege diſpenſare, debet etiam eſſe publicum: v.g. ſi commiſit quis miles ſtrenuus, & Reipublicæ vtilis homicicidiū, poterit Princeps cum illo diſpenſare in lege de occidendis homicidis, & imponere illi aliam pœnam, vel omninò condonare, bono publico ita exigente; ſic Saul meritò diſ- 10
penſauit cum Ionata milite ſtrenuo, & populi ſaluti tunc maximè neceſſario; vnde, ſi homicida ſit v. g. dilectus Principi, non tamen 11
neceſſarius, aut vtilis Reipublicæ, non poteſt Prineps cum illo diſpenſare, ſed eum debet iudicare ſecundùm legem, cum in tali caſu ceſſet cauſa publica, & bonum commune.

Probatur tertia pars (quod ſcilicet, ſi leges ciuiles, quæ Principem etiam complectuntur, 12
ſpectantque ad communem totius Reipublicæ gubernationem, Ius alteri conferant, poſſit ſimiliter Princeps contra leges ciuiles operari, & in eis diſpenſare) quia, cum Princeps ſit Cuſtos boni publici, quotieſcumque videt bono publico ita expedire, poteſt, quin & debet, bona Ciuium in illud referre, ſicque ob bonum publicum bona alicuius Ciuis alteri adiudicare, atque adeò non ſtare prædictis legibus, etiam ſi illæ alteri Ius conferant.

Aduerte tamen ex dictis, vt ſit verum, quod 13
modò dixi, requiri bonum commune ſic exigere (quod rariſſimè euenire arbitror) aliter teneri Principem ſub pœna peccati mortalis obſeruare in ſuis iudiciis, & ſententiis leges ciuiles, præſettim ſi illæ Ius alteri conferant: v.g. vocat Paulus Petrum in Iudicium, quaſi iniquè poſſidentem bona ipſius; At oſtendit Petrus, ſe illa bona fide poſſediſſe toto tempore à lege requiſitò ad præſcribendum, ſicque verè in illis præſcripſiſſe, tenetur Iudex, etiam ſi ille Supremus Princeps ſit, ferre ſententiam pro Petro, nec poteſt diſpenſare cum Paulo in lege præſcriptionis; Atque ita docet S. Auguſt. *de vera Relig. cap.* 3. & Ariſt. 5. *Ethic. cap.* 6. *&* 3. *Polit. cap.* 10. *&* 12. & ratio eſt, quia contra Ius naturale videtur eſſe, vt cum quis legitimo con- 14
tractu effectus eſt Dominus alicuius rei, vel habet Ius legitimum in illa expolietur illa re, vel legitimo Iure, quod acquiſiuit in illam (cum talis expoliatio, ipſo inuito, ſit furtum formaliter; & Princeps, quamuis Supremus, 15
non poſſit in furto diſpenſare, nec ferre ſententiam contra Ius naturale) non ergo poteſt ſpoliare eum, qui iam rem aliquam poſſidet, vel Ius in illam per legitimum contractum habet; at qui rem aliquam poſſidet, vel ius in illam virtute alicuius legis ciuilis habet, poſſidet rem illam, vel habet Ius in illam, veluti per legitimum contractum (cum poſſit lex ciuilis de vno in alium dominium bonorum, & Ius in illa transferre) ergo in huiuſmodi legibus, quæ conferunt Ius alteri, non poteſt, neque Supremus Princeps, diſpenſare, ſed debet neceſſariò ſecundùm illas Ius dicere, & ſententiam ferre, ſi ſcilicet bonum commune, ſicuti dicebam, non exigat quid in contrarium.

Confirmatur, quia ſi poſſet Supremus Princeps pro libito ſuo diſpenſare in eiuſmodi legibus, & non, iudicare ſecundùm illas, poſſet ſimiliter pro libito ſuò, quando duo Litigant de aliqua re, tollere illam habenti Ius in ipſam, & adiudicare eam non habenti Ius in illam. At hoc per omnes eſſet 1
furtum formaliter & maxima iniquitas;

ergo & illud, ex quo sequitur istud. Consequentia probatur, quia sicut hic litigans habet Ius in re, quam iustè postulat, vt suam, iusto titulo, ita & qui rem aliquam, vel Ius aliquando habet virtute alicuius legis, habet rem, vel ius in illam iusto titulo; cum lex ciuilis conferat in eiusmodi rebus iustum titulum, ergo, &c.

16 Confirmatur secundò, quia lex præscriptionis, & aliæ similes leges non minùs conferunt nunc hominibus dominium, & ius in bona temporalia, quam contulerit iis à principio ius Gentium, quo facta fuit prima diuisio rerum; sed non potest Princeps spoliare eum, qui bona possidet per illam primam diuisionem rerum; quia iam sunt illius facta propria, estque ille illorum factus Dominus, ergo neque potest Princeps spoliare eum, qui aliqua bona, vel ius in illa bona possidet virtute alicuius legis; quia sicut iure naturæ, antequam fieret prima rerum diuisio, nihil alicuius erat; at facta illa prima rerum diuisione quæ alicui appropriata sunt, ita facta sunt illius, vt committat furtum formaliter, & violet ius Gentium, quicumque alius illa bona, inuito illo, accipit ita etiam licet, antequam hæ leges ius, & dominium alteri conferentes, conderentur, non esset iure naturæ, neque alia via quis Dominus eorum, quæ præscripsit, postquam tamen eiusmodi leges conditæ sunt, & virtute illarum aliquid ille acquisiuit, est furtum formaliter, & contra ius Gentium, eum illa re, vel illo iure spoliare; Quapropter, si aliter in oppositum non exigit bonum commune, tenetur Princeps leges ciuiles, præsertim illas, quæ ius alteri conferunt, in suis Iudiciis obseruare; alioquin peccabit mortaliter.


17 Aduertè secundò, quod Princeps in tali casu non solùm peccabit grauiter, sed etiam peccabit grauiùs, quàm peccat homo priuatus, cum rem alterius subripit. Ratio: quia Custos Iustitiæ grauiùs peccat, iniuste agendo, quàm ille ad quem non pertinet ex officio custodia iustitiæ; sed Princeps, sicut, & quicumque alius inferior Iudex, est ex officio Custos, & Minister Iustitiæ; ergo, &c.

18 Aduerte tertiò, quòd Princeps in dicto casu non solùm peccabit grauiter (& grauiùs quàm peccat homo priuatus, cum rem alienam subripit) sed etiam tenebitur ad restitutionem. Ratio, quia Princeps, sicut & quilibet alius inferior Iudex, est Custos Iustitiæ, & boni suorum subditorum, ergo si sine iusta causa in lege dispenset, vnde alteri damnum sequatur, est ipse iniustus author illius damni; sed quicumque iniustè infert alteri damnum, tenetur ex iustitia damnum illud compensare, ergo. &c.

19 An autem talis circumstantia personæ publicæ in confessione sit explicanda?

Affirmat uterque Medina Complutensis, & Salmaticensis, hic *in summa*, ille *in Cod. in Confessione.*

At negat probabilius (dummodo scandalum absit,) Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. *in Glos. litt.* O; Ratio, quia talis circumstantia publici officij solùm aggrauat peccatum intra eamdem speciem iniustitiæ, non autem mutat speciem.



Corollarium I.

SVMMARIVM.


1. *Princeps debet, si leges ciuiles continent ius naturale, semper secundum eas iudicare.*
2. *Iudex, etiam supremus debet iudicare quod iustum est.*
3. *Ius naturale, quamuis medio dictamine rectæ rationis excipiatur, reuera tamen habet (sicut & natura ipsa) Deum auctorem.*
4. *Iustum, quod leges continent, cum sit ex natura rei, & intrinsecè bonum, Princeps non potest mutare naturam rei, & facere bonum id quod est intrinsecè malum.*

Ex dictis sequitur primò, quòd si leges ciuiles continent Ius naturale, Princeps semper debet secundùm eas iudicare, etiamsi ille Supremus sit. Ratio, quia nunquam licet à iure naturali recedere, cum contrarium huius iuris semper sit iniquum; Quin immo, sicut ius naturale est indispensabile, ita sunt & indispensabiles leges illud continentes. 1

Confirmatur, quia Iudex, etiam Supremus, debet iudicare quod iustum est, *Sap.* 1. at iustum in eiusmodi legibus contentum semper est idem, & immutabile, ergo semper iuxta illud iudicare debet. 2

Confirmatur secundò, quia Ius naturale, quamuis medio dictamine rectæ rationis excipiatur, re vera tamen habet (sicut & natura ipsa) Deum authorem, ergo si quis iudicat aliter, quàm leges ius naturale continentes postulant, violat ius naturale, & Diuinum simul. 3

Confirmatur tertiò, quia (cum iustum, quòd istæ leges continent, sit ex natura rei, & intrinsecè) qua ratione Princeps non potest mutare naturam rei, & facere bonum, quod est intrinsecè malum, vel è contra; ita non potest iustè iudicare, nisi sententiam ferat iuxta illas leges. 4



Corollarium II.

SVMMARIVM.

1. *Iudex etiam inferior si obseruatio legis ciuilis ratione loci temporis, vel alicuius alterius circumstantiæ aliquid induceit contra ius naturale, non potest iudicare secundum illam legem ciuilem; sed tenetur iudicare secundum æquitatem, & dictamen rationis, quam vocamus Epiicheiam.*
2. *A Iure naturali nunquam recedere licet, cum contrarium huius Iuris semper sit iniquum.*

3 *Lex iniqua vel simpliciter, vel ex aliqua circumstantia non est lex, neque regula, quæ valeat nostras actiones rectè dirigere, sed est corruptela.*

4. *Iudex inferior si Princeps dispenset cum homicida in lege de suspendendis homicidis, eo quod sit artifex Reipublicæ necessarius, aut vir valde eruditus, vel ingeniosus bono communi perutilis, cum sic exigat bonum commune non potest secundum legem scriptam iudicare.*

5. *Obligatus Præcepto ieiunij, non tenetur ieiunare si Tyrannus minetur mortem si hodie ieiunauerit, dummodo ille non agat in contemptum fidei, vel religionis; sed ex sua insania.*

6. *Mulier non tenetur audire sacrum die festo, cum vir austerus minatur ei malum graue, si domo quacumque de causa egrediatur.*

7. *Sacerdos non tenetur abstinere à sacrificando; quia adest v. g. excommunicatus etiam vitandus; vel quia altare lapideum, vel vestes sacras ad sacrificandum non habet; vel quia ieiunus non est, vel quia est suspensus, excommunicatus, vel irregularis, si v. g. ex tali abstinentia magnum malum imminere sibi videret.*

8. *Non tenetur homo cum periculo magni damni abstinere se à communione, seu in sacris, seu in politicis negotiis cum excommunicato etiam vitando, vel si ipse sit excommunicatus abstinere se à communione cum aliis non excommunicatis.*

9. *Consanguineus non tenetur, si grauis mali metum patiatur abstinere cum consanguinea matrimonium contrahere tacita intentione, quantum in me est, si nihil aliud impedit; quamuis non possit cum illa consumere licitè ante impetratam à Summo Pontifice dispensationem; nam alias esset copula fornicaria, & incestus formaliter.*

10. *Carthusianus non tenetur ad obseruandam legem de carnium perpetua abstinentia, si nullus alius cibus suppetat; quia lex naturalis dictat vitam alimento seruandam esse; quare potius in tali casu peccabit mortifere si abstinere velit.*

11. *Carthusianus si cibi suppetant, non potest cuiuscumque ægritudinis occasione carnibus vesci.*

12. *Lex humana ordinarie non obligat cum magno rigore, & incommodo, scilicet non obligat cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, vel magnæ bonorum iacturæ.*

13. *Nemo potest ad impossibile obligari, quod autem est valde difficile, moraliter censetur impossibile.*

14. *Recensetur discrimen inter Legislatorem Deum Christumque Dominum, & inter Legislatorem humanum; quod iste legum ferendarum potestatem limitatam habet quam vltra non potest extendere; Deus autem, Christusque Dominus potestatem habet absolutam & illimitatam.*

15. *Deus, Christusque Dominus absolutè nos potest ad legum suarum obseruationem adstringere; etsi ordinarie etiam leges Diuinæ, non cum tanta seueritate positæ sint, tum in veteri Testamento, vt de sabbatho seruando, de abstinentia à sanguine, à carne suilla, &c. tum propter Christi mortem multò magis in nouo Testamento de suscipiendis Sacramentis per se loquendo.*

16. *Lex, vel præceptum etiam humanum, quotiescumque ex eius obseruatione maius Reipublicæ commodum speratur, aut ex illius neglectu maius incommodum timetur, quam æstimari debeat priuatum periculum vitæ, famæ, vel bonorum amittendorum, etiam cum tanto periculo obligare potest.*

17. *Lex ipsa naturæ obligat ad obseruationem legis positiuæ, quamuis cum propria vitæ dispendio, quotiescumque eius transgressio cedere videtur in contemptum Legislatricis potestatis, aut fidei, & Religionis Christianæ detrimentum.*



Sequitur secundò, quòd si obseruatio legis Ciuilis ratione loci, temporis, vel alicuius alterius circumstantiæ aliquid inducit contra Ius naturale, non possit Iudex, etiam inferior, iudicare secundùm illam Legem ciuilem, sed teneatur iudicare secundùm æquitatem, & dictamen rationis, quam vocamus Epiicheiã. Ratio est eadem, quam suprà dicebam, quia scilicet nunquam licet à Iure naturali recedere, cum contrarium huius iuris semper sit iniquum. Vnde rectè dixit S. Thom. *in* 1. 2. *quæst.* 69 *art.* 4. *&* 6. quòd lex iniqua, vel simpliciter, vel ex aliqua circumstantia, non est lex, neque regula, quæ valeat nostras actiones rectè dirigere, sed est corruptela. Quemadmodum horologium, quod non consentit cum motu solis, non est horologium, sed horarum perturbatio. 1 2 3

Verbi gratia præcipit lex, ne ciuitate obsessa portæ illius vllo modo aperiantur; Euenit postea casus, quòd Ciues fugiant hostem, nec alitèr ab illo immunes esse possint, nisi apertis portis, se recipiant in Ciuitatem, non debet Iudex, etiam inferior, iudicare secundùm istam legem scriptam, quæ in tali casu adeò obest Ciuibus, & bono communi, atque adeo, & Iuri naturali.

Item lege sancitur homicidam suspendi, Commisit autem homicidium Artifex Reipublicæ necessarius, aut vir valdè eruditus, vel ingeniosus, bono communi perutilis, dispensat propterea (cum sic exigat bonum commune) Princeps cum isto homicida in lege de suspendendis homicidis, non debet, quinimo non potest Iudex inferior in tali casu iudicare secundùm legem istam scriptam, sed tenetur iudicare secundùm iustam illam Principis dispensationem. 4

Item tertiò minatur Tyrannus mortem, si hodiè ieiunaueris (posito tamen, quòd ille non agat in contemptum fidei, vel Religionis, sed ex sua insania, &c.) non teneris hodiè seruare legem Ieiunij; Quia si adesset Legislator, non obstringeret te hodie contra Ius naturæ in tali casu ieiunare, nempe cum discrimine vitæ: hæc autem, & similia cognoscimus per Epiicheiam, idest per æquam, & iustam interpretationem, de qua S. Thom. 1. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *&* 6. *&* *qu.* 120. 5

Ex eodem principio posito non tenetur mulier audire sacrum die festo, cum vir austerus minatur ei malum graue, si domo quacumque de causa egrediatur. 6

Item 2. non tenetur (Sacerdos abstinere à sacrificando, quia adest v. g. excõmunicatus, etiam) 7

vitandus, vel quia altare lapideum, vel vestes sacras ad sacrificandum necessarias non habet, vel quia ieiunus non est, vel quia est suspensus excommunicatus, vel irregularis, si scilicet ex tali abstinentia magnum malum imminere sibi videret; Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *num.* 8. Vasquez 1. 2. *disput.* 161. *cap.* 4. Auila *part.* 2. *de censur. cap.* 6. *disp.* 11. *concl.* 4. *&* 5. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 30. *num.* 16. *& disput.* 6. *de censur. sect.* 1. *num.* 4. Coninch. 3. *part. tom.* 2. *disp.* 13. *dub.* 12. & alij Doctores passim.

8 Item tertiò non tenetur homo cum periculo magni damni abstinere se à communione, seu in sacris, seu in politicis negotiis cum excommunicato, etiam vitando, vel si ipse sit excommunicatus, abstinere se à Communione cum aliis non excommunicatis, Doctores ijdem *in locis supra citatis.*

9 Item quartò non tenetur homo, si grauis mali metum patiatur, abstinere cum consanguinea matrimonium contrahere, tacita intentione (*quantum in me est, si nihil aliud impediat*) quamuis non possit licitè cum illa consumere ante impetratam à summo Pontifice dispensationem: nam esset tunc copula fornicaria, & incestus formaliter; atque ità docent Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 5. *num.* 4. Suarez *cit. cap.* 30. *num.* 13. Vasquez *cit. disput.* 161. *cap.* 3. & idem sentire videntur Sotus, & Medina *in locis suprà cit.* contra Caiet. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & Nauar. *cap.* 27. *num.* 141. qui huius Corollarij priorem partem negant.

10 Item quintò non tenetur Carthusianus ad obseruandam legem de carnium perpetua abstinentia, si nullus alius cibus suppetat; quia lex naturalis dictat, vitam alimento seruandam esse; quare potius in tali casu Carthusianus peccabit mortifere, si abstinere velit, sicut rectè probat Ioan. Maior. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 24. & Vasquez 1. 2. *quæst.* 162. *cap.* 4. quamuis contrarium doceant Lessius *de iust. & iur. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 12. & alij.

11 At quidquid sit de hoc, quando tamen alij cibi suppetunt, conueniunt Doctores, quod non liceat Carthusiano cuiuscumque ægritudinis occasione carnibus vesci. Ratio, quia si alij cibi haberi possunt, carnium esus non est medium absolutè necessarium ad vitam seruandam; diutius autem vitam prorogare delicatiori cibo nullus tenetur, si id à vitæ instituto suo sit alienum, & maius, publicumque bonum virtutis, ac regularis obseruantiæ impediat, vel diminuat; tunc enim paruam longioris vitæ iacturam perpeti, vel permittere, à ratione naturali alienum non est, sed potius temperantiæ, ac fortitudinis opus, Deo naturæ auctori maximè gratum; ad quod proinde Carthusiani iuxta regulam suam laudabiliter possunt se obligare. Vide Ioannem Gersonem *part.* 2. *operum, tract. de abstinentia Carthusiensium* & Victoriam *relect. de temperant. num.* 8. *& seqq.*


12 Ratio horum omnium, quæ dicebam, est, quia lex humana ordinariè non obligat cum magno rigore, & incommodò, scilicet non obligat cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, vel magnæ bonorum iacturæ; sicuti docent communiter Doctores contra Caiet. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & sumitur *ex cap. consilium de obseruatione Ieiunij, ibi: cum non subiaceat legi necessitas* & *ex regula* 6. *in* 6. *nemo* 13
potest ad impoßibile obligari; quod autem est valdè difficile, moraliter censetur impossibile. Hinc Isidorus *lib.* 5. *etymol.* ait, legem humanam oportere esse possibilem secundum hominum consuetudinem, & naturam, quare mens legislatoris censeri debet, vt in dicto casu cesset obligatio suæ legis; alioquin lex esset intolerabilis. & iniusta seque ipsam euerteret.

Hinc discrimen oritur inter legislatorem 14
Deum, Christumque Dominum, & inter legislatorem humanum, quod iste legum ferendarum potestatem limitatam habet, quam vltra non potest extendere, Deus autem, Christusque Dominus potestatem habet absolutam, & illimitatam, iuxta illud Matth. 28. *data est* 15
mihi omnis potestas in cœlo & in terra; quapropter absolutè nos potest Deus, Christusque Dominus ad legum suarum obseruationem adstringere, etsi ordinariè etiam leges Diuinæ non cum tanta seueritate positæ sint, tum in veteri testamento, vt de sabbato seruando, de abstinentia à sanguine, à carne Suilla, &c. sicuti testatur S. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. Sotus *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 4. Victoria *relect. de temper. num.* 6. *&* 10. Vasq. 1. 2. *disp.* 161. *cap.* 2. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 30. *assert.* 3. Lessius *de iust. & iur. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 10. & colligitur *ex lib.* 1. Machab. *cap.* 2. *num.* 38. *&* 1. *Reg. cap.* 21. tum, propter Christi mortem, multo magis in nouo Testamento de suscipiendis Sacramentis, per se loquendo: nam per accidens, ratione scandali, vel proprij spiritualis detrimenti vitandi, si scilicet in speciali casu susceptio sacramenti alicui ad salutem necessaria esse videatur, aliter, ac præscribitur, res se se habere potest; Qua de re videri poterit Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disput.* 31. *sect.* 3.

Dixi, *ordinariè*, quia quotiescumque ex le- 16
gis, vel præcepti humani obseruatione maius Reipublicæ commodum speratur, aut ex illius neglectu maius incommodum timetur, quàm æstimari debeat priuatum periculum vitæ, famæ, vel bonorum amittendorum, tunc lex, vel præceptum, etiam humanum (cum bonum commune præferri debeat priuato, vti suprà dicebam) etiam cum tanto periculo obligari potest, sicuti notauit Carbo *lib.* 7. *de legib. disput.* 6. Sotus *cit. quæst.* 6. *art.* 4. *& in* 4 *distinct.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4, Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & Vasquez *cit. cap.* 2. Sic enim belli Dux militi præcipit, vt stationem seruet cum periculo vitæ, & summus Pontifex Sacerdoti, vt cum simili periculo Christi fidem infidelibus prædicet.

Item, quotiescumque legis positiuæ trans- 17
gressio cedere videtur in contemptum legislatricis potestatis, aut fidei, & Religionis Christianæ detrimentum, tunc ipsa naturæ lex obligat ad obseruationem legis positiuæ, quamuis cum proprio vitæ dispendio, sicuti rectè notauit Sotus *cit. quæst.* 6. *art.* 4. Medina *l. c.* Vasquez *in fine disp.* 161. Suarez *de censur.*

disp. 6. *sect.* 3. *& cit. cap.* 30. *num.* 7. & Coninch. 3. *part. tom.* 2. *disp.* 13. *dub.* 12. cuius rei exemplum habes in Eleazaro 2. *Machab.* 6. & in eamdem sententiam S. August. dixit *lib. de bono coniugij cap.* 16. *Satius est fame mori, quàm idolothytis vesci*, sub intellige cum scandalo, vel cum Religionis contemptu, secundùm Apostolum. 1. *Corinth.* 10.




Corollarium III.

SVMMARIVM.

1. *Princeps facilius, & multoties dispensare potest in criminalibus quam in ciuilibus; quia in criminalibus dispensatio sæpius sine aliorum damno, & iniuria locum habet; in ciuilibus autem raro vel ferè nunquam.*
2. *Princeps etiam supremus debet iuste iudicare, & ius suum vnicuique reddere, præsertim ipse, quia quo maiorem habet in Republica auctoritatem, eo magis positus est à Deo ad æquitatem exercendam, & leges obseruandas.*

1 Sequitur tertiò, quod Princeps facilius, & multoties dispensare possit in criminalibus, quàm in ciuilibus, quia in criminalibus dispensatio sæpius sine aliorum damno, & iniuria locum habet; In ciuilibus autem raro, vel fere nunquam, nam in ciuilibus semper agitur, cuius res sit, mea v. g. an tua, semperque in his sunt vnus, qui postulat rem suam, & alter, à quo postulatur; vnde fit, quod si in his non feratur iudicium iuxta leges, alteri inferatur damnum cum iniuria, sitque sententia illa in
2 præiudicium tertij; Quod neque Principi supremo licet, vti suprà dicebam: debet enim Princeps, etiam supremus, iustè iudicare, & ius suum vnicuique reddere; præsertim ipse, quia quo maiorem habet in Republica authoritatem, eò magis positus est à Deo ad æquitatem exercendam, & leges obseruandas.



Corollarium IV.

SVMMARIVM.

1. *Iudex debet iudicare ordinariè secundum leges ciuiles præsertim si supremus non sit, si ea contineant ius mere positiuum.*
2. *Supremus Princeps potest interdum dispensare in lege positiua, & relaxare legis vigorem, & pœnam, vel saltem mitigare, cum ita Reipublicæ expedire indicabit; quod non potest iudex inferior nisi ex tacita, vel expressa superioris concessione.*
3. *Iudex non debet recedere à iuris scripto propter æquitatem non scriptam, nisi auctoritate Principis, ad quem hoc pertinet v. g. limitare ius scriptum.*
4. *Iudex in iudicando non potest excedere limites suæ potestatis.*
5. *Iudex inferior interdum potest etiam recedere à lege scripta, iudicando scilicet contra verba legis, vt si constet mentem legislatoris aliam fuisse, nec eum voluisse casum hunc verbis suæ legis esse comprehensum, tunc enim vti debet epitheia.*
6. *Iudex inferior, si non constet, sed probabilius est, aliam fuisse mentem legislatoris, & res non patitur moram, vt superior consulatur, debet etiam tunc sequi verba legis; intentio enim legislatoris præferenda est verbis legis.*
7. *Iudex inferior si vtrimque est æquale dubium, & Princeps consuli non possit, tenetur iudicare secundum verba legis; quia lex est veluti in possessione suæ auctoritatis.*



Sequitur quartò, quod si leges ciuiles contineant ius mere positiuum, ordinariè secundùm eas iudicare debeat iudex, præsertim si supremus non sit; ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 5. & alij Doctores communiter. 1

Dixi, *præsertim, si supremus non sit*; quia supremus Princeps potest interdum, vti supra dicebam, dispensare in lege positiua, & relaxare legis rigorem, & pœnam, vel saltem mitigare, cum ità Reipublicæ expedire, ipse iudicabit; Hoc autem non potest iudex inferior, nisi ex tacita, vel expressa superioris concessione; quare Constant. Imper. *in l.* 1. *cod. de legibus* ait: *inter æquitatem, eiusque interpositam interpretationem nobis solis & oportet, & licet inspicere*; Vbi Rubrica: *Iudex non debet recedere* 2
à Iuris scripto propter æquitatem non scriptam, nisi authoritate Principis, ad quem hoc pertinet, scilicet limitare ius scriptum; Et ratio est ma- 3
nifesta, quia iudex in iudicando non potest excedere limites suæ potestatis; at Princeps iudicibus suis committit potestatem, secundum leges, tam naturales, & omnibus gentibus communes, quam proprias Regni, iudicare, cum lex sit norma, & regula, secundùm quam iudex iudicare debet; alioquin iacerent leges tanta sapientia, & authoritate conditæ, tanta temporum diuturnitate, & vsu comprobatæ, præsertim Cæsareæ, quæ propter æquitatem, & iustitiam ab aliis etiam Regnis Romano Imperio non subditis in honore, & existimatione sunt, & multæ in Ecclesiastico foro receptæ, vt, inspectis extrinsecis caussarum circumstantiis, ex æquo, & bono, sicuti iudici videtur, liceat iudicare: id enim quilibet in legum studio etiam non versatus, dummodo ingenio, & prudentia polleat, poterit præstare. 4


Dixi, *ordinariè*, quia interdum potest, etiam 5
iudex inferior, recedere à lege scripta, iudicando scilicet contra verba legis; vt, si constet,

mentem legislatoris aliam fuisse, nec eum voluisse, casum hunc verbis suæ legis esse comprehensum: tunc enim Iudex inferior vti debet epiticheia; quia magis tenetur sequi legislatoris mentem, quæ est anima legis, quàm verborum corticem, alioquin summum ius summa iniuria foret. Adde, quòd in tali casu (quidquid alij in contrarium dixerint) non tenetur is legislatorem, vel superiorem consulere quia non est opus inquirere de mente, quando de illa constat, quod confirmatur *ex l. nulla ratio ff. de legibus, & l. non dubium Cod. de legibus.*

6 Item, si non constat, sed probabilius tamen est, aliam fuisse mentem legislatoris, & res non patitur moram, vt superior consulatur, debet etiam tunc Iudex inferior non sequi verba legis; quia semper intentio legislatoris præferenda est verbis legis., quod, si superior facilè consuli potest, consulendus est: ratio, quia lex infringi non debet, nè quidem quo ad verba, nisi in casu quod constat aliam fuisse legislatoris mentem, si de ea constare potest: Quod si de ea constare nequit, tunc sequendum est, quod probabilius videtur.

7 Cæterùm, si vtrinque est æquale dubium, & Princeps consuli non potest, tenetur inferior Iudex iudicare secundùm verba legis; Ità communiter Doctores; & ratio est, quia lex est veluti in possessione suæ authoritatis, vnde in pari dubio non potest iudex, cum ex officio sit custos legis, eam sua authoritate spoliare.

Hinc intelligitur, quomodò Princeps sit liber, & solutus à legibus, vt non teneatur secundum illas iudicare, & è contra, quomodo non sit liber, & solutus ab eis, sed teneatur secundùm eas iudicare, iuxta leg. Princeps *ff. de legib.* Item intelligitur, quandonam possit Princeps dispensare in legibus, & quando non, iuxta *cap. summopere 11. quæst. 3.*



SECTIO XXXVII.

An possit Princeps aliquando reuocare sententias in rem iudicatam transactas: Item irritare sententias Iudicum, quamuis ritè, & rectè latas, & similia.

SVMMARIVM.

1. *Princeps potest, si scilicet & sic exigat bonum commune, reuocare sententias in rem iudicatam transactas.*
2. *Princeps potest irritare sententias iudicum, quamvis rite, & rectè latas.*
3. *Princeps potest restituere ad appellandum aduersus rem iudicatam.*
4. *Princeps potest tollere ea quæ sunt de iure Ciuili cum omnibus suis effectibus, cum ipse sit supra ius ciuile.*
5. *Princeps indulgendo crimen, si restituat delinquentem, ad omnia restituit eum & ad acquisita alteri mediante sententia, non item mediante facto, vel hominis contractu.*
6. *Princeps potest dispensare quod vniuersitates ex aliqua causa vrgenti possint, etiamsi ciues contradicant, vendere territoria, in quibus ciues, sicque Baroniam, vt pote primus eius vsum habet.*
7. *Princeps potest in modicis etiam ex ordinaria potestate præiudicare.*
8. *Princeps potest concedere delinquentibus conductum, seu securitatem; idque etiam si non adsit offensæ partis remissio.*
9. *Indultus huiusmodi solent coarctari, & aliquando cum clausula concedi, vt scilicet tales homines quibus fiunt indultus non accedant ad loca, vbi delicta commiserunt, vel vbi partes offensæ degunt.*
10. *Princeps potest quin & consueuit concedere Colonis indultus pro debitis ciuilibus, ad hoc vt culturæ, & messi commodè vacare possint.*
11. *Princeps potest, quin & consueuit concedere Vassallis Baronum prouisiones, quæ saluaguardiæ vulgo dicuntur.*
12. *Item Princeps potest Reos ante sententiam existentes in carcere cogere ad triremes.*
13. *Item & cogere populos ad dandos sibi milites remigantes, & similes.*
14. *Item & diruere domos, quæ facilitant capturam Ciuitatis.*
15. *Item & comburere segetes, ne ex eis viuere possint hostes obsidentes, & similia.*
16. *Princeps non tenetur redimere remigantes captos ab hostibus si accesserunt voluntariè, secus si coactè, si vero ex parte capti nullaque culpa intercesserit.*
17. *Rex, si inuitis Dominis sumpserit naues, tenetur compensare illis damnum quod illæ passæ fuerint.*
18. *Princeps potest ob bonum commune, etiam non remittente parte, pœnam Reo remittere: quod si non exigat bonum commune nullo pacto potest.*
19. *Princeps tenetur non solum satisfacere parti, sed etiam Reipublicæ, ad cuius bonum spectat, ne delicta remaneant impunita.*
20. *Gratia nonnullæ sine remissione Partis à Rege factæ, ordine supremi Italiæ Consilij, tanquam irritæ reuocatæ fuerunt.*



Respondetur *ex dictis eadem sect. 1. & 2.* quòd possit Princeps (si scilicet sic exigat bonum commune) reuocare sententias in rem iudicatam transactas; atque ità habetur *ex reg. text. in leg. diui fratres, ff. de pœn.* & tradunt Glos. Bald. & Doctores *in leg. fin. Cod. sentent. resc. non pos.* Roman. *in leg. imperium ff. de iurisdict. omn. Iud.* 1

Item ex eodem principio potest Princeps irritare sententias Iudicum, quamuis ritè, & rectè latas; atque ita docet Angelus *in l. 1. de sentent. pass.* Afflict. *in cap. 1. quæ sint reg. num. 46.* Idem docet Restau. Castal. *in tract. de imper. quæst. 110. priuil. 141. & priuil. 300.* vbi 2

ait, quod Princeps possit res iudicatas rescindere; & Afflict. *num.* 48. *cit. cap.* 1. *quæ sint reg.*
3 inquit, quod Princeps possit restituere ad appellandum aduersus rem iudicatam; & Luc. de Pen. *in l. fin. de pasc. public. num.* 47. tradit, quod possit Princeps tollere sententiam, & Aym. *de antiq. tempor. in princip. num.* 51. inquit, quod possit Princeps mandare reuisorem sententiæ transactæ in rem iudicatam.

4 Et ratio horum omnium, præter rationem de bono publico supra assignatam, vlterius illa est; quia hæc omnia sunt de iure ciuili, sed Princeps est supra ius ciuile, ergo potest illud tollere cum omnibus suis effectibus, sicuti rectè dixit Isern. *in cap.* 1. *de Vassallis de crepit. ætat.* inferens ad acquisita alteri per de-
5 linquentis condemnationem, quod cum postea Princeps, indulgendo crimen, restituit delinquentem ad omnia, restituat eum ad acquisita alteri mediante sententia, non item mediante facto, vel hominis contractu, qua de re videri poterit Alex. *in leg.* Gallus §. *& quid si tantum. ff. de liber. & posthum.* Felin. *in cap. inter quatuor. de maior, & obed.* & Andr. *loco suprà cit.*

6 Item ex eodem principio potest Princeps dispensare, quod Vniuersitates ex causa aliqua vrgenti possint, etiamsi ciues contradicant, vendere territoria, in quibus ciues, sicque Baro etiam, vt pote primus ciuis, vsum habent; Quia cum talis Principis dispensatio, seu concessio consistat in vrgenti necessitate, & publico beneficio Vniuersitatis, ità exigit publica vtilitas, quæ, sicuti dicebam, præferri debet priuatæ; cum priuata insit in publica; sicque, quod expedit Vniuersitati, expediat etiam priuatis ciuibus, qui, qua tales, ad omnia Vniuersitatis onera tenentur; Atque ità in terminis nostri casus docet Andr. *in cap.* 1. *ex quib. caus. feud. amitt. num.* 15. Auendan. *de exequ. mandat. cap.* 12. *num.* 25. de Franch. *decis.* 197. & Regens de Ponte *in tract. de potest. Proregis. tit.* 10. vbi etiam testatur, id sæpius in praxi positum esse.

7 Adde, quod in casu dicto præiudicium, quod infertur, videtur esse modicum; at in modicis potest princeps, etiam ex ordinaria potestate, præiudicare, vt rectè dixit Andr. *in rubr. quæ sint regal. num.* 3. *argum. text. in l. in rebus §. possunt. ff. commod.* Vnde dici consueuit, quòd modicitas præiudicij inducat aliud ius, de quo non curat Prætor.

8 Item ex eodem principio potest Princeps concedere delinquentibus conductum, seu securitatem, iuxta *text. in l. relegati. ff. de pœnis*; qua de re Bart. *ibidem*, & Restaur. Castald. *vbi suprà, priuil.* 339. quare multoties bannitis (quamuis multa, & grauia delicta commiserint) si consimiles facinerosos homines occidant, vel viuos capiant, & ad tribunal conducant, conceduntur indultus; Idque etiamsi non adsit offensæ partis remissio; quia sic exigit bonum commune; cum alioquin Regnum malefactoribus esset plenum, & populi continuis iacturis affligerentur in bonis, & in personis; atque ità tradunt Doctores communiter *in cap. quæ in Ecclesiarum. de constit.*

9 Vbi tamen aduerte, quod huiusmodi indultus coarctari, & aliquando cum clausula concedi solent, vt scilicet tales homines, quibus fiunt indultus, non accedant ad loca, vbi delicta commiserunt, & vbi partes offensæ degunt; quæ praxis in multis locis seruatur, & meritò, vti notat Farinac. *in tit. Inquisit. lib.* 1. *quæst.* 6. *num.* 5. & Thesaur. *in decis. Pedemont.* 21. sed de hac re, & de Principe indulgente propter res prospere gestas, vel propter aliam rationabilem causam (etiam sine remissione partis offensæ) & de remissione pœnarum corporalium, quæ commutantur in pecunias, vide Andr. *in cit. tit. quæ sint regalia, in verbo, & bona committentium, post num.* 75.

Item ex eodem principio potest, quin & 10
consueuit Princeps concedere colonis indultus pro debitis ciuilibus, ad hoc, vt culturæ, & messi commodè vacare possint; quia bonum commune exigit, vt tempore culturæ, & messis tales homines à nemine vexentur *l.* 1. vbi Andr. de Barul. *& l. coloni, & l.* 2. *cod. de agricol. lib.* 10.

Item ex eodem principio potest, quin & 11
consueuit etiam Princeps concedere Vassallis Baronum prouisiones, quæ *salua guardia* vulgò dicuntur, ne contra illos procedatur, etiam pro delictis antiquis, inconsulto Principe, ad hoc ne indebite vexentur à Baronibus; Andr. & Auend. *vbi suprà part.* 1. *cap.* 11. qui pro hac sententia citat Paul. de Castr. & complures alios Doctores.

Item ex eodem principio potest Princeps ho- 12
mines reos ante sententiam existentes in carcere cogere ad triremes; Item & cogere populos 13
ad dandos sibi milites, remigantes, & similes; Item & diruere domos, quæ facilitant captu- 14
ram ciuitatis; Item & comburere segetes, ne 15
ex eis viuere possint hostes obsidentes, & similia, propter rationem toties repetitam de bono, communi sic exigente, licet inde damnum aliquod priuatis ciuibus sequatur. Videatur Molina *tom.* 1. *disp.* 25. *&* 121. Reginald. *lib.* 21. & Regens de Ponte, *de potest. Proregis tit. de elect. Official. & tit. de Regal. impositionibus* videantur etiam, quæ dicebam *sect.* 27. 28. *&* 29.

An autem in casu, quod huiusmodi milites, vel remigantes (idemque dico de legatis) capiantur ab hostibus, teneatur Rex in conscientia illos redimere?

Respondetur, Regem non teneri, si quis ex 16
illis accessit voluntariè, quia tunc videtur cessisse iuri suo, teneri autem è contra Regem, si accessit necessariò, vel vocatus à Rege; atque ita docet Bart. *in l. si seruus communis. §. quod verò ff. de furtis*, Bald. *in cap.* 1. *An agnat. in fin.* Vincent. de Franch. *decis.* 146. Alber. *in l. inter causas §. non omnia ff. mand. ibi in addit.* vbi subdit, hoc vltimum intelligi debe- 17
re, si ex parte capti nulla culpa intercesserit; Idemque dixit Ioan. de Plat. *in l.* 1. *in fin. cod. de re milit. lib.* 12. & Luc. de Pen. *in l. fin. Cod. de nau. non excus. in fin.* vbi subdit, quod, si naues sumptæ fuerint à Rege, inuitis Dominis, teneatur etiam Rex Dominis nauium compensare damnum, quod illæ passæ fuerint.

Item tandem ex eodem principio, potest 18
Princeps (etiam non remittente parte) pœnam

Reo remittere; quia si propter bonum commune, quod præfertur priuato, potest Princeps auferre alterius rem, poterit etiam, & auferre alterius ius; Quod si autem ità non exigit bonum commune, nullo pacto potest Princeps (non remittente parte) pœnam Reo remittere; quia sicut in isto casu non potest auferre alterius rem, ita neque poterit auferre alterius ius; immò tenetur ex officio ius suum vnicuique reddere; si tamen pars remittit, potest etiam tunc Princeps remittere; dummodo id publicæ vtilitati viderit non obfuturum;
19 quia Princeps tenetur non solùm satisfacere parti, sed etiam Reipublicæ, ad cuius bonum spectat, ne delicta remaneant impunita. Videatur S. Thom. *in 2. 2. quæst. 67. art. 4. in corp.* & Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.*
20 *1.* §. 4. *num. 6. & seq.* vbi subdit, quod propterea de facto nonnullæ gratiæ sine remissione partis à Rege factæ, ordine supremi Italiæ Concilij, tamquam irritæ, reuocatæ fuerint, de quibus videri poterit Regens de Ponte *loco suprà cit.* Ioan. Vincent. de Anna *in repet. cap. 1. de Vassallis de crep. ætat. num. 252.* Carauita *in ritu 271.* & Luc. de Pen. *in l. 1. num. 57. Cod. de desertorib. lib. 11.*



SECTIO XXXVIII.

An Princeps, quando certò nouit, alteram partem falsis probationibus niti, possit ex talibus probationibus contra eum, quem per priuatam scientiam certò nouit, causam iustam habere, sententiam ferre.

SVMMARIVM.

1. *Princeps, quin etiam in virtute ipsius quilibet Iudex, siue secularis, siue Ecclesiasticus in causis ciuilibus, & criminalibus minoribus quando certo nouit alteram partem falsis probationibus niti, potest contra eum, quem per priuatam scientiam certo nouit causam iustam habere, sententiam ferre, si non potuerit efficere adhibita omni industria, vt falsitas detegatur.*
2. *Princeps, & in virtute ipsius quilibet alius Iudex inferior siue secularis, siue Ecclesiasticus habet auctoritatem disponendi de bonis suorum subditorum, & illa de vno in alium transferendi, prout bono communi expediens fuerit, vt patebit in vsucapientibus, & præscriptoribus.*
3. *Princeps statuere potest, vt Iudex etiam inferior formam publicam indiciorum sequatur; quamuis inde fiat, vt bonis spoliare debeat illum, quem innocentem esse, & bonam causam habere priuatim nouit.*
4. *Spoliatus suis bonis per sententiam in falsis probationibus fundatam siue is, siue ipsius hæredes, potest occultis modis ea recuperare ab illo, cui fuerunt adiudicata, si absit scandalum, sententia enim iniusta materialiter neque aufert, neque confert ius.*
5. *Præsumptio cedere debet veritati.*
6. *Limita, prædicta in bonis fortunæ tantum procedere, non item in officiis, & beneficiis; nam cum quis per sententiam legitimo iuris ordine datam istis priuatur, vere amittit simul cum possessione dominium ipsorum, atque adeo possunt ista alteri valide conferri.*
7. *Spoliatus dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, non potest ea recuperare sicut alia bona; sed debet accipere à collatore, qui nihil faciet, nisi publice de illius innocentia constiterit, de qua si constiterit, Ecclesia potest ei compensare aliud beneficium conferendo.*
8. *Disparitas congrua dari potest inter causas ciuiles, & criminales; nam Respublica, vel supremus Princeps potest disponere de rebus, de quibus sunt causæ ciuiles, non autem de vita, & membris, de quibus potissimum sunt causæ criminales &c.*
9. *Innocentem occidere directe non licet ob nullum Reipublicæ bonum, etiam si in periculo proximo versetur; & multo minus in periculo remoto, cui alia via potest occurri: est enim intrinsece malum.*
10. *Iudex si matrimonium quod secundum publica allegata validum apparet, inualidum esse nouit, nullo pacto potest persuadere, nedum præcipere, vt Coniux alteri putatiuo Coniugi carnaliter adhæreat, cum hæc copula sit ab intrinseco mala; & eius potestatem Ecclesia nemini velit, ac possit concedere.*
11. *Minister iustitiæ, vt Carnifex &c. sententiam mortis exequi non potest in Reum condemnatum, quem certo nouit esse innocentem.*
12. *Idemque dicas de milite, non posse v. g. illum militare, si certo sciat bellum esse iniustum; quia in bello se habet minister Principis.*
13. *Innocenti secundum publicas allegationes condemnato non licet, causa suæ defensionis, publicæ potestati resistere; nam id sine scandalo fieri non potest; si ipsius innocentia publice non appareat.*
14. *Homo quod falsis probationibus probatur esse in culpa, non ob id detrahitur eius innocentiæ; nec propterea id facit eum ex non digno digum pœna.*
15. *Seruare iudiciorũ ordinem, & publicum bonum in hoc casu non est quid destinctum ab occisione huius hominis. Quod verum non est, imo potius est contrarium.*
16. *Iudex nisi certo sciret se non habere authoritatem in Reum, non potest illum iudicare; etiam si multi testarentur ipsum authoritatem habere; & ipsi mortem minarentur, nisi faceret, neque posset Reum condemnare, si sciret factum illius pœnam non mereri secundum legem.*
17. *Reus vt condemnetur pœna mortis requiritur non minus in eo veritas criminis, quam vera potestas in Iudice, & vera æquitas in lege, secundum quam debet indicare.*
18. *Iudex non potest innocentem ad mortem condemnare, etiam si officium suum deberet amit-*

tere; quia etiam si ipse alioquin occidendus esset à populo; quia hominem innocentem per se, ac directè occidere, nisi Deus iubeat est per se, & intrinsecè malum, sicut fornicare.

19. *Amplia, id etiam procedere in pœna mutilationis.*

20. *Contrarium saltem ob authoritatem vnius S. Thomæ, præsertim in casu quòd ex depositione officij magnum incommodum Iudici obueniret, est satis probabile.*

21. *Iudex in tali casu tenetur omnes vias & rationes tenere, quibus possit Reum innocentem liberare vt impediendo accusationem si potest, &c. quæ ibi per extensum recensentur.*

22. *Iudex ideo secundùm Auctores contrariæ sententiæ debet si aliter non potest condemnare innocentem; quia non iudicat vt persona priuata; sed vt persona publica.*

23. *Ratio supradictorum Doctorum confutatur, & quomodo.*

24. *Textus in cap. Pastoralis de offic. & potest. Iudicis Deleg. exponitur.*

25. *Iudex si priuatim nouit aliquem in testamento petere hæreditatem, quod priuatim nouit esse supposititium, idque nullis indiciis probari possit, poterit & hæreditatem adiudicare, imo tenetur, & ad id cogetur à Principe contra nonnullos docentes oppositum.*



1 Espondetur ex dictis *eadem sect.* 1. & 2. quod in causis ciuilibus, & criminalibus minoribus, in quibus agitur de pœna pecuniaria Princeps, quin etiam in virtute ipsius quilibet Iudex (siue secularis, siue Ecclesiasticus ille sit) quando certò nouit, alteram portem falsis probationibus niti (quamuis teneatur tunc omni industria priùs curare, vt falsitas detegatur, vel vt processus impediatur: Quod si tamen efficere tandem non potest) possit ex talibus probationibus contra eum, quem per priuatam scientiam certò nouit causam iustam habere, sententiam ferre.

2 Probatur, quia Princeps, & in virtute ipsius quilibet alius Iudex inferior (siue secularis, siue Ecclesiasticus ille sit) habet, vti suprà dicebam, authoritatem disponendi de bonis suorum subditorum, & illa de vno in alium transferendi, prout bono communi expediens fuerit, vt patet ex legibus vsucapionum, & præscriptionum; at hîc videtur esse iusta causa, sicque concessa Iudicibus talis potestas; quia quamplurimùm Reipublicæ interest, vt secundùm publicas allegationes, publica Iudicia terminentur, ne illorum forma cum populi scandalo peruertatur; Tum quia non suppetit ratio, qua particularis Ciuis incommodum in tali
3 casu auertatur; Ergo Princeps statuere potest, vt Iudex, etiam inferior, in tali casu formam publicam Iudiciorum sequatur; quamuis inde fiat, vt bonis spoliare debeat illum, quem innocentem esse, & bonam causam habere, priuatim nouit.

4 Confirmatur, quia hæc bona, si scandalum absit, recuperari possunt; non enim per sententiam istam materialiter iniustam homo ita illis priuatur, vt eorum dominium amittat, sicuti rectè docent Sotus *de iust. lib.* 3. *quæst.* 4. *art.* 5. Aragon. *quæst.* 60. *art.* 5. & alij; quia non est Principis ea mens, neque iustè esse potest; Cum sententia falsis probationibus nitatur: id enim esset absque necessitate calumniatoribus fauere; ergo potest homo occultis modis ea recuperare ab illo, cui fuerunt adiudicata; Et hinc rectè concludit Sotus, quòd sententia iniusta (materialiter) neque aufert, neque confert Ius; ideoque si ille, cui solutio facta est, vel ipsius hæredes postea intelligunt errorem, tenebuntur in conscientia restituere; siquidem sententia Iudicis nititur in falsa præsumptione; Præsumptio autem cedere debet 5 veritati.

Cæterùm, quod modò dicebam, intellige de 6 bonis fortunæ, non item de officiis, & beneficiis: nam cum quis per sententiam legitimo Iuris ordine datam istis priuatur, verè amittit simul cum possessione dominium ipsorum; atque adeo possunt ista validè alteri conferri, vt rectè dixit Abbas *loco suprà cit.* & *in cap.* 1. *de concess. preben.* & Innoc. *in cap. quia plerique de immunit. Eccles.* & ratio est, quia hæc posterioris generis bona sunt bona publica, de quibus Ecclesia, vel Papa, liberiùs potest disponere, quàm de bonis priuatorum; quapropter, quando causa subest, potest eorum, non solùm possessione, sed etiam dominio hominem priuare; At hîc iusta causa subesse videtur, tum ne dominia sint incerta (quod sæpè cœtus hominum perturbat) tum quia is, qui spolia- 7 tus est, non potest clam ea recuperare, sicut alia bona, sed debet accipere à collatore, qui nihil faciet, nisi publicè de illius innocentia constiterit; de qua si postea constiterit, potest Ecclesia aliter ei compensare, aliud beneficium ipsi conferendo; In bonis autem fortunæ sufficit, si Princeps spoliet sola possessione, sicuti suprà dicebam.

Hinc patet, quòd dari potest congrua dis- 8 paritas inter causas ciuiles, & criminales: nam, cum Respublica, vel supremus Princeps possit, vti dicebam, disponere de rebus, de quibus sunt causæ ciuiles, non autem de vita, & membris, de quibus potissimùm sunt causæ criminales, optima ratio desumitur, quare possit Princeps statuere in illis, vt seruetur iudiciorum contra priuatam scientiam, non autem possit in istis; Ideoque non possit Iudex in istis, sicuti potest in iis, condemnare Reum, qui per Testes legitimè probatus est criminosus, v. g. homicida, si eum per priuatam scientiam certò nouerit, esse innocentem.

Confirmatur, quia ob nullum Reipublicæ 9 bonum (etiamsi in periculo vertetur) licet directè innocentem occidere, ergo multò minùs licebit ob periculum remotum, & cui alia via potest occurri, sicuti contingit in casu nostro. Et ratio vlteriùs est, quia humana authoritate directè, & ex proposito occidere innocentem, est intrinsecè malum, sicuti cognoscere non suam; ergo sicut non potest homo reddere debitum mulieri, quam certò nouit non esse suam (etiam si millies probetur esse ipsius) ita non potest morte condemnare eum, quem nouit esse sine culpa.

Item

10 Item, sicut Iudex, si matrimonium, quòd secundum publica allegata validum apparet, ipse vero inualidum esse nouit, nullo pacto potest suadere, ne dum præcipere, vt Coniux alteri putatiuo Coniugi carnaliter adhæreat, cum hæc copula sit ab intrinseco mala, & eius potestatem Ecclesia nemini velit, nec possit concedere; ita à pari, Princeps, Communitas, vel Ius gentium neque volunt, neque possunt Iudici concedere potestatem, vt hominem, quem certò nouit esse innocentem, ad mortem condemnet. Et licet verum sit, quòd Ecclesia, & quæuis Communitas, vel Supremus Princeps velit Iudicem in publicis Iudiciis, etiam grauioribus, seu criminalibus, procedere secundùm publicas allegationes, id tamen verum est ex præsumptione, quòd illæ veræ sint: at si contrarium Iudici manifestum sit, non potest locus esse præsumptioni; ergò.

11 Ob eamdem rationem neque Minister Iustitiæ, vt Carnifex, &c sententiam mortis exequi potest in Reum condemnatum, quem certò nouit esse innocentem. Idemque dicas de milite, non posse scilicet illum militare, si certò nouit bellum esse iniustum: quia miles in bello se habet, vt Minister Principis, ad exequendam pœnam, vt alibi suprà dicebam.
12

13 Hinc tamen non inferas, quod ipsi etiam innocenti secundùm publicas allegationes condemnato liceat, causa suæ defensionis publicæ potestati resistere; nam id sine scandalo fieri non potest, si ipsius innocentia publicè non appareat; qua de re videri potest Couar. *lib.* 1. *resol. cap.* 2. *num.* 13. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 4. *in fin.* & Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 3.

14 Neque dicas contra id, quod suprà dixi, quòd homo in casu nostro probatur esse in culpa.

Respondetur enim, quod hoc nihil detrahit eius innocentiæ, nec propterea facit eum ex non digno dignum pœna; ideoque ob id nullo pacto puniri potest, vti dicebam.

15 Neque dicas secundò, quòd Iudex in tali casu intendit seruare iudiciorum ordinem, & publicum bonum, cui per accidens coniuncta est occisio Innocentis; Sicut qui occidit alterum causa suæ defensionis, intendit conseruationem suam, cui per accidens, & indirectè coniungitur occisio inuasoris.

Respondetur enim, quòd seruare iudiciorum ordinem, & publicum bonum in hoc casu non est quid distinctum ab occisione huius hominis, sicuti est in exemplo allato: nam directè per huius hominis occisionem intenditur hæc conseruatio, quin-imo condemnatio, & occisio ipsa huius hominis formaliter putatur esse conseruatio ordinis iudiciorum, & consequenter boni publici; Quod non est ibi, imo contrarium; quapropter ad exemplum allatum patet disparitas.

16 Confirmatur secundò, quia si Iudex certò sciret, se non habere authoritatem in Reum, non posset illum iudicare (etiam si multi testatentur ipsum authoritatem habere; Et ipsi mortem minarentur, nisi faceret) neque posset Reum condemnare, si sciret, factum illius pœnam non mereri secundùm legem; ergo neque etiam poterit Reum condemnare, quando certò scit, illum esse innocentem. Consequentia probatur, quia ad condemnandum 17 aliquem pœna mortis, non minùs requiritur veritas criminis in Reo, quàm vera potestas in Iudice & vera æquitas in lege, secundùm quam debet iudicare, ergo, &c.

Atque ita docet Nicolaus Liranus *in cap.* 23. *Exod.* explicans, Ly, *innocentem, & iustum*; Adrianus *quodlib.* 8. *art.* 3. Angel. *verb. iudicare, num.* 7. Rosell. *verb. Iudex* Hostien. Calderin. & Abb. *in cap. Pastorali*, *& cap. super. quæstion. de offic. Delegat.* Sylu. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 2. *concl.* 2. Petr. Nauarr. *de iust. cap.* 3. *num.* 161. Malder. 2. 2. *tract.* 6. *cap* 1. *dub.* 13. Sà *verb. Iudex, num.* 13. & alij multi; quos citat Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 1. *num.* 13. qui omnes subdunt, quod Iudex non possit in- 18 nocentem ad mortem condemnare (etiamsi officium suum deberet amittere; quin-imò etiamsi ipse alioquin occidendus foret à populo) quia hominem innocentem per se ac directè occidere, nisi Deus iubeat, est per se, & intrinsecè malum, sicuti fornicare, vti suprà dicebam.

Idem etiam dicendum videtur de pœna mu- 19 tilationis, vt præter alios docet Syl *verb. Iudex* 2. *qu.* 5. & Raymund. *in sua Glossa*, & ratio est, quia etiam in hac pœna homo non est subditus dispositioni Reipublicæ, vel Principis; ita vt Respublica, vel Princeps possit eam pœnam innocenti inferre, quam solum inferre potest ob verum delictum.

Fateor tamen, quod contrarium, saltem ob 20 authoritatem vnius S. Thomæ *in* 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. (præsertim in casu, quod ex depositione officij magnum incommodum Iudici obueniret) sit satis probabile, & tenent Caiet. Bannes, Salon. & Aragon. ibidem, Sotus *de iust. & iur. lib* 5. *quæst.* 5. *art.* 2. Valent. *tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 11. *punct.* 2. Sayr. *in Claui Regia lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 13. Tanner. *tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 2. *num.* 51. Strouerdof. *de iust. & iur. quæst.* 67. *art.* 2. *concl.* 2. & complures alij Theologi; Item Couarr. *cit. num.* 6. & alij complures Iuristæ, quos ipse citat, qui omnes docent, quòd (quamuis Iudex in tali casu teneatur omnes vias, & rationes tenere, quibus possit Reum innocentem liberare, 21 vt impediendo accusationem si potest, sæpè sæpius, & per interualla examinando testes, an aliquid varient, extrahendo iudicium, aperiendo carcerem, si commodè, & sine scandalo potest; Et si his modis iuuare non potest, teneatur causam remittere ad Superiorem, & persona Iudicis deposita officium Testis assumere apud Superiorem, si putet eum hac via liberare posse; quibus modis si liberare illum non potest, & pars aduersa vrget Rei condemnationem) possit Iudex, quin & teneatur, illum, (quamuis priuatim nouerit esse innocentem) secundùm allegata, & probata, etiam ad mortem condemnare, si sic causa postulauerit.

Ratio ipsorum potissima est, quia Iudex non 22 iudicat, vt persona priuata, sed vt persona publica, ergo non debet sequi scientiam priuatam, sed scientiam publicam.


Confirmant Caiet. & Couarr. *en locis suprà cit. ex cap. Pastoralis §. quia verò, de offic. & potest Iudic, Deleg. ibi : Attendentes, quod non cognitio, sed exequutio tantum demandatur eidem, Respondemus, quòd, cum ordinarius teneatur obsequi Delegato, & si sciat sententiam illam iniustam exequi, nihilominus tenetur eamdem, &c.* Ergo si Minister tenetur exequi sententiam, quam nouit esse iniquam, vt sequatur Iudicem, multò magis tenebitur Iudex sequi allegata, & probata.

23 Sed ad rationem istorum Doctorum responderi potest, quòd ex illa benè sequatur, quod Iudex ex priuata scientia non possit authoritate iudiciaria condemnare, vel absoluere, non tamen inde sequitur, quòd teneatur sequi publicam scientiam in condemnando, quando certò nouit, illam scientiam non esse aliud, quàm iniquum errorem, & calumniam; alioquin quod pro iustitia seruanda est introductum, ad iniuriam detorqueretur.

24 Ad confirmatiouem Caiet. & Couarr. respondetur, quòd Pontifex ibi loquatur de illo, qui metus est exequutor, & nullam habet causæ cognitionem: talis enim vltrò concedo, quod teneatur exequi Delegati sententiam, quam scit esse iniustam, nempe contra ius Rei tantùm; Quia cùm is non appellet, videtur cedere iuri suo, vel crimen agnoscere: nam si putaret sibi iniuriam fieri per sententiam Delegati, deberet ab illo ad Papam appellare; Non tamen potest eam exequi, si sciat esse nullam, vt si lata foret authoritate falsarum litterarum, vel per falsa instrumenta, vel per dolum Aduersarij, &c. tunc enim debet supersedere exequutionem, vt rectè notat Glossa ibi, & ratio est; quia sicùt intrinsecè malum est, te iubere occidi eum, quem certò scis esse innocentem, ita intrinsecè malum est, te hæc iussa exequi. Confirmatur, quia ex communi sententia Doctorum, qui certò nouit bellum esse iniustum, non potest ascribi, & militare (quod est sententiam Principis contra hostes exequi) etiam si Princeps iubeat; ergo similiter, si certò scit hunc iniquè esse condemnatum, non potest sententiam exequutioni mandare; quamuis secùs, si non esset moraliter certus de innocentia, vel iniqua condemnatione, quia tunc potest quin & debet Superiori credere, & ei se conformare.

25 Cæterum, si quis in iudicio peteret, v. g. hæreditatem ex testamento, quòd Iudex priuatim nouit esse suppositititium, attamen id nullis indiciis probari potest, poterit Iudex ei hæreditatem adiudicare, imò tenetur, & ad id cogetur à Principe; Quamuis Liranus, Angelus, Abbas *in locis suprà cit.* & quidem alij Canonistæ doceant oppositum, quòd scilicet non possit Iudex, etiam in ciuilibus, sicut in criminalibus, contra eum, quem priuatim nouit iustam causam habere, ferre sententiam.

Ad hæc istorum Doctorum opinio facilè refellitur ex his, quæ suprà dicebam: nam in ciuilibus, postquam Iudex omnem adhibuit diligentiam, vt eum liberaret, & non potuit, quia pars aduersa vrget, potest, quin & tenetur Iudex contra eum, quamuis certò sciat, quòd iustam causam habeat, sententiam ferre secundum allegata, & probata; ad eum modum, quo S. Thom. Caiet. Couarr. & alij *in locis suprà cit.* philosophantur in criminalibus; & ratio huius rei patet ex dictis; quia scilicet potest Princeps faciliùs disponere de bonis subditorum, quàm de vita, & membris illorum.



SECTIO XXXIX.

An possit Princeps aliquando remittere iuramentum?

SVMMARIVM.

1. *Superior etiam sæcularis, quando metu, fraude vel aliqua alia iniustitia iuramentum extortum est, sicut potest sua auctoritate remittere solutionem, potest etiam remittere iuramentum.*
2. *Summus Pontifex, & Episcopus, & qui auctoritatem quasi Episcopalem habet, potest primò iuramenta remittere, seu relaxare, maximè si qui sic exigit, est ei subiectus, quia Superior subditos suos cogere potest vt ab iniuria desistant, eamque relaxent.*
3. *Idem dic si is qui iniuriam passus est, est subditus, licet non sit subditus iniurians.*
4. *Superior illius qui extorsit iuramentum, opus non est, vt interpelletur, vt subditum suum compellat ad iuramentum relaxandum.*
5. *Iuramentum, quo quis vsurario promisit soluere vsuras, ab Episcopo relaxari potest.*
6. *Superior si ipse læsus sit iuramento potest in tali casu ipse sibimetipsi iuramentum relaxare; quia non debet esse inferioris conditionis, quam subditus.*
7. *Prælatus potest etiam directè sibi dispensare in votis propriis quamuis iuratis.*
8. *Prælatus indirectè non est dubium quin non possit in votis propriis quamuis iuratis dispensare dando alicui ex subditis potestatem, qua in ipsius votis dispenset.*
9. *Episcopus si incidat in casum Pontifici reseruatum à quo ipse alios potest absoluere, potest etiam dare subdito potestatem, vt ab illo ipse absoluatur.*
10. *Idem dic propter eandem rationem de Vicario Episcopi, & Vicario Superioris Regularis; quod scilicet si incidat in casum suo Superiori reseruatum possit dare alteri potestatem, vt ab illo ipse sine licentia sui Superioris absoluatur, si tamen potestatem sublegandi à Superiore habeat.*
11. *Prælatus sicut potest ex iusta causa dispensare cum suis subditis in legibus etiam Superiorum, vt in lege ieiunij, esus carnium, audiendi sacri, recitandi officij, & similibus; ita ex iusta causa potest dispensare sibimetipsi in iisdem legibus.*
12. *Superior quando causa subest potest se eximere*

ab obligatione, quam iure naturæ contraxit occasione legis propriæ.

13. *Papa, Episcopus, &c. potest sibi metipsi conferre indulgentias absoluendo semetipsum à debito pœnæ.*

14. *Iurisdictio postulat per distinctionem personarum exerceri, vel quia est coactiua, vel quia est contentiosa, vel quia pertinet ad absolutionem Sacramentalem; sed iurisdictio, quæ requiritur ad dispensationem voti nihil horum est.*

15. *Nemo potest seipsum excommunicare; quia excommunicatio fertur per modum sententiæ, quam nemo potest ferre in seipsum.*

16. *Indulgentiæ non dantur per modum sententiæ; sed per modum dispensationis.*

17. *Votorum dispensatio nihil aliud est, quam quædam condemnatio nomine, & auctoritate Dei facta.*

18. *Distribuens aliquid nomine alterius, potest etiam sibi ipsi quid applicare, & se ipsum numerare inter illos, quibus facienda est distributio, si eadem causa in ipso locum habeat.*

19. *Quæstor potest sibi ipsi soluere, & pauper eleemosynas pauperibus nomine alterius sib iipsi applicare saltem ex parte.*

20. *In iurisdictione voluntaria potest quis sustinere vices plurium personarum; dummodo exercitium vnius actus non impediat exercitium alterius actus.*

21. *Filius familias, si Præses sit, potest se ipsum apud se ipsum emencipare, vel in adoptionem dare.*

22. *Consul potest apud se ipsum manumittere seruum suum, & representare personam Consulis, & personam Domini manumittentis.*

23. *Idem secundum diuersas qualitates, & officia potest se ipso esse superior, & inferior.*

24. *In naturalibus etiam idem potest agere in se ipsum, & sic esse agens, & patiens, seu receptiuum, vt patet cum homo, vel Angelus operatur vitaliter.*

25. *Dispensatio non requirit maiorem distinctionem, quam requirat actus iustitiæ; sed eiusdem ad se ipsum secundum diuersas rationes, & officia potest esse actus iustitiæ, &c.*

26. *Collator non potest sibimetipsi beneficium conferre, quia inter dantem, & recipientem debet esse distinctio Personarum.*

27. *Patronus non potest semetipsum præsentare hoc enim peculiariter statutum est in collatione, & præsentatione beneficiorum; & merito quia nemo se ingerere Ecclesiasticæ Prælationis officiis quamuis sit idoneus; tum quia perniciosum esset exemplum, &c.*

28. *Eligere se ipsum quis potest, nisi forte sit solus elector, quia id non est iure prohibitum; non enim tunc à se solo ius accepit; sed etiam à Coelectoribus.*

29. *Tutor in rem suam Auctor fieri non potest; id est non potest dare Pupillo auctoritatem in negotio, quod ad se ipsum tutorem principaliter spectat.*

30. *Priores, Præpositi, Guardiani, Rectores, &c. imo etiam Vicepriores, & Vicerectores, qui in absentia eorum regunt, quia hi omnes habent iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, vt sunt Pastores ordinarij Regularium, sicut Episcopi sæcularium, possunt sibi dispensare in votis etiam iuratis in quibus possunt subditos dispensare.*

31. *Superior Monasterij facultates, & dispensationes, quas potest aliis concedere, potest etiam concedere sibimetipsi, quando aliter in ea Religione statutum non est.*

32. *Regulares possunt etiam huiusmodi iuramenta, metu scilicet, vel per aliam iniuriam extorta remittere, seu relaxare, quibus per priuilegium Sedis Apostolicæ concessum est relaxare vota, & iuramenta, quorum remissio non est in preiudicium Tertij.*

33. *Potestas etiam sæcularis potest remittere, seu relaxare huiusmodi iuramenta metu similiter, & per aliam iniuriam extorta.*

34. *Directa relatio vinculi iuramenti, quæ fit per modum dispensationis, vel absolutionis, solum spectat ad Ecclesiasticos Prælatos, cum sit quædam remissio ex parte Dei facta per eius Ministrum, cuiusmodi potestas est omnino Ecclesiastica, & spiritualis.*

35. *Indirecta iuramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ, vel supplendo vicem eius, cui iuratum est, & qui remittere debebat pertinere potest etiam ad ciuilem, seu sæcularem potestatem, dummodo materia sit temporalis, & materia cui remittitur subiecta.*

36. *Potestas ciuilis, vel laicalis, si bonum commune sic postulet, adeo aliquam promissionem, vel contractum prohibere potest, vt quamuis iuramentum subditi accedat, nulla omnino ex eo obligatio oriatur.*

37. *Potestas ciuilis debet esse sibi sufficiens ad prohibendum, & remouendum ea, quæ fini suo, & bono Communitatis sunt obnoxia, cuiusmodi sunt quorumdam pactorum obligationes; alioquin deluderetur publica potestas.*

38. *Limata prædicta intelligenda non esse de directa prohibitione obligationis iuramenti; cum hæc sit spiritualis, & laicali iurisdictioni non subiecta; sed solum de prohibitione indirecta.*

39. *Indirecta prohibitio duobus modis contingere potest; vno modo si Laica Potestas, iusta lege data, exequutionem, siue solutionem rei taliter promissa prohibeat, illicitamque reddat, ad improborum hominum fraudes & iniurias arcendas: altero modo.*

40. *Quotiescumque Sæcularis Potestas recipientem, seu exigentem iuramentum ratione fraudis, violentiæ, vel alterius causæ iustæ scil. compellere potest ad eius relaxationem.*



Espondetur ex dictis *sect. 2. ad 2. argum.* quòd quando metu, fraude, vel aliqua alia iniustitia iuramentum extortum est, Superior, etiam sæcularis, qui sua authoritate potest remittere solutionem, possit & remittere iuramentum; 11

Probatur; quia, sicut si qui extorsit, remittat, euanescit obligatio iuramenti, ita etiam eadem euanescit, si Superior, qui potest eum cogere ad remittendum, condonet: hæc enim condonatio Superioris supplet vicem condonationis, quam faceret inferior. Vide suprà

tit. sect. 2. ad 2. argumentum, & infra, tract. 8. de iuramento.

Hac ratione igitur huiusmodi iuramenta remittere, seu relaxare potest.

2 Primò Summus Pontifex, & Episcopus, & qui authoritatem quasi Episcopalem habet, maximè si qui sic exigit est ei subiectus, quia Superior subditos suos cogere potest, vt ab iniuria desistant, eamque relaxent; Retinere autem alterum iuramento obstrictum, assidua iniuria est, assiduaque afflictio; ergo, si Superior cogere illum potest, vt relaxet, ipse etiam Superior sua authoritate relaxare poterit: Sicut, quando subditus lege iustitiæ tenetur ad solutionem, vel restitutionem, potest Superior ex bonis subditi restituere, si subditum ob absentiam, vel potentiam cogere ad hoc non possit.

Si autem qui extorsit, non est subditus, maior videtur difficultas, quia condonatio tua non videtur posse supplere condonationem alterius, qui tibi non subest, cùm tu in illum non habeas ius.

3 Nihilominus adhuc etiam dicendum videtur, te posse relaxare, si is, qui iniuriam passus est si tuus subditus; quia tunc, ratione iniuriæ subdito tuo illatæ, ius in alterum habes, quo illum ad iuriam tollendam compellere possis (præsertim si Superior illius id facere recuset) ergo & tunc etiam ex bonis illius subdito tuo restitutionem facere poteris si damnum ei esset secutum.

4 Imo non videtur esse opus, vt Superior illius, qui extorsit iuramentum, interpelletur vt subditum suum compellat ad iuramentum relaxandum; quia cum tu ratione iniuriæ subdito tuo illatæ, satis ius habeas ad illum compellendum si non potes compellere ob eius absentiam, vel potentiam, poteris ipsemet condonare.

5 Hinc Doctores *in cap. debitores, de iureiur.* generatim docent, quòd iuramentum, quo quis vsurario promisit soluere vsuras, ab Episcopo relaxari possit.

6 Quod autem dixi de Superiore in ordine ad subditum, si læsus sit, idem intelligas de Superiore in ordine ad seipsum, si ipse læsus fuerit; quòd possit scilicet Superior in tali casu etiam sibimet ipse iuramentum relaxare, quia non debet Superior esse deterioris conditionis, quàm subditus; quare Doctores in materia de

7 voto docent, Prælatum posse, etiam directè, sibi dispensare in votis propriis, quamuis iuratis.

8 Dixi, *directè* quia non est dubium, quòd possit indirectè, nimirum dando alicui ex subditis potestatem, qua in ipsius votis dispenset: sicut enim potest Prælatus Sacerdoti subdito dare potestatem, qua ipsum absoluat à peccatis, etiam reseruatis, vt colligitur *ex cap. fin. de pœnit. & remiss.* (v. g. si Episcopus incidit in casum Pon-

9 tifici reseruatum, à quo ipse alios potest absoluere, potest etiam dare subdito potestatem, vt ab illo ipse absoluatur; Idemque contra Iacobum de Graffis *in append. ad decis. aur. lib. 3. cap. 8. num. 22.* & Alterium *de censur. tom. 2. disp. 8. cap. e. concl. 4. num. 3.* propter eandem

10 rationem dico de Vicario Episcopi, & Vicario Superioris Regularis, quod si scilicet incidat is in casum suo Superiori reseruatum, possit etiam dare alteri potestatem, vt ab illo ipse sine licentia sui Superioris absoluatur, si tamen potestatem subdelegandi à Superiore habeat, vti Sacra Cardinalium Congregatio Tridentini Concilij declarauit *in sess. 24. de reform. cap. 6.* & docent communiter Doctores, Paluran. *in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 4.* Syluest. *verb. Confessor., 1. quæst. 9.* Henriq. *lib. 14. cap. 18. num. 3.* Suarez *tom. 4. disp. 41. sect. 2. num. 9.* Maiolus *de irregularit. lib. 5. cap. 21. num. 7.* Sair. *de censur. lib. 7. cap. 9. num. 5.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 3. num. 3. & lib. 2. moral. cap. 11. nu. 11. & lib. 4. cap. 37. num. 41.* Vgolin. *de potest. Episc. cap. 39. num. 2.* Floron. *de casib. reseruat. part. 1. cap. 3. §. 1. num. 3.* Riccius *in praxi part 1. resol. 445. num. 2.* Bellett. *in disquisit. Cler. part. 1. tit. de disciplina Cleric. §. 1. num. 54.* Naldus *verb. casus num. 6.* Sà *verb. Confessor. num. 16.* Layman. *lib. 5. tract. 4. cap. 22. num. 33.* vbi rectè ait, quod nihil prohibet quominus alter alteri iurisdictionem committere possit erga seipsum exercendam; vnde Papa committit Confessario iurisdictionem absoluendi seipsum à peccatis, vti docet *S. Bonauent. in 4. distinct. 19. art. 3. quæst. 1.*) ita etiam poterit Prælatus Sacerdoti subdito dare potestatem, qua liberet seipsum ab obligatione voti, quamuis iurati, ne Superior sit, vti suprà dicebam, deterioris conditionis, quàm subditi.

Et doctrina hæc de voto, quamuis iurato, 11 communiter à Doctoribus tradita, probatur vlterius; quia sicut Prælatus potest ex iusta causa dispensare cum suis subditis in legibus, etiam Superiorum (vt in lege Ieiunij, esus carnium, audiendi sacri, recitandi officij, & similibus) ita ex iusta causa per omnes potest dispensare sibimet ipsi in eisdem legibus, ergo sicut potest ex iusta causa dispensare in votis subditorum, quamuis iuratis, ita etiam poterit ex iusta causa dispensare sibimetipsi in votis suis, quamuis similiter iuratis; Consequentia probatur, quia non plus iurisdictionis requiritur in seipsum, quam in subditos, vt patet in exemplo allato de legibus.

Confirmatur, quia Superior, quando causa 12 subest, potest se eximere ab obligatione, quam iure naturæ contrahit occasione legis propriæ, ergo & ab obligatione, quam contrahit ratione voti proprij, quamuis iurati.

Confirmatur secundò, quia Papa, Episcopus, 13 &c. potest sibimetipsi conferre Indulgentias, absoluendo semetipsum à debito pœnæ (sicuti rectè dixit Henriq. *lib. 6. cap. 8. & lib. 7. cap. 32. num. 3.* Suarez. *3. part. tom. 4. disput. 52. sect. 1. & lib. 6. de legib. cap. 12. & lib. 6. de voto cap. 11.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 12.* contra Riccard. *in 4. dist. 20. art. 4. quæst. 4.* & Paludam. *quæst. 4. art. 3. concl. 5.*) ergo & poterit semetipsum absoluere à debito voti, quamuis iurati.

Confirmatur tertiò, quia, si quid obstaret, 14 cur non posset Prælatus in voto sibi dispensare, id esset defectu iurisdictionis in seipsum (quia nemo potest in seipsum iurisdictionem exercere; vnde nemo potest seipsum à peccatis absoluere, censuris ligare, vel liberare) sed hoc non obstat, ergo. Minor probatur, quia non magis

requiritur hæc iurisdictio in dispensatione votorum, quàm in dispensatione legum, collatione Indulgentiarum, & obligatione per suas leges, sed defectus Iurisdictionis in seipsum non impedit quominus quis hæc possit in seipsum præstare, vt patet ex dictis suprà; tum ex eo, quia quod iurisdictio postulet distinctionem personarum, est vel quia est coactiua, quæ exercenda sit in inuitum, vt est potestas inferendi censuras; vel quia est contentiosa inter partes ius distribuens (non enim æquum videtur, vt quis in causa sua sibi ius dicat, contrà ius aduersarij se opponentis: nam sic esset sibi simul iudex, & Reus) vel quia pertinet ad absolutionem sacramentalem, quæ iure diuinò postulat distinctionem iudicis, & Rei; sed iurisdictio, quæ requiritur ad dispensationem voti, nihil horum est, vt per se patet: ergo non est, cur requiret distinctionem personarum.

16 Confirmatur quartò ex S. Thom. *in 4. dist. 20. quæst. vnica, art. 5. ad 3.* ibi enim docet neminem posse seipsum excommunicare, quia excommunicatio fertur per modum sententiæ, quam nemo in seipsum ferre potest (cum idem non possit esse Iudex, & Reus) posse tamen sibi concedere Indulgentias, quia Indulgentiæ, non dantur per modum sententiæ, sed per modum dispensationis: ergo ad mentem S. Thom. clarè sequitur, posse Superiorem seipsum eximere ab obligatione sui voti, qnamuis iurati; quia hic est propriè dispensatio.

Confirmatur quintò, quia si in dispensationibus requireretur distinctio personarum, sicut in inferendis, & tollendis censuris, non posset quis esse particeps dispensationis a seipso collatæ communitati, sicut non potest incurrere censuras à se ipso fulminatas in communitatem, quod est contra S. Thom. vbi suprà, quem communiter sequuntur Doctores.

Confirmatur sextò. quia dispensatio voto-
17 rum nihil aliud est, quam quædam condonatio nomine, & authoritate Dei facta; sed condonatio non requirit distinctionem personarum; ergo. Minor probatur, quia, qui habet v. g. authoritatem condonandi omnibus debentibus aliquid Regi, potest etiam, & sibi, si & ipse debeat aliquid Regi; condonare; Et
18 qui habet aliquid distribuendum nomine alterius, potest etiam sibi ipsi quid applicare, & seipsum numerare inter illos, quibus facienda est distributio, si eadem causa in ipso locum habet; sic quæstor potest sibi ipsi soluere, & pauper eleemosynas pauperibus nomine al-
19 terius distribuendas sibi ipsi applicare, saltem ex parte.

Confirmatur septimò, quia, vt rectè dixit
20 Abb. *in cap. ex litteris, num. 11. de probat.* in iurisdictione voluntaria potest quis sustinere vices plurium personarum, dummodo exercitium vnius actus non impediat exercitium alterius actus; Idque probat *ex leg. si Consul. ff. de adoptionibus*, vbi dicitur, quod filius fami-
21 lias, si Præses est, possit seipsum apud seipsum emancipare, vel in adoptionem dare; *& ex leg. vna, ff. de offic. Consul.* vbi consul potest
22 apud seipsum manumittere seruum suum; & sic repræsentare personam consulis, & perso-
23 nam Domini manumittentis; quia idem secundum diuersas qualitates, & officia potest seipso esse Superior, & inferior, vt patet in Pontifice, qui simul est Pontifex, & Princeps sæcularis: in Episcopo, qui simul est Episcopus, & Canonicus, & in Rege, qui simul est Rex, & Dux, vel Comes coronæ subiectus, seu Vassallus. Idem patet in omni alio Prælato, & Superiore, in quo, vt ita dicam, est qualitas Superioris, & qualitas personæ priuatæ; quapropter gratias, & beneficia, quæ Superior in inferiores diffundit, potest etiam in seipsum diffundere: nam, vt Superior, habet, veluti vim actiuam; & vt persona priuata, habet
veluti potentiam receptiuam; Neque hoc de- 24
bet esse mirum, quia in naturalibus etiam idem potest agere in seipsum, & sic esse agens, & patiens, seu receptiuum, vt patet, cum homo, vel Angelus operatur vitaliter.

Confirmatur octauò. quia dispensatio non 25
requirit maiorem distinctionem. quàm requirat actus iustitiæ; sed eiusdem ad seipsum, secundum diuersas rationes, & officia. potest esse actus iustitiæ, vt patet quando quæstor, vt debitor, nomine Regis sibi ipsi soluit, vt creditori, & quando Christus, vt homo, sibi ipsi satisfecit, vt Deo, ergo &c.

Obiicies: collator non potest sibimetipsi 26
beneficium conferre, vt habetur *in fin, de instit.* quia, vt ibi dicitur, inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personarum:
similiter Patronus non potest se metipsum præ- 27
sentare, vt habetur *in cap. per nostras, de iur. patronat.* ergo.

Respondetur argumentum hoc plus probare 28
quàm intendit; quare signum est, quòd non sit firmum: nam, si firmum esset, non posset Prælatus voti sui dispensationem alteri cómittere, sicuti non potest collator commitere suam potestatem alteri, qui ipsi collatori beneficium conferat, vt rectè ibidem ex communi docet Abb. *nu. 6.* quapropter dicendum, quod hoc peculiariter statutum sit in collatione, & præsentatione beneficiorum; & meritò; quia nemo debet se ingerere Ecclesiasticæ Prælationis officiis, quamtumuis sit idoneus, vt habetur *in cit. cap. per nostras*, Tum quia perniciosum esset exemplum, si quis prouideret sibi, quæ aliis conferre tenetur, vt ait Abb. ibi: Potest tamen quis seipsum eligere (nisi fortè sit solus elector) quia id non est iure prohibitum: non enim tunc à se solo ius accipit. sed etiam à coelectoribus; Et præterea rarissimè euenit, vt sic quis promoueatur.

Obijcies secundò: contrarium colligitur, *ex l. 1. ff. de auctor. & consens. Tutor.* ergò.

Respondetur: nego antecedens, & dico le- 29
gem istam non facere ad rem: solum enim ibi dicitur, tutorem in rem suam authorem fieri non posse, idest, non posse dare pupillo authoritatem in negotio, quod ad seipsum tutorem principaliter spectat; Non autem dicitur, vt aduersarij contendunt, neminem posse præstare authoritatem in facto proprio: id enim falsum est (vt patet in exemplis allatis, & multis aliis) quamuis verum sit, cum agitur de rationabili præiudicio alterius. Videatur Abb. *loc. suprà cit.*

Ex dictis igitur non solum Pontifex potest in

votis propriis, ſicque etiam, propter eaſdem rationes, in iuramentis, & votis iuratis, ex cauſa iuſta, ſibi diſpenſare, ſed etiam poteſt Epiſcopus; Idque in omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare, quia rationes omnes, quas ſuprà adducebam, hic etiam

30 locum habent: Idem dico de Prælatis Regularium, qui communitati præſunt, vt ſunt Priores, præpoſiti, Guardiani, Rectores, &c. Immò etiam Vicepriores, & Vicerectores, qui in abſentia illorum regunt; quia hi omnes habent iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, in ſubditos, & ſunt Paſtores ordinarij Regularium, ſicut Epiſcopi ſæcularium. Videatur Sotus *lib. 7. de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 75. Sylu. *verb. votum* 4. *num.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 3. *num.* 6. *& ſeqq.* Suarez *in locis ſuprà cit.* Molina *diſp.* 248. (vbi ait,

31 quod ſuperior Monaſterij facultates, & diſpenſationes, quas poteſt aliis concedere poteſt etiã concedere ſibimetipſi quando aliter in ea Religione ſtatutum non eſt) Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 31. *&* 32. Sà *verb. Religio* (vbi inquit, quod Prælati in Religione poſſint ſecum diſpenſare, ſicut cum ſubditis) Et hanc ſententiam rationabilem eſſe, tenet Fumus *verb. Monachus, num.* 9. Idemque colligitur ex Caiet. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. *dub. vlt.* Sylu. *verb. lex num.* 14. Soto *lib.* 1. *de iuſt. & iur. quæſt.* 6. *art.* 1. & aliis, qui docent, poſſe ſuperiorem ſecum diſpenſare in lege Ieiunij, & in aliis, in quibus poteſt diſpenſare cum ſubditis, idque ne ſit, vti dicebam, deterioris conditionis, quàm ſubditi; qua propter, ad mentem iſtorum Doctorum, Superior poterit, etiam ſecum, diſpenſare in votis, iuramentis, & votis iuratis; cum in omnibus his ſit eadem ratio.

32 Secundò poſſunt huiuſmodi iuramenta, metu ſcilicet, vel per aliam iniuriam extorta remittere, ſeu relaxare Regulares, quibus per Priuilegium Sedis Apoſtolicæ conceſſum eſt, relaxare vota, etiam iurata, & iuramenta, quorum remiſſio non eſt in præiudicium Tertij: cum enim iuramentum per iniuriam extortum eſt, nullum ius propriè acquiritur extorquenti, vel alteri, in cuius fauorem extortum eſt; ac proinde in tali caſu iuramenti relaxatio non cenſetur eſſe in eius præiudicium, ideſt in eius iniquum damnum, Petr. de Ledeſma *de matrim. quæſt.* 47. *art.* 3. *dub.* 3. & alij paſſim.

33 Tertiò poteſt huiuſmodi iuramenta, metu ſimiliter, vel per aliam iniuriam extorta, remittere, ſeu relaxare poteſtas etiam ſæcularis, vt ſuprà *cit. ſect.* 2. *ad* 2. *argum.* contra Couarr. & Rodrig dicebam, non quidem directè (vt ſentire videntur Molina *cit. diſp.* 149. Mynſiger *cent.* 3. *obſeruat.* 99. & Andr. Gaill. *lib.* 1. *obſeruat.* 25.) ſed indirectè (ſicuti rectè docent Suar. *lib.* 2. *de iuram. cap.* 41. *num.* 16. Sanch. *lib.* 3. *moral. cap.* 22. *num.* 13. & Guttierez. *in auth. Sacramenta puberum*

34 *num.* 46.) ità vt directa relaxatio vinculi iuramenti, quæ fit per modum diſpenſationis, vel abſolutionis, ſolùm ſpectet ad Eccleſiaſticos Prælatos (cum ſit quædam remiſſio ex parte Dei facta per eius Miniſtrum, cuiuſmodi poteſtas eſt omninò Eccleſiaſtica, & ſpiritualis)

Et forſan in hunc ſenſum loquuntur Couarr. & Rodriq. *in locis ſupra cit.* vbi negant, quod poteſtas ſecularis poſſit remittere iuramenta) 35 indirecta autem iuramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ, vel ſupplendo vicem eius, cui iuratum eſt, & qui remittere debebat, pertinere poſſit etiam ad ciuilem, ſeu ſecularem poteſtatem, dummodo materia ſit temporalis, & perſona cui remittitur, ſit ſubdita; Qua de res dicam diffuſius infrà, *ſect.* 41.

Ex dictis inferas ad ſententiam, quam cum 36 Molina *cit diſp.* 149. & Sanchez *cit. cap.* 22. *num.* 10. tradebam (quidquid in contrarium ſentire videantur Couarr. *par.* 2. *§.* 1. *num.* 18. & Guttierez. *loco cit. num.* 152.) quòd poteſtas ciuilis, ſeu laicalis, ſi Reipublicæ bonum commune ſic poſtulet, adeò aliquam promiſſionem, vel contractum prohibere poſſit, vt quamuis iuramentum ſubditi accedat, nulla omninò ex eo obligatio oriatur.

Ratio, quia poteſtas ciuilis debet eſſe ſibi 37 ſufficiens ad prohibendum, & remouendum ea, quæ fini ſuo, & bono communitatis ſunt obnoxia, cuiuſmodi ſunt quorumdam pactorum obligationes; Alioquin deluderetur publica poteſtas, & publica iuſtitia, ſi improbi homines, quod vnâ viâ, ſiue obligatione pacti, conſequi non poſſunt, aliâ viâ, ſiue obligatione iuramenti, conſequerentur; Tum quia poteſtas ciuilis iuramenti iam contractam obligationem indirectè remittere, ſeu relaxare poteſt, vti ſuprà dictum eſt, ergo & poterit prohibere, ſeu impedire, quominus à Principio contrahatur.

Inferas ſecundò, quod ſententia noſtra tradita intelligi non debeat de directa prohibitione obligationis iuramenri, cum hæc ſit ſpiritualis, & laicali poteſtati non ſubiecta) ſed ſolum de prohibitione indirecta, quæ duobus modis locum habere poteſt. 38

Vno modo, ſi laica poteſtas, iuſtâ lege 39 lata, exequutionem, ſiue ſolutionem rei taliter promiſſæ prohibeat, illicitamque reddat ad improborum hominum fraudes, & iniurias arcendas: tunc enim huiuſmodi iuramentum erit de obiecto illicito, atque adeo non erit obligatorium: qua ratione prodigus, cui bonorum adminiſtratio, à Magiſtratu interdicta eſt, iuramento ſe obligare non poteſt ad alienandum, ſoluendum, &c. ſicut ex probabiliore Doctorum opinione docet Couarr. *in cap. quamuis part.* 2. *§.* 3. *num.* 11. *argum. leg. ſi quis cum ſciret ff. pro emptore.*

Altero modo, quotieſcumque ſæcularis poteſtas recipientem, ſeu exigentem iuramentum, ratione fraudis, violentiæ, vel alterius cauſæ iuſtæ, compellere poteſt ad eius relaxationem: tunc enim etiam lege publica lata, impedire poterit, quominus obligatio Iuramenti erga huiuſmodi homines, ſaltem efficaciter, aut ſine exceptionis, vel actionis remedio contrahatur: qua ratione ciuilis poteſtas videtur prohibere, & impedire, ne ex contractu Tutoris cum pupillo, etiam accedente iuramento, obligatio, vel ſolutio ſequatur. 40

SECTIO XL.

An possit Princeps remittere iuramentum in pœnam illius, qui illud recepit?

SVMMARIVM.

1. *Superior etiam laicus potest remittere, seu relaxare iuramentum in pœnam, cum videlicet is, cui præstitum est iuramentum ita meretur; siue quia inique exegit illud; siue quia committit aliquid ob quod meretur bonis spoliari.*
2. *Iudex etiam secularis ad puniendum vsurarium, qui sine Principis permissu vsuras exercuit, potest relaxare iuramentum vsurario præstitum de vsuris soluendis.*
3. *Idem dicendum est de iuramentis vi vel fraude extortis, generatim enim videntur omnia huiusmodi iuramenta irrita reddi, ac proinde non egere relaxatione Iudicis, illa autem non esse irrita, sed irritanda per superiorem probabilius est etiam secularem præcedente tamen cognitione causæ, quod extorquens mereatur ita puniri.*
4. *Excipe iuramentum de non accusando maleficum, seu delinquentem: hoc enim Iuramentum videtur statim irritum reddi; quia hic bonum publicum iustitiæ postulare videtur.*
5. *Iuramentum subditorum in pœnam relaxatur; cum Princeps, vel alter superior priuatur per summum Pontificem, vel per alium Superiorem officio, vel dignitate, ratione cuius erat ei præstitum iuramentum; vel cum suspenditur ab officij executione.*
6. *Subditi, serui, & Vassalli ita absoluuntur à debito fidelitatis iuramento vallato, si Domini eorum lapsi sint in hæresim.*
7. *Siue publice excommunicati sint.*



1 Espondetur ex dictis *eadem sect.* 2. *ad* 2. *argum.* quod Superior, etiam laicus, possit remittere, seu relaxare iuramentum in pœnam, cum scilicet is, cui præstitum est iuramentum, ità meretur, siue quia iniquè exegit illud, siue quia commisit aliquid, ob quod meretur bonis spoliari. Vide *suprà cit. sect.* 2. *ad* 2. *argumentum, & infrà tractatu* 8. *de iuramento.*

2 Hoc modo Iudex, etiam secularis, ad puniendum vsurarium, qui sine Principis permissu vsuras exercuit potest tibi relaxare iuramentum vsurario præstitum de vsuris soluendis.

3 Idem dicendum est de iuramentis vi, vel fraude extortis, vt patet *ex l.* 2. *Cod. si aduersus vendit.* ibi: *per vim autem, aut per metum extorta Sacramenta, etiam à maioribus, nullius esse momenti, iubemus.* Vbi generatim videntur omnia huiusmodi iuramenta irrita reddi, ac proinde non egere relaxatione Iudicis; probabilius tamen puto, non esse illa irrita, neque legem illam ab Ecclesia eo sensu receptam: nam *in cap. si verò, de iurerur.* dicitur, requiri absolutionem à talibus iuramentis; dicuntur autem esse nullius momenti, quia talia iuramenta præstita in irritum reuocari possunt, etiam per Iudicem secularem, vti dicebam, præcedente tamen cognitione causæ, quod scilicet extorquens meretur, ità puniri.

Excipe iuramentum de non accusando maleficum, seu delinquentem: hoc enim Iuramentum videtur statim irritum reddi; quia sic bonum publicum iustitiæ postulare videtur; Et ratio vlterius est, quia alioquin non posset hæc accusatio sine periurio fieri, nisi quis ante pro absolutione, seu relaxatione talis iuramenti recurrat ad Episcopum; quod tamen ibi lex non videtur intendere. 4

Item in pœnam, relaxatur subditorum Iuramentum (quo obstricti sunt Principi, vel alteri Superiori) cum Princeps, vel alter superior priuatur per summum Pontificem, vel per alium Superiorem officio, vel dignitate (ratione cuius erat ei præstitum iuramentum) vel cum suspenditur ab officij exequutione: sic absoluuntur à debito fidelitatis, Dominij, & obsequij illi, qui manifestè lapsis in hæresim iuramento, quacumque firmitate vallato, tenebantur obstricti, vt sunt subditi, serui, & Vassalli, *cap. absolutos, de hæreticis.* Idemque, dico de iis, qui publice excommunicatis hoc modo etiam obstricti erant, *cap. nos Sanctorum, & quæst.* 6. *ex Gregor. VII.* 5 6 7

SECTIO XLI.

An possit Princeps remittere iuramentum in bonum publicum.

SVMMARIVM.

1. *Superior etiam laicus potest remittere, seu relaxare iuramentum ratione boni publici & in quibus casibus vide ibi.*
2. *Summus Pontifex, Episcopus, & qui authoritatem quasi Episcopalem habet. Secundò Regularis priuilegiatus. Tertiò Princeps secularis indirectè tamen modo supradicto possunt iuramenta ob prædictas causas relaxare.*
3. *Iuramenti cognitio, quando agitur de iuribus, & valore iuramenti, vel vertitur in dubium probabile an iuramentum sit licitum an obliget in conscientia, an possit relaxari; ad forum Ecclesiasticum pertinet; secus quando manifeste constat de iniuria, vel iniustitia exactoris, & cur.*
4. *Princeps secularis potest obligationem iuramenti impedire, ne nascatur.*

5. *Contractus ipsi qui confirmantur iuramento, subduntur potestati ciuili.*
6. *Princeps tamen seu etiam Iudex inferior potest sua auctoritate iuramentum remittere, seu relaxare non directe; sed indirecte tantum ratione scilicet materiæ, quæ cum sit temporalis, est laicæ potestati subiecta. Directe tantum cum fiat per modum absolutionis ad Ecclesiasticos Prælatos pertinet. Iuramenta relaxantur adhunc modum.*
7. *Primò, si laica potestas aliquem ab officio, vel dignitate remouet, in tali enim casu subditi ei obstricti iuramento, non tenentur obedire.*
8. *Secundò, si laica Potestas ob iustam causam aliquid præcipit, vel prohibet non obstante contrario iuramento suo, subditus obedire tenetur.*
9. *Tertiò, si is, cui iuratum est, propter vim, fraudem, vel iniustitiam, vel propter causam ad bonum Reipublicæ pertinentem cogi potest ad relaxandam obligationem iuramenti, Superior etiam illo inuito talem obligationem facere potest, quia in tali casu factum superioris, factum partis reputatur.*
10. *Quarto, si Reipublicæ bonum ita postulat, permissionem, vel contractum prohibere potest potestas Ciuilis, vt, etsi iuramentum subditi accedat, nulla prorsus ex ea promissione, vel contractu obligatio oriatur.*
11. *Prodigus, cui bonorum administratio à Magistratu interdicta est, iuramento se obligare non potest ad alienandum, soluendum, &c.*
12. *Secularis Potestas, quotiescumque eum, cui factum est iuramentum, ratione fraudis, vel ob aliam rationabilem causam compellere potest ad eius relaxationem, poterit etiam lege publica lata impedire, quominus obligatio iuramenti erga huiusmodi homines, saltem efficaciter vel sine exceptionis remedio contrahatur.*
13. *Potestas ciuilis etiam potest prohibere, atque impedire, ne ex contractu tutoris cum Pupillo, etiam accedente iuramento, obligatio, vel solutio sequatur.*
14. *Iudex Ecclesiasticus solus, & nullo pacto laicus, si iuramentum, & votum soli Deo, siue intuitu pietatis fiant, ad eorum obseruantiam compellere, vel in iisdem ob iustam causam dispensare potest.*
15. *Iudex Ecclesiasticus solus, & nullo pacto laicus, quotiescumque de viribus, seu valore iuramenti agitur cognoscere potest.*
16. *Iudex laicus, si iuramentum interponitur super contractu, vel alio negotio ad seculare forum pertinenti, potest compellere subditos suos ad iuramenti obseruationem, si de obligatione constet, modo quo supra dictum fuit.*
17. *Iudex laicus non solum; sed etiam Ecclesiasticus potest laicos ad obseruationem iuramenti super contractu, vel simili negotio interpositi compellere.*
18. *Iudex Ecclesiasticus potest compellere Iudicem laicum ad remittendam causam iuramenti ad forum Ecclesiasticum, si agatur de negotio pietatem concernenti.*



Espondetur ex dictis *eadem sect.* 1
2. *ad* 2. *argum.* quòd possit Princeps, vel quicumque alius superior, etiam Laicus, remittere, seu relaxare iuramentum ratione boni publici, vt. v. g. in casibus quos *sect.* 39. *&* 40. numerabam; Item quando quis cum iuramento alicui sponte, vel coactè promisit, se non accusare, non denunciare, non contra testari, & similia; quia si talia iuramenta non possent relaxari, non possent crimina detegi, & puniri, iudicia exerceri, innocentia defendi, iniquitas opprimi &c. quæ omnia sunt contra bonum publicum. Vide suprà *cit. sect.* 2. *ad* 2. *argum. & in tract.* 8. *de iuramento.*

Huiusmodi igitur iuramenta ob prædictas 2
causas relaxare potest primò, Summus Pontifex, Episcopus, & qui authoritatem, quasi Episcopalem habet. Secundò Regularis Priuilegiatus. Tertiò princeps sæcularis, indirectè tamen, modo quo suprà explicabam; quia ratio officij Principis sæcularis postulat, vt possit tollere obligationes, quæ ipsius rectam administrationem impedire possent, vti suprà dicebam.

Aduerte tamen hic, quod (licet iuramenti
cognitio, quando agitur de viribus, & valore 3
iuramenti, vel vertitur in dubium probabile, an iuramentum sit licitum, an obliget in conscientia, an possit relaxari, &c. ad forum Ecclesiasticum pertineat; vt patet *ex cap. fin. de foro compet. in* 6. *& ex cap. venerabilem*, §. *vtrum verò, de electione*, & notat ibi Abbas *num.* 13. Sanch. *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 32. *num.* 18. & Andr. Gaill. *lib.* 1. *obseruat.* 25. *num.* 1. & nos mox infrà dicemus) tamen, quando manifestè constat de iniuria, vel iniustitia exactoris, vel quòd pœna locum habet, aut quando constat, huiusmodi iuramentum bono publico noxium esse, potest ex dictis etiam Princeps sæcularis, & aliquando Iudex inferior, non solùm præcipere, vt exactor illud remittat, sed etiam suâ authoritate remittere, seu relaxare. Ratio, quia hæc potestas non est, vt suprà dicebam, per se spiritualis, sed generatim fundata in gubernandi potestate, sine qua gubernatio ciuilis esset imperfecta, manca, & plurimis incommodis insufficiens subuenire.

Confirmatur, quia Princeps sæcularis, vt 4
suprà etiam dicebam, ab initio potest obligationem iuramenti impedire, ne nascatur; ergo & eam iam natam poterit, ex iusta causa, de medio tollere; cum hæc duo sint eiusdem rationis, & potestatis.

Confirmatur secundò, quia contractus ipsi,
qui confirmantur iuramento, subduntur pote- 5
stati ciuili; ergo cum illos potestas ciuilis irritat, statim cessat, & ruit iuramentum, quod ipsos confirmabat; Cùm, cessante, & ruente principali, necessariò cesset, & ruat accessorium.

Atque ita contra Couarr. *cap. quamuis, part.* 1. §. 3. *num.* 22. & Roderiq. *summ. tom.* 1. *cap.* 192. *num.* 9. docent Mysinger. *cent.* 3. *obseruat.* 99. Andr. Gaill. *lib.* 1. *obseruat.* 25. Guttierez *in auth. Sacramenta puberum, num.* 40.

Pereira *de manu Regia cap.* 19. & ex Theologis *Molina de iust. & iur. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 149. *num.* 13. Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 22. *num.* 10. & 11. Vasq. *de testam. cap.* 3. *dub.* 2. Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 41. *num.* 16. Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap.* 8. §. 5. *num.* 39. Fagundez *de praecept. Eccles. tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 17. & alij quamplures.

6 Cum autem dixi, quòd Princeps etiam saecularis, & aliquando Iudex inferior, possit sua authoritate iuramentum remittere, seu relaxare, id verum est, non directè, vti docere videtur Molin. Mysinger. Andr. Gaill. & alij, quia, vt supra dicebam, directa relaxatio iuramenti (cum fiat per modum dispensationis, vel absolutionis, ad Ecclesiasticos Praelatos tantum pertinet: sic enim est quaedam remissio ex parte Dei facta per eius Ministrum; cuiusmodi potestas est omnino Ecclesiastica, & spiritualis) sed est verum solum indirectè, (vt rectè docent Guttierez, Suar. & Sanch.) ratione scilicet materiae, quae, cum sit temporalis, est laicae potestati subiecta vel supplendo vicem eius, cui iuratum est, & qui remittere debebat, vel alio modo. &c.

Ad hunc modum relaxandi iuramenta pertinet.

7 Primò, si laica potestas aliquem ab officio, vel dignitate remouet (ratione cuius subditi ei obedire, iuramento obstricti erant) nam in tali casu, non obstante tali iuramento, non tenentur illi obedire, vti sect. praecedenti dicebam.

8 Secundò, si laica potestas ob iustam causam aliquid praecipit, vel prohibet, non obstante contrario iuramento suo subditus obedire tenetur, v. g. quod ciuitatis gubernationem recipiat, *l. vlt. ff. ad Municipal.* quod è ciuitate non egrediatur, quod ad talem locum non accedat, &c.

9 Tertiò, si is, cui iuratum est, propter vim, fraudem, vel iniustitiam, vel propter causam ad bonum Reipublicae pertinentem, cogi potest ad relaxandam obligationem iuramenti, Superior, illo etiam inuito, talem relaxationem facere potest, quia in tali casu factum Superioris factum partis reputatur, Doctores *in l. si ob causam Cod. euiction.* Requiritur tamen tunc partis citatio: nam haec substantialiter requiritur, quotiescumque actus iudicalis cedit in graue praeiudicium partis, *l. de vno quoque ff. de re iudic.* & *l. nam ita ff. de adoption.* & docet Couarr. 1. *resol. cap.* 4. *num.* 5. Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 21. *num.* 28. & Andr. Gaill. *lib.* 1. *obseruat.* 169.

10 Quartò, si Reipublicae bonum ità postulat, promissionem, vel contractum prohibere potest potestas ciuilis, vt, etsi iuramentum subditi accedat, nulla prorsus ex ea promissione, vel contractu obligatio oriatur; quin immo si laica potestas, iusta lege lata, executionem, siue solutionem rei taliter promissae prohibet, illicitamque reddit, ad improborum hominum iniurias, vel fraudes remouendas, tunc huiusmodi iuramentum erit de obiecto illicito, ideoque, nullo modo obligatorium.

11 Hinc prodigus, cui bonorum administratio à Magistratu interdicta est, iuramento se obligare non potest ad alienandum, soluendum, &c. sicuti ex probabiliori docet Couarr. *in cap. quamuis pactum. part.* 2. §. 3. *num.* 11. *argum. leg. si quis cum sciret ff. pro emptore.*

Hinc etiam, quotiescumque saecularis potestas eum, cui factum est iuramentum, ratione fraudis, vel ob aliam rationabilem causam compellere potest ad eius relaxationem, poterit etiam lege publicâ latâ, impedire, quominus obligatio iuramenti erga huiusmodi homines, saltem efficaciter, vel sine exceptionis, vel actionis remedio contrahatur. 12


Hinc similiter potest ciuilis potestas prohibere, atque impedire, ne ex contractu Tutoris cum pupillo, etiam accedente iuramento, obligatio, vel solutio sequatur; De quibus vide suprà locis cit. 13

Aduerte secundò, quod (quamuis obligatio iuramenti, sicut & voti, sit spiritualis: nam vtraque obligatio per se, & immediate tendit ad eum; quare si iuramentum, & votum soli Deo seu intuitu tantum pietatis fiant, ad eorum obseruationem solus iudex Ecclesiasticus, & nullo pacto laicus compellere vel in ijsdem ob iustam causam dispensare potest, vt ex communi docet Abb. *in cap. licet, num.* 3. *de voto* & Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 13. *num.* 16. Quemadmodum propter eamdem rationem, quotiescumque de viribus, seu valore iuramenti agitur, vel in dubium probabile vertitur, an iuramentum sit licitum, an obligatorium, &c. huius rei cognitio ad solum Iudicem Ecclesiasticum pertinet, vti in sect. praecedenti dicebam) si tamen iuramentum interponitur super contractu, vel alio negotio ad seculare forum pertinenti, tunc ex dictis ratione huius, Iudex laicus etiam compellere potest subditos suos ad iuramenti obseruationem, si de obligatione constat, sicut & compellere potest eosdem ad eiusdem iuramenti relaxationem, vel simpliciter, vel saltem ad effectum agendi, quatenus id ad terminationem litis, & publicae iustitiae conseruationem necessarium est; Non quidem directè, sed solum indirectè, modo quo suprà dicebam; quà ratione testatur Andr. Gaill. *cit. obseru.* 23. Camerae Imperialis consuetudinem esse, vt ipsa Camera relaxationem iuramenti faciat praecise ad effectum agendi contra recipientem iuramentum, actione iniuriarum, vel damni dati, &c. 14 15 16

Illud tamen interim fatendum est, quod non solum possit Iudex laicus laicos ad obseruationem iuramenti super contractu, vel simili negotio interpositi compellere, sed etiam possit Iudex Ecclesiasticus, sicut habetur expresse *in cap. vlt. de foro compet. in 6.* vbi Doctores notant, quod iuramentum non mutat forum, sed addit forum foro; nempe, si contractus v. g. iuramento confirmatus est, potest quidem iurans, ratione contractus politici, coram seculari Iudice conueniri, vt iste totam litem definiat, sed potest etiam conueniri coram Iudice Ecclesiastico, ratione iuramenti interpositi, cuius obligatio per se spectat ad forum Ecclesiasticum; quapropter in tali casu materia iuramenti est mixti fori. Similiter etiam si iuramentum propter turpitudinem laici 17 18

illud recipientis, v. g. vsurarij possit remittere Iudex laicus, ad illud tamen remittendum potest etiam compellere eumdem laicum Iudex Ecclesiasticus, sicuti constat *ex cap.* 1. iuncta *Glossa verb. iuramenta, de iureiur.* & docet Abb. *ibidem num.* 3. Couarr. 1. *resol. cap.* 4. *num.* 5. *§. vtrum*, & Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 32. *num.* 18.

At de dispensatione, relaxatione, irritatione, & commutatione votorum, & iuramentorum vide etiam, quæ dicentur infrà *tract.* 8. *de iuramento, cap.* 3. *per totum.*



SECTIO XLII.

An eadem, quæ potest Princeps, possit facere & Pontifex?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex per totam Ecclesiam potest facere quod potest Princeps per suum statum, si sic exigat bonum commune totius Ecclesiæ.*
2. *Pontifex potest auferre bona Christianorum.*
3. *Pontifex in tota Christianitate potestatem, & iurisdictionem etiam temporalem, immediate sibi à Deo commissam habet, in habitu, & quando oportuerit etiam in actu.*
4. *Pontifex in terris Principum Christianorum, si non directe saltem indirecte ex vi Pontificalis Officij sufficientem potestatem habet super omnia negotia secularia, quando id Ecclesiæ expedierit, ad ipsius Ecclesiæ quietem, & defensionem conseruandam, vel ad bonum spirituale & finem Ecclesiasticæ potestatis supernaturalem assequendum.*
5. *Mens Bonifacij VIII. in Extrauag.* vnam sanctam *declaratur quod non fuerit velle se Reges, & Principes Christianos subijcere imperio Ecclesiæ magis quam prius subiecti fuerant; sed tantum demonstrare quod vltra gladium spiritualem, sit etiam in Ecclesia gladius temporalis, non quidem directe, sed indirecte exercendus quando necesse fuerit.*
6. *Clemens V. ad tollendum sensum nonnullorum Doctorum asserentium per dictam extrauag. Principes Imperium, & Regna à Pontifice obtinere, statuit in Extrauag.* meruit *Bonifacium VIII. in dicta Extrauag. non generasse præiudicium Regibus.*
7. *Principes, & Reges, à quonam recipiant potestatem controuersum est, an à Pontifice, an immediate à Deo, vel immediate à populo; tu autem dic quod recipere potestatem immediate à Deo sit priuilegium singulare Pontificis.*
8. *Homines eligendo seu nominando Pontificem nullam potestatem, & auctoritatem tribuunt electo; sed solum illum veluti repræsentant Deo, à quo potestatem Pontificiam recipiat; secus est in Electione Regis vel Principis, cui Electores tribuunt potestatem, quam habent & idem dic de depositione.*
9. *Reges, & Principes dato quod suam potestatem immediate recipiant à Deo, adhuc tamen est quod illam recipiant à Deo cum subordinatione ad Pontificem gerentem vices Dei.*
10. *Idem dic in opinione illorum, qui tenent Principes, & Reges potestatem suam recipere à Republica, seu communitate, propter easdem rationes supradictas de bono communi vniuersalis Ecclesiæ; ad quod omnia temporalia ordinata sunt.*
11. *Pontifex potest multo magis auferre bona patrimonialia Clericorum, quia Clerici magis, & pluribus titulis subduntur Pontifici, quam subdantur laici.*
12. *Pontifex multo magis non potest auferre Ecclesiarum bona, & beneficia, itavt ex quacumque rationabili causa licite, ne dum valide, possit res vnius Ecclesiæ sumere, & alteri dare, & licitè ne dum validè ex quacumque iusta causa priuare Clericos beneficiis, & ea conferre cuicumque voluerit.*
13. *Pontifex in rebus Ecclesiasticis habet maiorem potestatem, quam habeat Rex, vel quilibet alius Princeps sæcularis in bonis subditorum sæcularibus.*
14. *Pontifex autem non potest sine maxima causa priuare Clericos omnes omnibus beneficiis; quia hoc esset facere contra vniuersum statum Ecclesiæ, quod non ita facile cadit in potestatem Pontificis.*
15. *Papa quod omnia possit, vel quod habeat plenitudinem potestatis non solum non habet locum in iis, quæ sunt iuris naturalis, & diuini; sed nec etiam locum habeat in iis, quæ sunt iuris positiui, si ex dispensatione contra ius positiuum destrueretur, vel decoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ, vti esset v. g. si dispensaret, quod omnes Clerici vxorem ducere possint.*

Papa potest omnia claue tamen directa, seu claue non errante.



Espondetur: ex dictis *eadem sect.* 1. & 2. affirmatiuè, idque, non solùm, vt Princeps, per suum statum, ob eamdem rationem, si sic exigat bonum commune talis status, sed etiam, vt Pontifex, per totam Ecclesiam, ob similem rationem, si sic exigat bonum commune totius Ecclesiæ, v. g potest. 1

Primò auferre bona Christianorum. 2

Siue, quia Pontifex in tota Christianitate potestatem, & iurisdictionem, etiam temporalem, immediate sibi à Deo commissam habet, in habitu, & (quando oportuerit) etiam in actu; sicuti docent Doctores, quos refert Christophorus de Anquiano, *tract. de legibus, tom.* 1. *lib.* 2. *contr.* 17. *num.* 15. Comitol. *in tract. apoleg. cap.* 3. Pereira *de manu Regia, prælud.* 1. *num.* 1. Mart. de *iurisdict. part.* 1. *cap.* 18. Pesantius *in tract. de potest. Pontificis, disput.* 2. *& seqq.* (vbi hanc sententiam probat ex multis 3

iuribus, & præcipuè *ex extrauag. vnam sanctam* Bonifacij VIII.) & Doctores omnes, qui tenent, quod Principes, & Reges potestatem, à Pontifice recipiant; ex quibus sunt Peregrin. *de Priuil. Fisci lib. 1. tit. 2. num.* 37. Valenzuola *in defens. monitor. part. 5. num.* 226. Iosep. Sessè *de inhibition. cap. cap. 8. §. num. 2.* Alphons. Azeuedus *in recopilation. lib. 4. tit. 1. leg. 11. num. 16. & alij.*

4 Siue, quia Pontifex in terris Principum Christianorum, si non directè, saltem indirectè ex vi Pontificalis Officij sufficientem potestatem habet super omnia negotia sæcularia, quando id Ecclesiæ expedierit, ad ipsius Ecclesiæ quietem, & defensionem conseruandam, vel ad bonum spiritualem, & finem Ecclesiasticæ potestatis supernaturalem assequendum; sicuti docent Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. tract. 2. disp. 29. concl.* 3. Bellarm. *controu. 3. lib. 5. cap. 6.* Malderus *in 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 8.* Azor. *part. 2. lib. 11. cap. 3. quæst. 6.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 22.* Tanner. *in 2. 2. disput. 4. quæst. 4. dub. 1. num.* 33. Rebell. *part. 2. lib. 14. quæst. 23. sect. 1. num. 2. & 3. & sect. 5. num. 19,* Anguian. *tract. de legib. cit. tom. 1. lib. 2. contr. 17. num. 29. & seqq.* Maynard. *de priuil. Eccles. part. 1. art. 6. num. 1.* Salgado *de potest. Regia tom. 1. part. 1. cap. 1. prælud. 1. num.* 55. Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ in prolog. num. 9. & 12.* Paramus *de origin. inquisit. lib. 3. quæst. 1.* Sylu. *in 2. 2. quæst. 66. art. 1.* Fereir. *de manu regia, prælud. 1. num. 4. & seqq.* Barbos. *in collectam. tom. 2. lib. 4. tit. 17. cap. 13 num.* 37. Morla *in empor. iur. part. 1. tit. de iur. quæst. 5.* Turrecremata *in summa lib. 2. cap. 13.* Bobadilla *in pol. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 2. & seqq.* qui respondent *ad extrauag. vnam sanctam*
5 Bonifacij VIII. quòd mens Pontificis in illa extrauaganti non fuerit, velle se Reges, & Principes Christianos subiicere Imperio Ecclesiæ magis, quam prius subiecti fuerant, sed tantum demonstrare, quod vltra gladium spiritualem sit etiam in Ecclesia gladius temporalis, non quidem directè, sed indirectè, exercendus, quando necesse fuerit; at quia non-
6 nulli Doctores sentiebant, vtrumque gladium apud Romanum Pontificem esse directè, & Principes Imperium, & Regna ab illo obtinere; idque tanquam certum definitum esse *in dicta extrauag. vnam Sanctam*; ideò Clemens V. ad tollendum sensum istorum Auctorum statuit *in extrauag. meruit*. Bonifacium VIII. *in dicta extrauag. vnam sanctam.* non generasse præiudicium Regibus, neque intendisse Bonifacium in illa præiudicium vllum eis inferre, neque eosdem sibi magis subijcere, quàm prius subiecti fuerant; itavt Clemens V. *per dictam extrauag. meruit*, nihil noui constituerit, sed solum prædictam extrauag. *vnam sanctam*, quæ ex tot interpretum commentariis obscura videbatur, declarare voluerit. Ad id autem, quod alij Doct. dicebant; Principes, & Reges potestatem, quam habent, à Pontifice recipere,
7 respondent negando assumptum, sicut & negant contra Ceuallos, & nonnullos alios Iuristas, illam Reges, & Principes immediatè recipere à Deo, sed docent, immediate recipere à publico, seu communitate; ita præter alios tenent Bellarm. *in Respons. ad duos libellos cuiusdam Theologi fol. mihi* 4 Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 29. dub. 11. num.* 94. Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 6. num.* 5. Suarez *contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 2.* Tanner. *in 2. 2. disput. 5. quæst. 5. dub. 1.* Comitol. *in tract. apologet. cap. 3. num. 2.* Beltranus *in propugnac. Eccles. libert. assert. 1. §. 7. num. 20.* Maynard. *de priuil. Eccles. part. 1. art. 5. num. 9.* Seruantius *in defens. potest. & immunit. Eccles. proposit. 1.* & Ioan. de Maderiaga *in tract. de senatu cap. 39. §. 2.* qui subdunt, quod recipere potestatem immediate à Deo, sit priuilegium singulare Pontificis; quia, cum potestatem, quam habet Pontifex, habere non possit ab hominibus, necesse est dicere, quod habeat à Deo; hæc autem ratio non habet locum in Regibus, & Principibus in ordine ad populos, & Communitates.

Non obstat, quod dicatur, homines Pontifi- 8
cem eligere: nam homines eligendo seu nominando Pontificem nullam potestatem, & authoritatem tribuunt electo, sed solùm illum veluti repræsentant Deo, à quo potestatem Pontificiam recipiat; ita vt eiusmodi hominum electio sit tantùm conditio sine qua Deus potestatem Pontificiam in electum non transferret; Non autem sit ratio, seu medium, quo Electores ipsi potestatem electo tribuant. sicut in electione Regis, vel Principis contingit; idemque dicendum de depositione Pontificis, quod scilicet sit conditio, sine qua Deus potestatem Pontificiam ab illo non auferret; quia per quas causas aliquid gignitur, per easdem etiam dissoluitur.


At dato quòd Reges, & Principes suam po- 9
testatem immediatè recipiant à Deo, dicendum adhuc tamen est, quod illam recipiant à Deo cum subordinatione ad Pontificem, gerentem vices Dei; Idemque dicendum in opinione il-
lorum (qui tenent, Principes, & Reges potè- 10
statem suam recipere à Republica, seu communitate) propter easdem rationes supradictas de bono communi vniuersalis Ecclesiæ, ad quod omnia temporalia ordinata sunt à Deo.

Secundò potest, & multò magis, Pontifex 11
auferre bona patrimonialia Clericorum, vti notauit Anton. de Butrio *in cap. 1. de summa Trinit.* & Belluga *in specul. Princip. rubr. 46. num. 4.* & ratio est, quia Clerici magis, & pluribus titulis subduntur Pontifici, quàm subdantur Laici.

Tertiò potest, & multò magis, Pontifex au- 12
ferre Ecclesiarum bona, & beneficia, ita vt ex quacumque rationabili causa licitè, nedum validè, possit res vnius Ecclesiæ sumere, & alteri dare; Et licitè, nedum validè, possit etiam, ex quacumque iusta causa, priuare Clericos beneficiis, & ea conferre cuicumque voluerit, sicuti notauit Archid. *in cap. oportebat 60. dist.*
& in cap. 2. de præbend. in 6. & Belluga *loco* 13
suprà cit. & ratio est, quia Pontifex in rebus Ecclesiasticis habet maiorem potestatem quàm habeat Rex, vel quilibet alius Princeps sæcularis in bonis subditorum sæcularibus.

Non potest autem Pontifex sine maxima 14

causa priuare Clericos omnes omnibus beneficiis; quia hoc esset facere contra vniuersum statum Ecclesiæ; quod non ita facile cadit in potestatem Pontificis, vti notatur *in cap. proposuit, de conceß. præbend.* quapropter quòd habetur *in dicto cap. proposuit, & in cap. cuncta per modum quæstionum.* 3. cum si, scilicet Papam omnia posse, seu habere plenitudinem potestatis, non solum non habet locum in iis, quæ sunt iuris naturalis, & diuini (in his enim, vt plurimùm Papa non habet potestatem, nisi interpretandi, & declarandi, *cap. sunt quidam* 25. *quæst.* 1. quamuis habeat aliquando potestatem dispensandi, vt in votis, iuramentis, & similibus obligationibus, & debitis erga Deum contractis; huiusmodi scilicet obligationum vincula nomine, seu authoritate Dei tollendo, seu relaxando. si salus animarum, qui est finis spiritualis gubernationis, sic exigat, sicuti *sect.* 39. 40. & 41. dicebam. Et videri poterit Caiet. 2. 2. *quæst.* 8. *art.* 12. & Lessius, *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 17.) sed nec etiam locum habet in iis, quæ sunt iuris positiui, si ex dispensatione contra ius positiuum destrueretur, vel decoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ. Quemadmodum etiam, si Papa dispensaret, quòd omnes Clerici vxorem ducere possint, sicuti notant Doctores *in cap.* 1. *de constitution. & in cit. cap. sunt quidam*; quapropter Abb. *in cap. à nobis de sent. excommun.* rectè dixit, quòd Papa potest omnia, claue tamen directa, seu claue non errante; Et quòd authoritas illa Matthæi cap. 16. quodcumque ligaueris super terram, &c. intelligatur, dummodo iustè liget.



SECTIO XLIII.

An possit Pontifex admittere compensationem?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex potest admittere compensationem, quando bona sunt incerta, vel incertum est debitum, quia scilicet Creditores ignorantur; siue debitum sit ex delicto, siue ex contractu.*
2. *Bona, quando eorum proprius Dominus ignoratur restituenda sunt in vsus pios, non quidem iure naturæ, sed iure positiuo.*
3. *Papa, si Creditores sint noti, non potest nec licite, nec valide hominem à restitutione liberare, nisi subsit iusta causa.*
4. *Papa non potest, sicut neque alius Princeps secularis, valide, & multo minus licitè sine iusta causa rem vnius auferre, eamque alteri dare.*
5. *Papa esto non habeat supremam potestatem directam in bonis temporalibus Clericorum, & Christianorum, habet tamen in iis, saltem potestatem indirectam, nempe quatenus opus est ad regimen spirituale totius Ecclesiæ, & finis spiritualis supernaturalis.*
6. *Quod nota propter ea, quæ debentur hæreticis, siue est delicto, siue ex contractu; cauendum tamen est scandalum.*
7. *Et quod Pontifex potest, idem potest & Princeps secularis in ordine ad suos subditos, quia iam iusta lege ob hæresis crimen illorum bona applicata sunt fisco.*

Respondetur ex dictis *eadem sect.* 1. & 2. affirmatiuè, quando bona sunt incerta, vel incertum est debitum, quia scilicet creditores ignorantur: siue debitum sit ex delicto, vt in vsuris, vel furtis minutis, siue sine delicto, vt in debitis ex contractu, vel in inuentis, & ratio vlterius est, quia quando ignoratur bonorum proprius Dominus, restituenda sunt illa in vsus pios, non quidem iure naturæ, sed iure positiuo (sicuti docet communior opinio Doctorum apud Lessium *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. & 7.) at Papa potest dispensare in iure positiuo, ergo, &c. quapropter, sublata hac restituendi obligatione (sicut ex probabili contingit in bonis generis posterioris) licitè potest quis ista sibi retinere, tanquam adespota, præsertim si sit pauper. 1 2

Cæterum, si creditores sunt noti, non potest Papa, nec licitè, nec validè hominem à restitutionis obligatione liberare, nisi subsit iusta causa, sicuti *sect. præcedenti* dicebam. 3

Prior pars probatur; quia non potest Papa, sicuti nec alius Princeps secularis (vt suprà *sect.* 36. dicebam) validè, & multo minus licitè, sine iusta causa rem vnius auferre, eamque alteri dare: non enim est Dominus, nec dispensator bonorum, quæ subditi priuatim possident, sed tantum est defensor iuris, & boni communis, iudexque, & vindex criminum. 4

Posterior pars probatur, quia Pontifex, esto non habeat supremam potestatem directam in bonis temporalibus Clericorum, & Christianorum, habet tamen in iis, vti *sect. præcedenti* dicebam, saltem potestatem indirectam, nempe quatenus opus est ad regimen spirituale totius Ecclesiæ, & finis spiritualis supernaturalis, ergò posita iusta causa poterit validè, & licite de bonis illorum disponere; sicque poterit valide, & licite imponere mulctas pecuniarias, & confiscationes bonorum pro delictis, & consequenter condonare etiam huiusmodi restitutiones alioquin faciendas. 5

Quod nota propter ea, quæ debentur hæreticis, siue ex delicto, siue ex contractu; cauendum tamen est scandalum; qua de re vide *cap. cum secundum leges de hæret. in* 6. & *cap. quæ in Ecclesiarum, de constitut.* & Sylu. *verb. restitutio* 7. *quæst.* 2. § 5. 6

Et quod potest Pontifex, idem potest & Princeps secularis in ordine ad suos subditos; quia iam iusta lege ob hæresis crimen illorum bona applicata sunt Fisco, etsi multoties ob potentiam talium hominum fieri non possit executio. 7

SECTIO

SECTIO XLIV.

An possit Pontifex derogare iuri patronatus?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex potest deregare iuri Patronatus, conferendo scilicet beneficia non præsentatis, siue Patronatus sit Ecclesiasticus, siue Laicus.*
2. *Ius Patronatus conceditur à Pontificibus principaliter propter bonum Ecclesiæ, & secundario in honorem Fundatorum.*
3. *Pontifex ex eo quod hoc ius præsentandi aliis concesserit non censetur seipsum in omni euentu spoliare sua potestate conferendi sine præsentatione beneficium; sed sufficit quod regulariter, & via ordinaria præsentationes Patronorum admittat, & expectet.*
4. *Pontifex etiam si de facto beneficium conferat alteri, si Patronatus est Laicus, non censetur ei derogatum, nisi directè in litteris id per clausulam derogatoriam exprimatur, & quæ clausula sufficiat.*
5. *Ius Patronatus si spectet ad Regem, Ducem, vel Marchionem ad eius derogationem requirit id ipsum exprimi in litteris.*
6. *Pontifex, si Patronatus sit Ecclesiasticus, potest ei deregare per simplicem collationem beneficij, etiam si nulla mentio fiat derogationis in litteris prouisionis.*
7. *Reseruationes Apostolicæ beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam Cancellariæ Regularum dispositione non comprehendunt beneficia Iuris Patronatus Laicorum, quoad tollendam eorum præsentationem; bene tamen quoad institutionem, quæ competit Prælatus.*
8. *Ius Patronatus si partim sit Laicum, partim Ecclesiasticum non censetur ei facta derogatio, perinde ac si tantum esset Patronatus Laicorum.*
9. *Patronatui Laicorum maiora sunt concessa priuilegia, quam Patronatui Clericorum.*
10. *Patronatus censebitur Laicus si duo Patroni sint Laici, & totidem Ecclesiastici, quoad derogationem; secus tamen si Ecclesiastici sint plures; tunc enim in derogatione censebitur Ecclesiasticus.*
11. *Pontifex si ius Patronatus solum priuilegio, vel præscriptione acquisitum sit, potest ei derogare sine expressa clausula derogatoria, etiam si sit Laicorum; modo tamen non constet à Laico esse fundatum.*
12. *Amplia, quod idem potest etiam Legatus à Latere.*
13. *Legatus à Latere, & consequenter Nuncius Apostolicus cum potestate Legati à Latere potest derogare Patronatui Ecclesiasticorum, non tamen Laicorum.*
14. *Episcopus neque Ecclesiasticæ, neque Laicæ personæ iuri Patronatus potest derogare; si tamen praeueniendo præsentationem Patroni conferat beneficium, collatio non est irrita: verum sequuta præsentatione Patroni iuxta tempus præscriptum à iure, collatio illa resoluetur, & euanescet: secus si non præsentauerit, vel si se Patronus infra illud tempus non opposuerit.*



Espondetur *ex eadem sect.* 1. *&* 2. 1
affirmatiuè, conferendo scilicet beneficia non præsentatis, siue patronatus sit Ecclesiasticus, siue laicus, atque ita apud Couarr. *in pract. cap.* 36. *num.* 1. docent communiter Doctores *in cap cum dilectus, de iure patronatus*; Et ratiò vlterius est, 2
quia hoc ius conceditur à Pontificibus principaliter propter bonum Ecclesiæ, & secundariò in honorem fundatorum, ergo quando Pontifex iudicat expedire Ecclesiæ, vt ipse non expectet præsentationem Patronorum, sed ipse sine tali præsentatione beneficium alteri conferat, poterit libere illud aliis conferre; quia semper debet magis haberi ratio finis principalis, quam secundarij; tum quia ex eo quod Pontifex hoc ius præsentandi aliis concesserit, 3
non censetur seipsum in omni euentu spoliare sua potestate conferendi sine præsentatione beneficium, sed sufficit, quod regulariter, & via ordinaria, præsentationes Patronorum admittat, & expectet, & hoc maximè verum est in iure patronatus, quod ex nuda concessione sine fundatione ab aliquo obtinetur, iuxta ea, quæ mox infrà dicentur.

Aduerte tamen ex Couarr. *loco suprà cit. num.* 4
2. quod si patronatus est laicus, non censetur ei derogatum esse, etiamsi Pontifex de facto beneficium conferat alteri, nisi disertè in litteris id per clausulam derogatoriam exprimatur, vti docent Doctores *in cap.* 2. *de præbend. in* 6. & colligitur *ex cap. super eo, de offic. delegati*, Neque sufficit, vt in litteris collationis dicatur: conferimus Titio, *exempli gratia*, hoc beneficium, ad cuiuscumque præsentationem, & collationem pertineat, sed expresse debet Papa derogare patronatui laico, vt habet decisio Rotæ 331. teste Couarr. *suprà num.* 2. Quod si 5
ad Regem, ducem, vel Marchionem, &c. pertineat, debet idipsum exprimi, vt habetur *in regul. Cancellar.* 43. si autem patronatus sit 6
Ecclesiasticus, potest ei Pontifex derogare per simplicem collationem beneficij, etiamsi nulla mentio fiat eius derogationis in litteris prouisionis, vt ijdem Doctores docent *in cit. cap.* 2. *de præbend.* & ratio afferetur infrà *in* 2. *Aduertendo.*

Ex his infertur, quod Apostolicæ beneficiorum reseruationes (quæ fiunt propter crimen; 7
vel quia contingit beneficia vacare apud sedem Apostolicam, vel ob aliam rationem) ex iuris communis, vel Cancellariæ Regularum dispensatione non comprehendunt beneficia iuris patronatus laicorum quo ad tollendam eorum præsentationem, bene tamen quoad institutionem, quæ competit Prælatis: Hæc enim tunc petenda est à Pontifice, sicuti docet Glossa


regul. 40. *Cancellar.* sub finem, quod tamen Couarr. *suprà num.* 5. intelligit de Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Decanatibus, & aliis dignitatibus, quæ summo Pontifici per regul. 2. & 3. *Cancellar.* reseruantur; Non autem de beneficiis minoribus, quorum præsentatio pertinet ad laicos: hæc enim beneficia eo quod sint iurispatronatus laicorum, ab omnibus reseruationibus sunt exempta, etiam quoad institutionem à Prælatis faciendam.

8 Aduerte secundò, quod si patronatus partim sit laicus, partim Ecclesiasticus, nempe partim laicę partim sit Ecclesiasticæ personæ, neque censetur ei facta derogatio, perinde ac si tantum esset patronatus laicorum, sicuti habet communis sententia Doctorum teste Couarr. *cap.* 36. *quæst. pract. num.* 4. Et ratio est, quia par non est, vt laicus ratione socij Ecclesiastici incommodum in re indiuidua patiatur; Et quamuis laicus gaudeat iure Clerici, quoad tempus præsentationis sex mensium, non tamen debet pati incommodum derogationis, ratione socij Clerici, ne laici à fundatione, & dotatione Ecclesiarum, & beneficiorum offensionibus huius-
9 modi remoueantur; Vnde etiam eorum patronatui maiora sunt concessa priuilegia, quam patronatui Clericorum, vti rectè notauit Co-
10 uarr. *vbi suprà.* Simili modo si duo Patroni sint laici, & totidem Ecclesiastici, patronatus censebitur laicus, quoad derogationem. Secus tamen, si Ecclesiastici sint plures, v. g. tres, & laici duo: tunc enim patronatus in derogatione censebitur Ecclesiasticus: nam Ecclesiastici (quorum consensus sufficit, cum sint maior pars) tenentur admittere derogationem; Quod, si omnes sint laici, v. g. quinque, non erit rata derogatio, nisi maior pars consentiat, nempe tres ad minus: horum enim consensus sufficit, etiam in præsentando.

11 Aduerte tertiò, quod si ius patronatus solum priuilegio, vel præscriptione acquisitum sit, potest Pontifex ei derogare sine expressa clausula derogatoria, etiamsi sit laicorum; modo tamen non constet, à laico esse fundatum:
12 Immo etiam legatus à latere poterit tale beneficium sine præsentatione conferre, sicuti docent Doctores communiter teste Couarr. *cit. num.* 5. & ratio est, quia talis patronatus potius censeri debet Ecclesiasticus, quam laicus, cum originem ex Ecclesiasticis trahat, cui vt mox dicam legatus à latere potest derogare.

13 Aduerte quartò, quod legatus à latere, & consequenter Nuncius Apostolicus cum potestate legati à latere potest derogare patronatui Ecclesiasticorum, non tamen laicorum, vti habet communis Doctorum opinio *in cap. dilectus; de offic. Delegati, & in cap. cum dilectus, de iurepatronatus*, vbi vtrumque dictum habetur, & ratio desumitur ex iis, quæ dicebam *in* 2. *Aduertendo.*

14 Aduerte quintò, quod Episcopus, neque Ecclesiasticæ, neque laicæ personæ iuri patronatus potest derogare; si tamen Episcopus præueniendo præsentationem patroni, conferat beneficium, collatio non est irrita. Verum, sequuta præsentatione patroni iuxtà tempus præscriptum à iure, collatio illa resoluetur, & euanescet, vt patet *ex cap. decernimus* 6. *quæst.* 7. si autem intra illud tempus patronus neminem præsentauerit, vel se non opposuerit, collatio manebit valida; quia iam ad Episcopum est deuoluta; & prior collatio non fuit irrita, nisi, sequuta intra tempus à iure definitum patroni præsentatione; Quare, si hæc non sequitur, illa confirmabitur, & manebit valida.



SECTIO XLV.

An possit Pontifex dispensare, quod quis retineat plura beneficia, residentiam requirentia?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex, si causa rationabilis subsit, potest dispensare quod quis retineat plura beneficia residentiam requirentia.*
2. *Causæ rationabiles, siue iustæ dispensandi in tali casu sunt duæ præcipuæ, ad quas cæteræ reuocantur.*
3. *Prima est Ecclesiæ necessitas, seu vtilitas magna, vt si desint alij, vel desint idonei, vel si quis valde potens.*
4. *Secunda est si alicui viro magno vnum beneficium non sufficit ad honeste viuendum iuxta suum statum; & alterum beneficium possit ei sine Ecclesiæ incommodo conferri.*
5. *Concilium Tridentinum neque potuit, neque voluit prohibere, quin ob legitimas causas Pontifex possit in hac re dispensare; nam Pontifex est supra Concilium, & de facto Pontifices olim dispensauerunt.*
6. *Obtinens scilicet dispensationem plura beneficia residentiam requirentia non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare, si putet in dispensatione legitimam non fuisse causam.*
7. *Collatio secundi beneficij, tertij, & cæterorum est valida, & confert verum titulum, nam ad nullum eorum iure naturæ persona est inhabilis, tenetur tamen resignare aliquot ex illis, quæ vel non sunt ei ante suum statum necessaria, vel in quibus obtinendis legitima causa non intercessit.*
8. *Fructus interim percepti non sunt restituendi, si muneri suo iste prouisus saltem per Vicarium satisfecit, alias tenetur ad restitutionem.*
9. *Episcopus non potest conferre duo beneficia residentiam requirentia sine dispensatione Pontificis.*
10. *Recensentur aliqui casus, in quibus Episcopus potest etiam post Tridentinum, licitè dare plura beneficia sine dispensatione Pontificis, & quinam sint vide ibi num.* 11. 12. 13. *&* 14.

1 Respondetur ex dictis *eadem sect.* 1. *& 2.* affirmatiuè, si scilicet causa rationabilis subsit; & ratio desumitur ex iis, quæ supra *tit. sect.* 1. *&* 2. dicebam.

2 Cæterum causæ rationabiles, seu iustæ dispensandi in tali casu præcipuè sunt duæ, ad quas cæteræ reuocantur.

3 Prima est Ecclesiæ necessitas, vel magna vtilitas, vt si desint alij, vel desint idonei, vel sit quis valde potens (sic filiis Principum dantur interdum Episcopatus, etiam ante ætatem, vt Ecclesiæ contra Hæreticos defendantur) item si quis putetur magis profuturus absens, quàm alius præsens.

4 Secunda est, si alicui viro magno vnum beneficium non sufficiat ad honeste viuendum iuxta suum statum, & alterum beneficium possit ei sine Ecclesiæ incommodo conferri: hæc tamen secunda causa reducitur ad primam: nam quod personæ sublimes, & litteratæ pluribus beneficiis honorandæ sint (quando vnum beneficium non est sufficiens) iuxta Concilium Lateranense *cap. de multo*; id non debet fieri, nisi propter Ecclesiæ vtilitatem; quod confirmatur ex S. Bernardo *epist.* 271. *ad Comitem Theobaldum*, vbi hoc expresse docet.

Neque dicas, quod Trid. *sess.* 24. *cap.* 17. id dispensari, prohibuerit.

5 Respondetur enim, quòd Concilium neque potuit, neque voluit prohibere, quin, ob legitimas causas, Pontifex possit in hac re dispensare: nam Pontifex est supra Concilium, & de facto Pontifices olim dispensarunt, inter quos Gregorius I. vt patet *lib.* 2. *epistolarum cap.* 52. qui quemdam Episcopum, Agnellum nomine, ob certam Ecclesiæ necessitatem duos Episco-

6 patus habere voluit; illud tamen verum est, quod si non putetur subesse legitimam causam dispensandi, is, qui per dispensationem obtinet plura residentiam requirentia beneficia, non tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare, vti docent ferè omnes Theologi, S. Thomas *quodlib.* 9. *art.* 15. Maior *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 4. Adrianus *in* 4. *quæst. de pluritate prabendarum*, quæ incipit, *Quia in promissis*, Caiet. *verb. beneficiorum multiplicatio*, Sot. *lib.* 3. *de iust. quæst.* 6. *art.* 3. & Tolet. *lib.* 5. *cap.* 71. Idemque docent multi Iurisperiti, & Canonistæ; & ratio est, quia Papa non est dominus beneficiorum, sed dispensator; at dispensator non pro suo arbitrio distribuere bona dispensanda, sed iuxta rationabilem voluntatem eorum, qui ea dispensanda reliquerunt, & eorum, in quorum vtilitatem relicta sunt, quæ in proposito est Ecclesia vniuersalis; tum quia est contra ius diuinum naturale, vt vnus habeat plura beneficia residentiam requirentia (nisi aliqua iusta causa excuset, qua de re Caiet. supra) atqui Pontifex non potest dispensare in iis, quæ sunt iuris diuini naturalis, nisi interueniat iusta causa, quæ turpitudinem tollat, vt patet in dispensandis votis, iuramentis, quin etiam & in indulgentiis, ergo &c. sed de hac re vide, si placet, Bernardum *epist. ad Robertum nepotem*, *&* *epist* 7. *ad Adam Monachum*.

Aduerte tamen, collationem secundi benefi- 7
cij, tertij, & cœterorum esse validam, & conferre verum titulum, vt patet ex multis Canonibus: nam ad nullum eorum iure naturæ persona est inhabilis, tenetur tamen resignare aliquod ex illis, quæ vel non sunt ei iuxta suum statum necessaria, vel in quibus obtinendis legitima causa non intercessit; fructus tamen 8
interim perceptos non tenetur restituere: si muneri suo, saltem per Vicarium, satisfecit, quod si non satisfecerit, tenetur ad fructuum restitutionem, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas.

Neque dicas secundò, ergo potest etiam 9
Episcopus conferre duo beneficia residentiam requirentia sine dispensatione Pontificis, si is videat, Ecclesiæ suæ profuturum, vt eidem personæ duo beneficia conferantur.

Respondetur enim, quòd lex semper obligat inferiorem, quandiu ex eius custodia nihil euidenter sequitur contra Legislatoris intentionem, sed nunquam, aut saltem rarissimè, euenit aliquid contra intentionem Tridentini ex eo, quod vni non dentur duo beneficia (nunquam enim euidens est, id esse contra maius bonum Ecclesiæ, & ædificationem proximorum, quas duas res intendit Tridentinum per huius præcepti custodiam, & obseruationem) ergo, &c.

Aduerte tamen, quod sunt aliquot casus, in 10
quibus, etiam post Tridentinum, poterit licitè Episcopus dare plura beneficia, sine dispensatione Pontificis.


Primus est: quando sunt beneficia simpli- 11
cia, etiam Canonicatus, quorum neutrum sufficit ad honestum vitæ statum, & alterum non requirit residentiam, siue ex sui institutione, siue ex rite præscripta consuetudine.

Secundus, si Ecclesia Cathedralis, vel Paro- 12
chialis, vel dignitas insufficiens sit ad sustentationem, poterit simul cum ea obtineri beneficium simplex non requirens residentiam; & vterque casus satis colligitur ex verbis Tridentini *sess.* 24. *cap.* 13. *&* 17. vbi aduerte, ante Tridentinum potuisse etiam plura curata beneficia possideri, si scilicet ita erant exigua, vt non possent proprios sacerdotes sustentare, vt patet *ex cap. eam se de ætate, & qualit.* nunc verò id non licet absque dispensatione Pontificis, vt patet *ex sess.* 24. *cap.* 17. vbi, qui habet plures parochias, cogitur sub graui pœna alteram resignare, etiam si neutra per se sufficiat; dixerim tamen iuxta superius tradita, quod si illæ essent valde vicinæ, ita vt vnus possit vtrique satisfacere, & non possent facilè inueniri, qui parochiæ vni soli velint deseruire, possint tunc duæ eidem soli committi, iuxta *capit. Clericus* 21. *quæst.* 1.

Tertius, si dignitati, vel canonicatui ac- 13
cessoriè annexa sit parochialis, quæ per Vicarium administrari solet. Ratio, quia beneficium alteri perpetuò vnitum censetur vnum cum illo, & illius naturam assumit; Vnde Parochiale annexum simplici assumit naturam simplicis; quod etiam post Tridentinum locum habet, vt præter alios docet Nauarr. *loc. infrà citando.*

Quartus, si vnum beneficium detur in titu- 14
lum, alterum in commendam ad sex menses,

etiamsi esset Parochiale (vt patet *ex cap. nemo, de elect. in 6. 9.* saltem cum Ordinarij dispensatione ; non tamen potest dari vnum in titulum, & alterum in commendam perpetuam sine iusta causa, & dispensatione Pontificis quia commenda perpetua æquiualet titulo, vt rectè probat Nauarr. *cap. 25. num. 126.*




SECTIO XLVI.

An possit Pontifex transferre bona Ecclesiastica ad alios vsus, etiam in Principes sæculares?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex, si est necessarium, vel valde expediens ad commune bonum Ecclesiæ, potest bona Ecclesiastica ad alios vsus, etiam in Principes sæculares nedum in alias Diæceses, vel Ecclesias contra nonnullos Doctores.*
2. *Bona Episcopatus dicuntur de patrimonio talis Episcopatus.*
3. *Bonorum Ecclesiasticorum dominium secundum Molinam, & Lessium est penes cœtum personarum cuiuslibet Ecclesiæ, ad quam illa bona pertinent.*
4. *Empta nomine Ecclesiæ acquiruntur Ecclesiæ.*
5. *Bonorum Ecclesiasticorum dominium secundum Innocent. & alios est penes Congregationem vniuersalem fidelium.*
6. *Bonorum prædictorum Dominium secundum plures Doctores est penes Deum, non solum vt vniuersalis; sed etiam vt particularis Dominus.*
7. *Papa licet canonici iuris solemnitatibus, absolutè loquendo, adstrictus non sit, sicut alij Prælati obstringuntur; tamen naturali, ac diuino iure prohibetur prohibitas alienationes facere.*
8. *Papa bonorum Ecclesiæ non Dominus; sed solum administrator à Christo constitutus est, non ad dissipandum, sed ad dispensandum.*
9. *Alienatio rerum Ecclesiasticarũ est iusta, est valida si v. g. rationabili causa nitatur; alia est valida, & non iusta, si absque iusta causa res vnius Ecclesiæ in aliam Ecclesiam, aliumue pium vsum transferantur, alia neque iusta, neque valida, si v. g. sine rationabili causa in vsus prophanos alienentur.*

1 Espondetur ex dictis *eadem sect. 1. & 2.* quod si est necessarium, vel valdè expediens ad commune bonum Ecclesiæ, possit Pontifex bona Ecclesiastica ad alios vsus, etiam in Principes sæculares, nedum in alias Diœceses, vel Ecclesias, talia bona transferre : sic de facto videmus, interdum bona Ecclesiastica Principibus sæcularibus concedi, ad Ecclesiæ vtilitatem.

Absque tamen iusta causa hoc facere Pontifex non potest, quia, ex communiori, & probabiliori opinione Doctorum, non est illorum bonorum Dominus sed administrator; ac proinde seruare debet dispensatoris fidelis leges, quarum principalis est publica Ecclesiæ vtilitas.

Atque ita contra Flaminium Parisium *lib. 2. de resignat. quæst. 4. num. 34.* Redoanum, *de spoliis, quæst. 1. num. 21.* Goneal. *ad regul. 8. in proœmio §. 1. num. 33.* Archidiaconum, & alios (quos citat, & sequitur Sopranus in appendice ad Filliucium *in tract. 44. de alienat. rer. Ecclesiast, cap. 3. num. 3. & 10.*) docent Sarmient. *de reddit. 4. part. cap. vlt. num. 1.* & Vasquez *in opusc. de reddit. Eccles. cap. 2. §. 1. dub. 1.* qui qui tenent, quod Dominium bonorum vniuscuiusque beneficij sit apud vnumquemque suum beneficiatum, cum onere tamen, & obligatione non alienandi, sed transmittendi illa successoribus sine detrimento, & deterioratione mouentur ex eo, quia 2
bona Episcopatus dicuntur de patrimonio talis Episcopatus *cap. indicatum 89. dist.* tum quia non potest assignari sufficiens ratio, cur beneficiatus non sit Dominus sui beneficij, ergo, &c.

Ita etiam docent Molina *tract. 2. disp. 29.* 3
conclus. 2. & Less. *lib. 2. de iust. & iur. cap. 4. dub. 7.* qui tenent, quod Dominium bonorum Ecclesiasticorum sit penes cœtum personarum cuiuslibet Ecclesiæ, ad quam illa bona pertinent, v. g. bona Ecclesiæ Neapolitanæ penes Clerum, & Capitulum Neapolitanum, & sic de aliis, &c. mouentur ex eo, quia huiusmodi bona vocantur dos, & patrimonium talis Ecclesiæ; tum quia dicuntur esse sub Dominio Ecclesiæ, *cap. 1. de testam. in. fin.* tum quia empta nomi- 4
ne Ecclesiæ acquiruntur Ecclesiæ, ergo &c.

Ita etiam docent Innocent. *in cap. cum super* 5
elect, de causa possess. & propriet. & alij, qui tenent, quod Dominium bonorum Ecclesiasticorum sit penes Congregationem vniuersalem fidelium.

Ita etiam tandem docent alij complures Do- 6
ctores, qui tenent, quod Dominium bonorum prædictorum sit penes Deum, non solum, vt vniuersalis, sed etiam vt particularis Dominus, quatenus ipsi ista peculiariter offeruntur, & dicantur, tum quia patrimonium Dei, & res Dominicæ dicuntur, *can. 40. Apostolorum*, ergo, &c. vide Nauarrum *commet. de spoliis Clericorum, §. 2. & 3.*

Hinc, licet papa canonici iuris solemnita- 7
tibus absolutè loquendo, obstrictus non sit, sicuti alij Prælati obstringuntur; tamen naturali, ac diuino iure prohibetur prohibitas alienationes facere; cum bonorum Ecclesiæ (sicuti di- 8
cebam) non Dominus, sed solum administrator à Christo constitutus sit, non ad dissipandum, sed ad dispensandum; vnde rectè distinguit Nauarr. *cit. §. 3. num. 8. iuncto §. 15. num. 4.* quod alia alienatio rerum Ecclesiasticarum 9
facta à Papa sit iusta, & valida, quæ videlicet

rationabili causa nititur; alia sit valida, & non iusta, si absque iusta causa res vnius Ecclesiæ in aliam Ecclesiam, aliumue pium vsum transferatur; alia denique neque iusta, neque valida, si res Ecclesiæ sine rationabili causa in vsus profanos alienentur, v. g. laicis, sine iusta causa donentur.

SECTIO XLVII.

An possit Pontifex quidquam in leges Principum?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex potest leges Principum si sint iniustæ & bono spirituali repugnantes abrogare, atque omnino de medio tollere: ita vt tunc & Principum subditi teneantur obedire potius mandatis Pontificis quam Principum sæcularium.*

1 Respondetur ex dictis *eadem sect.* 1. & 2. quod possit Pontifex leges Principum, si sint iniustæ, & bono spirituali repugnantes, abrogare, atque omnino de medio tollere, ita vt tunc & Principum subditi teneantur obedire potius mandatis Pontificis, quam Principum sæcularium, Molina *de iust. & iure tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 29. *num.* 34. & Anguian. *tract. de legib. tom.* 1. *lib.* 2. *controuer.* 17. *num.* 74.

SECTIO XLVIII.

An possit Pontifex quidquam in ipsos Principes, & Imperatores?

SVMMARIVM.

1. *Pontifex potest si sic exigat fidei, Ecclesiæ, vel boni spiritualis communis conseruatio, deponere Reges, & Imperatores.*
2. *Pontifex potest, si Princeps aliquis efficiatur hæreticus, vel schismaticus, vel si hæreticis, schismaticis, vel aliis infidelibus Ecclesiam oppugnantibus præstet auxilium, vel quid aliud efficiat in detrimentum Ecclesiæ, vti aduersus illum gladio temporali, & procedere vsque ad depositionem, & expulsionem à Regno.*
3. *Pontifex potest, si sic exigat bonum commune Ecclesiæ, v. g. propter Electorum negligentiam, vel discordiam, aut propter electi bonitatem aut propter Christiani populi, & publicæ pacis prouidentiam, aut tandem propter hæreticorum, schismaticorum, vel similium hominum audaciam coercendam &c. per se ipsum eligere Imperatorem.*
4. *Imperator hoc ipso quod est minister Dei, cum à Deo dicatur gladium accipere; est etiam minister Papæ, qui est Vicarius Dei.*
5. *Militans, cuius finis est victoria, eligit equestrem, & frænofactum.*
6. *Imperator non recipit gladium à Papa tanquam à Persona priuata, sed tanquam à Vicario Dei.*
7. *Pontifex potest ob eamdem rationem boni communis Ecclesiæ Imperatorem sicut per se ipsum, eligere; ita & ab alijs electum non confirmare; vel etiam à se ipso confirmatum ex rationabili causa noua deponere; quinimmò & Imperatoris electores instituere, & institutos mutare. Vide quid fecerit Stephanus II. & Gregor. V.*
8. *Recensentur causæ, ob quas scilicet Pontifex Gregor. V. tantum de Alemania electores assumpsit.*
9. *Pontifex potest, quando Pars vocata, & expectata nollet eligere, vel nollet ad eligendum conuenire, eligere per se ipsum Imperatorem.*
10. *Sedes Apostolica non debet suo defensore, & Aduocato carere.*
11. *Pontifex potest, si sic expediret bono communi Ecclesiæ vniuersalis prouidere de Imperatore per successoriam hæreditatem, ob plures rationes quas proffert Ancheranus, dicens tamen in praxi id non esse ponendum.*
12. *Modus eligendi Imperatorem est de iure positiuo, super quod Pontifex habet plenitudinem potestatis.*



Respondetur ex dictis ibidem, quod possit Pontifex, si sic exigat fidei, Ecclesiæ, vel boni spiritualis communis conseruatio, deponere Reges, & Imperatores; vnde de facto transtulit aliquando Imperium à Græcis ad Germanos. 1

Item possit secundò, si Princeps aliquis efficiatur hæreticus, vel schismaticus, vel si hæreticis, schismaticis, vel aliis infidelibus Ecclesiam oppugnantibus præstet auxilium vel quid aliud efficiat in detrimentum Ecclesiæ, vti aduersus illum gladio temporali, & procedere vsque ad depositionem, & expulsionem à Regno; ita Molina *de iust. & iur. tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 31. *num.* 28. videri etiam poterit Malder. 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 8. Bobadilla *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 5. Comitol. *in apologet. cap.* 3. & Barbos. *in collectan. tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 6. *cap.* 34. *num.* 3. & 4. 2

Item possit tertiò (si sic exigat bonum commune Ecclesiæ, v. g. propter Electorum negligentiam, vel discordiam, aut propter electi bonitatem, aut propter Christiani populi, & 3

publicæ pacis prouidentiam, aut tandem propter Hæreticorum, Schismaticorum, vel similium hominum audaciam coercendam, &c.) per seipsum eligere Imperatorem, August. de Anch. Peregr. *de iur. fisci*, Mastrill. Suarez, & Bellarmin. quos citat, & sequitur Barbos. loco
4 suprà cit. & ratio vlterius est, quia Imperator hoc ipso quòd est Minister Dei (cum à Deo 23. *quæst.* 4. dicatur gladium recipere) est etiam Minister Papæ, qui est Vicarius Dei; sed principalis agentis est eligere Ministros, & instrumenta ad finem (qui in Papa est pax, & commune bonum Ecclesiæ) quapropter Arist.
5 1. *Ethic.* docuit, quòd militaris cuius finis est victoria, eligit equestrem & frœnofactiuam, ergo, &c.

Neque dicas, haberi *in cit.* 23. *quæst.* 4, quòd Imperator recipiat gladium à Deo, consequenter non recipiat à Papa.

6 Respondetur enim, quòd Imperator non recipit gladium à Papa, vt est persona priuata, sed vt est Vicarius Dei. Adde, quòd si Imperator recipit gladium à Deo, recipit illum à Vicario Dei, qui est Papa, quia Imperator cum sit homo, non potest illum recipere à Deo, nisi humano modo, & sic per hominem, qui est Vicarius Dei, scilicet per Papam.

7 Item possit quartò, ob eamdem rationem boni communis Ecclesiæ, Imperatorem, sicut per seipsum eligere, ita & ab aliis electum non confirmare, vel etiam à seipso confirmatum postea ex rationabili causa noua deponere; Quinimo & possit Imperatoris Electores instituere, & institutos mutare, Doctores in locis suprà cit. Quapropter Stephanus II. petens, Ecclesia oppressa ab Astulpho Rege Longobardorum, auxilium à Costantino, & Leone eius filio Imperatoribus, & non obtinens auxilium ab illis, transtulit Imperium ad Carolum magnum Pepini filium, vti testatur Glossa *in cap. venerabilem, de elect.* & Carolus post annos quindecim coronatus est à Leone Papa, quem Carolum prædecessor substituerat Ludouico Regi Francorum, quem deposuerat, vt legitur 15. *quæst.* 6. alios & Gregorius V. tempore Othonis Imperatoris, conuocatis, & requisitis Alemaniæ Principibus, septem Electores instituit officiales ipsius Curiæ Imperialis; quatuor scilicet Laicos, vt Regem Bohemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, & Marchionem Brandeburgensem, & tres Ecclesiasticos, vt Archiepiscopum Maguntinum, Coloniensem, & Treuerensem.


8 Cœterùm (vt ait Anchar.) de Alemania tantùm Electores Pontifex assumpsit, quia exinde fuerunt Principes, qui liberarunt Ecclesiam à seruitute Longobardorum, & Romanorum; Secundò ratione deuotionis illius Populi ad sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, vt ostendit eorum continua peregrinatio ad dictos Apostolos; Tertiò, quia sic voluit Gregorius exinde natus, & Otthonis consanguineus; & meritò, quia sicut Romani ante aduentum Christi Domini propter Reipublicæ zelum, & legis, iustitiæque obseruationem meruerunt Imperium (vt patet *ex* 2. *Machab.* & ex Aug. 5. *de Ciuit. Dei, cap.* 12.) ita, cum postea vitiis se dederint, & merito Imperio, & Imperatorem eligendi potestate priuati fuerunt, vt dixit August. de Anchar. *loco cit.* quamuis ad hanc diem Imperator vocetur Rex Romanorum, sicut igitur Alemanis hoc à Papa concessum est, ita si contrarium Ecclesiæ expedire videretur, denegari illud iisdem à Papa posset, & aliis concedi, *extrauag.* & *Clem. venerabilem*; vbi etiam patet, quòd si duo ad Imperium eligantur, potest Pontifex vni fauere vt illum præeligat, vtpotè magis idoneum ad Ecclesiæ defensionem vel quia illi fama, vitæ integritas, & iustitia magis suffragantur.


Idem dicendum, quòd possit efficere Pontifex, quando pars vocata & expectata nollet eligere ad eligendum conuenire. Ratio, quia 9 Sedes Apostolica non debet suo defensore & Aduocato carere; quare cum Lotharius, & Conradus electi fuissent in discordia, Pontifex Lotharium coronauit.

Item possit quintò, ob eandem causam boni communis Ecclesiæ prouidere de Imperatore per successoriam hæreditatem, si scilicet videret, quòd ita magis vniuersali Ecclesiæ expediret. Et ratio vlterius est; quia modus eligendi Imperatorem est de iure positiuo, super quod Pontifex habet plenitudinem potestatis, vti suprà *cit. sect.* 2. dicebam. Vide.

August. de Anchar. qui tenet, quod hoc esset Ecclesiæ magis expediens; primò, quia, si Imperator sciret ad Imperium suos filios successuros, magis conaretur ad augmetum, & conseruationem Imperij, Secundò. quia non ita facile rebellarent fideles soliti obedire Imperatori, & Ecclesiæ, cuius Imperator minister est familiaris; tertiò, quia ex obitu Imperatorum, & discordia Electorum plerumque Ecclesia caret suo defensore, & bella nascuntur, & Imperator contemnitur. Attamen ex alio capite recte ait idem Anchar. *loco cit.* hoc in praxi ponendum non esse; quia ex inde multa sequi possent scandala, à quibus abstinendum est, etiam in malis tolerandis, nedum in bonis maioribus promouendis, sicuti habetur in distinct. 3.


Quæ autem modo dixi de electione Imperatoris, eadem etiam ob easdem rationes, dico de electione Summi Pontificis.





DVBITATIO V.

An Rex, vt subueniat suæ, vel Regni necessitati, possit reducere contractus ad limites iustitiæ, non solùm quos ipse cum Mercatoribus fecit cum alagiis, & magna ipsius læsione, sed etiam quos similiter fecerunt ipsius incerti, & ignoti Vassalli; sicque exigere à Mercatoribus non solùm id, in quo ipse læsus est ab illis, sed etiam id, in quo ipsius incerti, & ignoti Vassalli læsi sunt ab iisdem Mercatoribus?



SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Principes, si Vassalli qui læsi sunt sint incerti, & ignoti, possunt reducere contractus ad limites iustitiæ.*
2. *Rex cum sit supremus Princeps in bonis temporalibus, ipsius proprium munus est de bonis temporalibus suorum subditorum disponere, prout expedit bono communi; maxime cum Domini ignorentur, quo casu potest in beneficium commune tanquam in causam maxime piam, bona illa destinare.*
3. *Rex potest disponere de thesauris, & aliis bonis Domino carentibus.*
4. *Principis fiscus in quibusdam locis occupat bona eorum qui intestati moriuntur, & nullum hæredem intra decimum gradum relinquunt.*
5. *In Hispania animalia certorum Dominorum oberrantia, si Domini post diligentem inquisitionem inuenti non fuerint, applicantur quibusdam magnatibus.*
6. *Idem fit de cæteris inuentis in Gallia.*
7. *Inuentor, si post diligentem inquisitionem Dominus inuentus non fuerit, potest secundum aliquos Doctores inuenta habentia Dominum incertum sibi retinere; neque obstat vllum ius positiuum Ecclesiasticum, aut diuinum, quo hæc necessariò sint pauperibus eroganda, quia factis diligentiis, & eorum Domino non inuento, censentur de iure naturæ, ac proinde occupantis; secus si Dominus compareat.*
8. *Opinio prædicta ad summum videtur vera esse si Princeps in contrarium non disponat, vt est in casu nostro.*
9. *Bona inuenta incertorum quod sint Pauperibus eroganda, vel aliis piis operibus impendenda est communis, & probabilior opinio contra Sotum, & Nauarram.*
10. *Bona inuenta incertorum viget consuetudo orta ex praxi communis sententiæ, vt piis operibus impendantur.*
11. *Peregrinus, si intestatus decesserit, ad Hospitem nihil prouenit; sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur.*
12. *Bona inuenta incertorum ea interpretata Dominorum voluntate videntur impendenda piis operibus.*
13. *Bona naufragorum, cum Domini adsint, qui sciri possunt, non est tolerabilis consuetudo vt in litus eiecta habeantur tanquam adespota, & occupentur à Gubernatoribus loci; nam hæc consuetudo est contra ius naturæ, & etiam contra ius Cæsareum.*
14. *Bona Naufragorum, si sint Christianorum, occupantes sunt excommunicati in Bulla Cœnæ.*
15. *Princeps potest debitores talium bonorum, & illa retinentes in pœnam iustitiæ, vel etiam in fauorem Pauperum, & multo magis in fauorem causæ communis, quam maxime piè, reddere incapaces, ne possint eorum dominium acquirere, & retinere.*
16. *Bona incerta, & incerta debita, siue ex contractu, siue ex delicto, sunt in Pauperes, vel in causas pias eroganda, si non iure naturali; saltem iure positiuo, & consuetudine.*
17. *Bona, quæ vsuris inique acquisita sunt, si non supersunt illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dantur Pauperibus, & vsurariis eorumque hæredes Ecclesiasticis pœnis ad hoc coguntur.*
18. *Amplia, id ad incerta debita ex aliis delictis, vt ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus.*
19. *De debitis ex contractu, v. g. ex deposito, commodato, mutuo, venditione extat vbique consuetudo piorum, vt hæc in pias causas expendantur.*
20. *Pauperum nomine veniunt, non solùm mendici, sed etiam ij, quibus necessaria ad decentem statum desunt, & quæuis opera pia.*
21. *Princeps si non habeet necessaria ad decentem statum, sed etiam necessaria ad conseruationem boni communis in casu, de quo agitur venit nomine Pauperum, & ita potest dispensare de bonis, & debitis incertis in beneficium commune, seu in causam piam communem.*
22. *Bona, & debita incerta etiam ex contractu, quod sint in Pauperes, vel in causas pias eroganda, est fortasse probabilior, sicut etiam communior, & magis pia sententia.*

PRIMA facie videtur dicendum, quod non; quia id, in quo læsi sunt Vassalli, de iure videtur spectare ad ipsos Vassallos, vtpote ad partem læsam; Præsertim, quia multoties Regis ministri fuerunt Vassallis causa talis damni, cogendo quodam modo illos per difficiles solutiones ad contrahendum cum Mercatoribus cum alagiis, & damno suo notabili. His tamen non obstantibus.

1 RESpondetur, si Vassalli, qui læsi sunt, sint incerti, & ignoti, affir-
2 mandum esse; quia, cum Rex sit supremus Princeps in bonis temporalibus, ipsius proprium munus est de bonis temporalibus suorum subditorum disponere, provt expedit bono communi (sicuti *dubit. præcedenti sect.* 31. *&* 36. dicebam) quod maximè locum habet, quando ipsi Domini, cum ignorentur, de bonis illis disponere non possunt; quapropter in tali casu poterit Rex in beneficium commune, tanquam in causam maximè piam, bona illa destinare.

3 Confirmatur; quia potest Rex disponere de thesauris, & aliis bonis Domino carentibus, ergo etiam de bonis, & debitis incertis, quia bona hæc Dominorum incertorum post diligentem inquisitionem censentur, tamquam adespota, idest, quæ Domino carent (cum non magis Dominis ptodesse possint, quam si illorum non essent, & omninò Domino carerent) ergo, si Rex de his disponat in beneficium commune, nullam facit Dominis iniuriam.

4 Hinc in quibusdam locis Fiscus Principis occupat bona eorum, qui intestati moriuntur, & nullum hæredem intra decimum gradum
5 relinquunt: Et in Hispania animalia certorum Dominorum oberrantia, si Domini post diligentem inquisitionem inuenti non fuerint, applicantur quibusdam Magnatibus: Idem
6 fit de cœteris inuentis in Gallia, teste Couarr. *ad regul. peccatum part.* 3. *§.* 1. *num.* 5. quæ omnia iniquissima forent, si Rex de his disponere non posset.

Dices: Sotus *lib.* 5. *de iustit. quæst.* 3. *art.* 2. & Petrus Nauarra *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 75. (qui pro se citat Ledesmam, Mercatum & Barthol.
7 Medinam) putant inuentorem, si post diligentem inquisitionem Dominus inuentus non fuerit, posse inuenta (habentia scilicet Dominum, sed incertum) sibi retinere; neque obstare vllum ius positiuum Ecclesiasticum, aut diuinum, quo hæc necessario sint pauperibus eroganda; quia (vt inquiunt ipsi) talia bona, hoc ipso, quo per sedulam inquisitionem, tempusque ad id faciendum sufficiens, Dominus non potest deprehendi, censentur adespota; ac proinde iure naturæ fiunt occupantis, sicut thesauri, & alia, quæ nullius sunt, quamuis tacita quædam obligatio illis annexa sit, vt si Dominus postea compareat, restituantur.

8 Respondetur, id ad summum verum esse, remota dispositione Principis; non autem, si sit dispositio Principis in contrarium, vt est in casu nostro.

9 Adde, quòd opposita sententia contra Sotum, & Nauarram est fere communis, & probabilior: nempe, quod talia bona pauperibus, vel aliis piis operibus, sint impendenda; eamque tenent S. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 3. & passim Theologi *in* 4. *distinct.* 15. Sylu. verbo *inuentum, num.* 2. (vbi dicit, omnes Canonistas ita sentire) Nauarr. *cap.* 17. *num.* 170. Couarr. *ad regul. peccatum*, 3. *part.* §. 1. *num.* 1. *& seqq.* qui etiam non approbat suprà tactam consuetudinem applicandi hæc Magnatibus; & ratio huius sententiæ contra Sotum,
& Nauarram est, quia passim apud pios viros 10
est consuetudo, vt piis operibus hæc impendantur; quæ consuetudo videri potest, habere vim legis: orta enim est ex praxi communis sententiæ, quæ vsque ad Sotum viguit (vnde magnum scrupulum plerique, si hæc sibi retinuerint, concipiunt) tum quia est magis consentanea iuri communi: nam *in authent. omnes peregrini*,
Cod. communia, de success. statuitur, quòd si pe- 11
regrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perueniat, sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur; tùm quia hæc videtur esse Domini voluntas, vt sic
ei res sua aliquo modo prosit; & quidem quis- 12
que de rebus suis perditis ita fieri rationabiliter cupit.

Aduerte etiam, quòd cum Domini adsunt, 13
qui sciri possint, non est tolerabilis consuetudo, quæ in quibusdam locis esse dicitur, vt bona naufragorum in littus eiecta habeantur, tanquam adespota, & occupentur à Gubernatoribus loci: nam præterquam quòd talis consuetudo est contra ius naturæ (vtpotè alieni occupatio & magna in miseros crudelitas) est
etiam contra ius Cæsareum, *auth. Nauigia*, 14
Cod. de furtis; quinimo, si sint bona Christianorum, occupantes excommunicantur in Bulla Cœnæ; & meritò, quia id est afflictionem afflictis addere. Vide Nauarr. *cap.* 27. *num.* 60. *&* 118. & Couarr. *ad regul. peccatum part.* 3. §. 1. *num.* 5.

Secunda ratio responsionis affirmatiuæ no- 15
stræ est; quia potest Princeps debitores talium bonorum, & illa retinentes, in pœnam iniustitiæ, vel etiam in fauorem pauperum, & multò magis in fauorem causæ communis quam maxime piæ, reddere incapaces, ne possint illorum dominium acquirere, & retinere.

Tertia ratio est, quia talia bona ex tacita dominorum voluntate videntur in causas pias eroganda, sicuti suprà dicebam; quare sic ar-
guo: bona incerta (idest habentia dominum 16
ignotum) & incerta debita (siue ex contractu siue ex delicto) sunt in pauperes, vel in causas pias eroganda, si non iure naturali, saltem iure positiuo, vel consuetudine, sicuti testatur communis Doctorum sententia apud Couarr. *ad regul. peccatum, part* 3. §. 1. *num.* 3. Ioann. Medin. *Cod. de restit. quæst.* 3. *caus.* 10. & Nauarr. *in summ. cap.* 17. *num.* 92. *&* 93. (& quidem de incertis ex delicto proba-
tur *ex cap. cùm tu, de vsuris*, vbi Alex. III. iu- 17
bet, vt ea quæ vsuris iniquè acquisita sunt, si non supersunt illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus, & vsurarij, eorumque hæredes Ecclesiasticis pœnis ad hoc co-
gantur; quod Doctores communiter extendunt 18
etiam ad incerta debita ex aliis delictis, vt ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus, &c. idque meritò, quia eadem, vel etiam maior est in his ratio, ne hominibus iniquis integrum sit ex iniquitate, & iniuriis ditescere; Et de debitis ex contractu, v. g. ex 19
deposito, commodato, mutuo, venditione, &c. probatur; quia etsi de his non extet canon, vbique tamen est consuetudo piorum, vt hæc in


pias causas expendantur, quando Dominus inueniri nequit, ad hoc vt animæ eius prosint; quæ consuetudo videtur orta ex quadem conuenientia; quia debitor ex conuenientia tenetur hæc restituere eo modo quo potest; nempe, vt vel ipsæ res, vel vtilitas ex illis ad dominum perueniat; quod fiet, si pauperibus, vel in causas pias erogentur ad salutem domini viui, vel mortui; quia sicuti supra dicebam, hæc videtur esse rationabilis domini voluntas, vt sic ei res suæ aliquo modo restituantur; & rationabiliter quisque de rebus suis perditis ita fieri cuperet) at nomine pauperum veniunt non
20 solùm mendici, sed etiam ij, quibus necessaria ad decentem statum desunt, & quæuis opera pia (vt ex communi docet Nauarra *cap.* 17. *num.* 93. ergo multò magis veniet Princeps in
21 casu nostro; cùm Princeps in tali casu, non solum necessaria ad decentem statum, sed etiam necessaria ad conseruationem boni communis, non habeat; quare Princeps in dicto casu absque difficultate poterit disponere de bonis, & debitis incertis in beneficium commune, seu in causam piam communem, quæ est omnium piarum causarum maxime pia.

Dices: Petrus Nauarra *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 47. & alij Doctores tenent, quod bona, & debita incerta non iure naturali, sed iure positiuo sint pauperibus, vel piis causis impendenda; ergo cessante lege positiua, uel consuetudine vim legis habente, illa non necessariò sunt in pauperes, vel in causas pias eroganda; atque adeo (cùm solùm lex inueniatur de iis, quæ ex delicto debentur, vt de vsuris) sequitur, quòd quæ debentur ex contractu, possint, tanquam adespota, post diligentem inquisitionem ab inuentore retineri.

Respondetur, transeat, quod hæc horum Doctorum sententia sit probabilis, præsertim cum non constet, consuetudinem esse in contrarium; at procedit illa, si non adsit dispositio Principis in contrarium, de qua nunc sermo est.

22 Addé quod opposita sententia, nempe quòd bona, & debita incerta (etiam ex contractu) sint in pauperes vel in causas pias eroganda, est fortasse probabilior, sicut etiam communior & magis pia sententia; tum vbique vigere videatur consuetudo piorum, vt hæc in pauperes, vel pias causas expendantur quando Dominus inueniri non potest; orta ex conuenientia (sicuti suprà dicebam) vt omni meliori modo, quo potest, vel res ipsæ, vel vtilitas ex illis ad Dominum perueniat; quod fiet, si dentur in pauperes, vel in causas pias, ad salutem Domini viui, vel mortui, ergo iure naturæ hæc in pauperes, vel in pias causas sunt eroganda, vnde multo magis in hac secunda sententia poterit Princeps de incertis bonis, incertisque debitis disponere in bonum commune, quæ est causa causarum piarum maximè pia. Vide, quæ dicebam *dubit.* 4. *sect.* 31, *&* 36.

Ad rationem dubitandi in principio positam respondebitur infra commodiùs in dubitatione sequenti.



SECTIO II.

An, & quomodo bona, & debita incerta siue ex contractu, siue ex debito, si de his non adsit dispositio Principis, sint restituenda?

SVMMARIVM.

1. *Bona & debita incerta siue ex contractu, siue ex debito, cessante Principis dispositione, si is, qui habet sit pauper, poterit tamquam vnus è Pauperibus retinere.*
2. *Pauper, qui sibi applicauit bona, & debita incerta vti pauperi, non tenetur postea ditior effectus aliis pauperibus restituere; quia bene causa paupertatis applicando, distribuit.*
3. *Inuentor bonorum, seu debitor incertorum si aliis pauperibus post debitam diligentiam distribuit, etiam si Dominus postea comparuerit ad nihil tenetur.*
4. *Inuentor &c. si sibi ea tamquam pauperi distribuit, Domino cognito, tenetur ei restituere, modo adhuc extent in se vel in pretio; idque etiam si sine culpa ea habuerit; secus si nec in se, neque in pretio extent; præsertim si sine culpa acquisiuerit.*
5. *Item si per culpam rem acquisiuerat, adhuc probabilius est Domino comparente, si post debitam inquisitionem animo restituendi factam sibi tamquam pauperi applicauit, eamque consumpsit, itavt nec in se, neque in pretio apud ipsum extet. non teneri ad restitutionem.*
6. *Res semel debito modo pauperi applicata, etiamsi sibi ipsi pauperi, secundum quosdam Doctores, non debet postea Domino comparenti restitui, quamuis in sua specie extet;*
7. *Sed eorum rationes, quas recenset & confutat Auctor, non conuincunt.*
8. *Pauper qui solum est pro loco & tempore, tenebitur postea veris pauperibus iuxta communem sententiam Doctorũ restitutionem facere, nam bona incerta veris pauperibus ex dispositione Ecclesiæ sunt restituenda.*
9. *Pauper pro loco est qui alibi bona habet pro tempore qui nouit artem, vel industriam, qua facile sibi necessaria ad statum suum comparare potest, vel aliunde ea proximè expectat.*
10. *Consilio Episcopi, vel Parochi, vel prudentis Confessarij in hac restitutione vti expedit, præsertim quando sibi rem alienam reseruat, quia facile amor proprius in hoc negotio decipere potest; absolute tamen id non est necessarium.*

1 Respondetur: si is, qui hæc bona habet, vere pauper est, poterit ea, tamquam vnus è pauperibus, sibi retinere; atque ita docent Scot. *distinct.* 15. *quæst.* 3. Caietan. *quæst.* 62. *articul.* 5. & alij; & ratio est, quia ipse non debet esse peioris conditionis, quàm alij pauperes, præsertim, si non intercessit ipsius culpa in re illa acquirenda, vel debito contrahendo, quod si ipsius culpa intercessit, meretur quidem ea re priuari, tamen paupertas est sufficiens ratio, cur possit ipsi per confessarium, vel etiam per propriam authoritatem applicari: non enim est necesse, vt detur pauperiori, vel sanctiori (quamuis id expediat) sed satis est, si detur pauperi, titulo
2 paupertatis. Vbi autem ipsi res hoc modo applicata fuerit, non tenetur postea ditior effectus aliis pauperibus restituere; quia sibi causa paupertatis applicando, bene eam distribuit, iuxta generalem intentionem eius, cuius est de bonorum incertorum distributione statuere; Pontificis scilicet, & Domini incerti.
3 Dices, quid si Dominus postea comparuerit? Respondetur, &c.

Dico primò, si aliis pauperibus post debitam diligentiam distribuisti, ad nihil amplius teneris: non enim teneris ratione rei (cum in tua potestate amplius non sit) neque teneris ratione iniustæ acceptionis; quia etiamsi iniustè acceperis, tamen hæc culpa, iam est abstersa per restitutionem factam iis & eo modò, quo potuit & debuit in tali casu fieri.
4 Dico secundò: si eam tibi, tamquam pauperi, assignasti, teneris restituere Domino cognito, modò adhuc extet in se, vel in pretio; Idque etiam si sine tua culpa eam habueris. Ratio, quia teneris ratione rei, dummodo non sis in tanta necessitate, vt propterea eam tibi possis retinere.

Dico tertiò: si ea nec in se, nec in pretio extet, ad nihilum teneris, præsertim si sine culpa tua eam acquisiueras. Ratio, quia qui bona fide rem alienam consumpsit, non tenetur, nisi quatenus ex illa factus est ditior.
5 Dico quartò: si per culpam rem acquisiueras, adhuc probabilius est te non teneri, Domino comparente, si post debitam inquisitionem animo restituendi factam, tibi, tamquam pauperi, applicasti, eamque consumpsisti, ita vt, nec in se, nec in pretio apud te extet. Ratio, quia nec ratione rei acceptæ teneris (vt quæ, nec in se, neque in pretio extat) nec ratione iniustæ acceptionis; quia culpa abstersa est per voluntatem restituendi, & diligentiam præstitam, vt Domino restitueres, & per restitutionem, quam tibi, tamquam pauperi, fecisti.
6 Aduerte tamen, quosdam Doctores sentire, rem semel debito modo pauperi applicatam (etiam si tibi ipsi pauperi applicueris) non debere Domino postea comparenti restitui, quamuis in sua specie extet; atque ita insinuat Petrus Nauarr. *lib.* 4. *restitut. cap.* 2. *num.* 57. & expressè docet Henriq. *de Indulg. cap.* 34. *num.* 8.

Primò, quia dum applicata est pauperi, censetur in vtilitatem Domini restituta, & Dominus tenetur talem restitutionem ratam habere.

Secundò, quia per hanc applicationem transfertur dominium.


Sed hæ rationes non conuincunt: facile enim ad illas respondetur.

Ad primam, quòd non tenetur Dominus 7
habere ratum, nisi donec rem suam inuenerit; quia cum hac tacita conditione debet fieri applicatio, videlicet, vt si Dominus postea compareat, ipsi restituatur.

Ad secundam, negatur transferri dominium, nisi postea possideatur bona fide tempore ad vsucapionem, vel præscriptionem à lege requisito, sicuti rectè aduertunt Couarr. & alij Doctores: nam iura alium modum transferendi dominium non concedunt; Quod si tamen in aliqua Prouincia esset constitutio concedens, vt alio etiam modo dominium transferatur, non esset illa constitutio damnanda; quia dispositio talium bonorum subest Principum authoritati, nisi Pontifex eam sibi reseruauerit.


Aduerte secundò, quod dixi in principio 8
præsentis Sectionis, *si is, qui hæc bona habet, vere est pauper*; Quia si solum est pauper pro loco, vel tempore, tenebitur postea iuxta communem sententiam Doctorum veris pauperibus restitutionem facere: nam ex ordinatione Ecclesiæ, & consuetudine piorum virorum veris pauperibus incerta bona sunt restituenda. Cæterum pro loco pauper est, qui alibi bona habet. Pro tempore autem pauper est, qui nouit 9
artem, vel industriam, qua facilè sibi necessaria ad statum suum comparare potest, vel aliunde ea proximè expectat.

Aduerte tertiò, expedire, vt quis in hac di- 10
stributione (præsertim quando sibi rem alienam reseruat) vtatur consilio Episcopi, vel Parochi, vel prudentis Confessarij; quia facile amor proprius in hoc negotio decipere potest; Absolute tamen id non est necessarium: nam sufficit, vt prudenter fiat. Vide Syluest. *verb. restitutio* 8. *quæst.* 5. Medinam *quæst.* 3. *causa* 10. & Nauarr. *cap.* 17. *num.* 92. qui subdit, in quatuor casibus posse Episcopum se interponere in tali euentu.



DVBITATIO VI.

An si Vassalli læsi à Mercatoribus sint noti, & certi, possit Rex, vt subueniat suæ, vel Regni necessitati, facere idem, quod facere posse dicebam in dubitatione præcedenti.



SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Rex vt subueniat suæ, vel Regni necessitati potest si Vassalli læsi à Mercatoribus sint noti,*

& certi, exigere à mercatoribus non solum id, in quo ipse læsus est ab illis; sed etiam id, in quo ipsius certi, & noti Vassalli læsi sunt ab ijsdem mercatoribus.

2. *Accipientes dono, vel ementes pignora, vel alia, quæ Usurarij passim in oppidis publice vendunt, ex communi sententia Doctorum excusantur, ex eo quia Mutuatarij postquam ea reliquerunt pro vsuris, habent pro derelictis, & non solent curare ad quos perueniant.*

3. *Princeps quod receperat à Mercatoribus conuertit in beneficium commune Regni, & sic in beneficium etiam ipsorum læsorum; & per id euitat nouum grauamen, nouamque gabellam communitati.*

4. *Res habetur pro derelicta, quando Dominus ita eam proijcit, vel relinquit vt nulla ipsi spes superfit, industria, vel aliquo casu eam recuperandi; fitque occupanti, contra alios contrarium tenentes, nisi Dominus significauerit saltem implicite se illam occupanti concedere.*

5. *Res, quæ fluctibus procul est abrepta, vel alio modo amissa, & Dominus sciens vbi sit quærenda, non curat eam recuperare, ex eo, quia eam parui facit, vel quia essent pro illa magnæ expensæ faciendæ, habetur pro derelicta.*

6. *Res alterius probabiliter secundum aliquos Doctores retineri potest, si ea certo fuerit Domino peritura, nisi retinens eam suripuisset, vt sunt Zaccharum frumentum, farina, papyrus, & similia in naufragio periclitantia.*

7. *Qualibet res nostra quamtumcumque periclitetur, manet semper nostra, quamdiu non est consumpta; si v. g. cupimus eam nostram manere.*

8. *Periculum quando ferè tanti æstimatur quanti res ipsa, sicut Dominus habet ius rem vendicandi, ita recuperator exigendi æstimationem sui laboris, & periculi; quin Domino nihil dicente poterit retineri veluti concessa ratione laboris, & periculi.*

9. *Rex si culpa sua fuit causa, vt Vassalli qui notabiliter læsi sunt à Mercatoribus contraherent cum illis cum tanto damno, & læsione, tenetur ratione iniustæ actionis, compensare illis damnum saltem cum ad meliorem fortunam peruenerit.*

1 RΕspondetur etiam affirmatiuè; quia licet non possit quis à deceptore, vel vsurario, vel fure, &c. accipere vllo titulo res alienas, quæ apud illos in specie extant, vt iura, actiones, vestes, catenas, lectos, &c. (etiamsi tales homines eas alienando non fierent impotentiores ad soluendum) quia, cum ipsi talium rerum Dominium non habeant, non possunt illud in alium transferre, nihilominus id intelligitur, quando inuito Domino ea dono acciperentur, vel emerentur. Secus, si fieret (vt in casu nostro ob rationes supra dictas, & infrà dicendas) ex consensu Domini, saltem implicito, & præ-
2 sumpto; Quapropter ex communi sententia Doctorum excusantur, qui dono accipiunt, vel emunt pignora, & alia, quæ vsurarij passim in oppidis publicè vendunt, ex eo quia mutuatarij, postquam ea reliquerunt pro vsuris, habent pro derelictis, & non solent curare, ad quos perueniant, etsi rogarentur, libenter facerent potestatem dono illa accipiendi, vel emendi, &c. ergo multò magis id dicendum est in casu nostro, cum Princeps, quod recuperat à Mercatoribus, conuertat in beneficium 3
commune Regni, et sic in beneficium etiam ipsorum læsorum; & præterea per id euitet nouum grauamen, nouamque gabellam communitati, atque adeo, & ipsis læsis, alioquin necessariò imponendam.

Confirmatur, quia multi Doctores, vt Petrus Nauarra *lib. 4. cap. 1. num. 58.* & alij 4
probabiliter docent, rem haberi pro derelicta, quando Dominus ita eam proijcit, vel relinquit, vt nulla ipsi (sicuti est in casu nostro) spes superfit, industria, vel aliquo casu eam recuperandi; Quare tunc, si quis illam aliquo modo desumat, vel saluet, efficit suam; et quamuis contrarium teneant alij, vt Less. *de iust. & iure lib. 2. cap. 5. dub. vlt. in fin.* qui non existimant, id esse verum, nisi Dominus aliquo modo saltem implicitè significauerit, se eam occupanti concedere, vel si æstimatio industriæ sit fere par illi rei; Nihilominus ob rationem dictam opinio Petri Nauarr. est etiam probabilis.

Confirmatur secundò, quia multi alij Doctores docent (pro derelicta etiam haberi rem 5
illam, quæ v. g. fluctibus procul est abrepta, vel alio modo amissa; & Dominus sciens, vbi sit quærenda, non curat eam recuperare) ex eo, quia eam parui facit, vel quia essent pro illa magnæ expensæ faciendæ, vel subeundum magnum incommodum, vel experienda magna difficultas (vt est in casu nostro) & ratio est, quia Dominus in tali casu rem talem non videtur velle habere in bonis suis, ob incommodum tale coniunctum.

Confirmatur tertiò, quia nonnulli alij Doctores, vt Nauarr. *in summ. cap. 17. num. 99.* 6
probabiliter docent, quod possis tibi retinere rem alterius, si ea certo fuerit Domino peritura, nisi tu illam eripuisses (vt sunt Zaccharum, frumentum, farina, papyrus, & similia in naufragio periclitantia) ergo multò magis poteris tibi illam retinere, si ea iam moraliter, suo Domino periit, vt est in casu nostro; & quamuis contrarium doceant alij ex eo, quia, vt habetur *in l. Pomponius, ff. de acquirendo Dominio*, quælibet res nostra, quantumcumque 7
periclitetur, manet semper nostra, quandiu non est consumpta (si scilicet cupimus eam nostram manere). vt si, v. g. ouis nostra ex faucibus lupi eripiatur, aut domus ab incendio liberetur, nostra manet semper, dum extat: vnde quod docet Nauarra *loco suprà citato*, posse te retinere rem alterius, si cum aliquo vitæ periculo eam ex vndis eripuisti, non est, inquiunt ipsi, absolutè verum, nisi quando rationabiliter credi potest, Dominum res huiusmodi, siue eiectas, siue ex naufragio periclitantes, permittere ei, qui se periculo voluerit exponere; vt si v. g. res illæ statim essent

perituræ, & non sine discrimine vitæ possent recuperari (ita vt periculum ferè tanti æstimetur, quanti res ipsæ) tunc enim, etsi Dominus ius habet rem vindicandi, tamen recuperator potest exigere æstimationem sui laboris, & periculi; vnde si Dominus, inquiunt ipsi, nihil dicat, poterit retinere rem tamquam ratione periculi recuperatori concessam; secus, si res aliter se habet, vt in casu nostro, nihilominus ob rationem dictam opinio prior Petri Nauarr. est etiam probabilis, ergo.

Ad rationem dubitandi in principio Dubitationis præcedentis positam patet ex dictis; & quidem si Vassalli læsi notabiliter à mercatoribus sint incerti, & ignoti, Responsio patet *ex dictis in cit. dubitatione præcedenti.* Si verò sint certi & noti, Responsio patet ex dictis in dubitatione præsenti.

9 Cæterum, si Rex culpa sua fuit causa, vt Vassalli, qui notabiliter læsi sunt à Mercatoribus, contraherent in illis cum tanto damno, & læsione, tenetur tunc Rex, ratione iniustæ actionis, compensare illis damnum (saltem cum ad meliorem fortunam peruenerit) quippe quod propria culpa subditis suis intulit tale damnum; sicuti docet Molina *tract. 2. tom. 3. disp. 667.* & videri posset S. Anton. *part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 2.* & Laymañ *lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 3.*



SECTIO II.

An liceat aliquando, quidquam accipi à deceptore, vsurario, vel fure, &c.

SVMMARIVM.

1. *Nemo potest accipere à deceptore, vel Vsurario, vel fure &c. vllo titulo res alienas, quæ apud eos in specie extant, vt iura, actiones, vestes, catenas, lectos, & similia, etiam si tales homines non fierent impotentiores ad soluendum, nisi id fiat consensu Domini rerum saltem tacito, & præsumpto.*
2. *Nemo prohibetur accipere ab huiusmodi hominibus quolibet titulo, etiam gratuito, res illas, quarum ipsi Dominium habent.*
3. *Furis bona non esse hypothecata pro furtis docent communiter Doctores contra aliquos contrarium tenentes.*
4. *Fur potest valide in alium transferre suarum rerum Dominium.*
5. *Deceptor, qui bona alienauit, si per talem alienationem efficiatur impotens ad satisfaciendum creditoribus, is, qui recepit secundum aliquos Doctores tenetur ad restitutionem; quia accepit in fraudem creditorum.*
6. *Donatarius, seu emens, aut recipiens, si non induxerit Deceptorem ad donandum, vendendum, & alienandum; sed ipse sponte eidem donauit, & vendidit, &c. non tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ, etiamsi sciat scilicet hoc ipsum fieri impotentem ad soluendum.*
7. *Deceptor peccat donando; sed Donatarius non est in culpa si sponte donet, vtitur enim iure suo, & iustitia non postulat, vt negligat suum commodum.*
8. *Beneficiarius, quia est Dominus omnium beneficij fructuum, etsi cum obligatione vt superfluos in pios vsus expendat, valide etiam superfluuorum Dominium in alium transfert, siue per donationem inter viuos, siue etiam per vltimam voluntatem, vti viget consuetudo Beneficiarios esse habiles ad testandum.*
9. *Beneficiarius peccat mortaliter sic disponendo de superfluis.*
10. *Beneficiarius de iis, quæ ex prouentibus beneficiorum congruenti substentationi subtraxit; absque dubio licite, ne dum valide potest testari etiam ad causas profanas, sicut de patrimonio & de aliis, quæ suo labore, & industria congregauit.*
11. *Beneficiarius quia non obstante tali onere, Dominus est simpliciter, ideo valide quamuis illicitè, etiam de superfluis disponit.*
12. *Hæredes valide Beneficiario succedunt, neque beneficij fructus quamuis superflui per se sunt obligati piis vsibus; sed omnis obligatio erat personalis ad solum beneficiarium donantem, & testantem pertinens; vnde hæredes non peccant accipiendo.*
13. *Consuetudo, quam dixit Auctor vigere in aliquibus locis beneficiarios posse testari, intelligitur de beneficiariis non religiosis; nam ij testari non possunt nisi ex concessione summi Pontificis, qui potest donare facultatem testandi ad pias causas.*
14. *Testandi facultas de qua loquimur concedi non solet nisi Religosis habentibus beneficium aliquod Regulare, vel sæculare, vel Religiosis degentibus extra Monasterium, & sua industria victum quærentibus vel quibus aliquid certi quotannis à Monasterio assignatur.*
15. *Maritus, quamuis donatio inter coniuges de iure sit nulla, valide tamen repudiat hæreditatem, legatum, vel fidei commissum sibi delatum, & nondum acceptatum, vt perueniat ad vxorem.*
16. *Limita, si vxor alias erat successura, vt quia Marito erat substituta, vel quia ab intestato debebat succedere; tunc enim non recipit immediate à marito, sed iure proprio: alioquin*
17. *Si ipsa nullum ius habebat, & maritus repudiat in fauorem ipsius est potius cessio, quam repudiatio, quæ cum sit formaliter donatio non valet in fauorem vxoris.*
18. *Maritus, si quid sibi donatum iubeat vxori dari, non valet, quia præsumitur ipse tacite acceptasse: idem enim operatur tacitum, & expressum.*
19. *Minor si emat prædium obligans illud pignori, donec soluat integrè pretium, obligatio non valet, quia hoc ipso, quod Dominium acquisitum est minori, incipit non posse obligari.*

20. Legatarius

20. *Legatarius rei certæ statim per mortem legantis acquirit Dominium legati, non tamen sequitur quod repudiatio talis legati sit alienatio, & donatio, quia hoc Dominium non est omnino perfectum, sed habet hanc imperfectionem, quod sit repudiabile.*

21. *Legatum quamuis retro nostrum sit, nisi repudietur, attamen cum repudiatur retro nostrum non fuisse, palam est.*

22. *Hæres suus statim accipit Dominium hæreditatis absque aditione, vnde & ad suos hæredes transmittit; sed renocabiliter ita vt possit repudiare.*

23. *Repudiatio in casu supradicto valet etiamsi bona omnia repudiantis sint creditoribus hypothecata, aut fisco iure addicta ob crimen, aut etiamsi fiat in fraudem creditorum, quibus potuisset repudians soluere, si non repudiasset.*

24. *Debitor non tenetur manere in sæculo, vt soluat cui debet, sed sufficit si cedat bona Creditoribus.*

25. *Debitor si professionem fecerit, non tenetur artem exercere, neque etiam honesto consueto labore laborare vt soluat creditoribus; quia in professione cessit bonis suis.*

26. *Opinio Gomesij non est improbabilis, at probabilior est opinio contraria, nempe quod repudians in fraudem Creditorum, sicut & consulens, nisi ignorantia excuset, peccet mortaliter contra iustitiam.*

27. *Creditoribus iure ciuili conceditur actio contra eum, qui titulo gratuito aliquid accepit à deceptore, Vsurario, vel fure, qua posset illud ab eo repetere, quod si sciuit Donantem ea donatione fieri impotentem, cogitur restituere etiamsi neque res extet, neque ex ea factus sit ditior.*

28. *Is qui accepit titulo oneroso sciens illum sic reddi impotentem, cogitur reddere non restituto pretio, nisi quatenus inde aliquid extat in bonis Debitoris: si vero nesciuit, non datur actio creditoribus ad rescindendum.*

29. *Actio prædicta conceditur Creditoribus solum per vnum annum computandum à die scientiæ alienationis factæ.*

30. *Inducens vi, aut fraude Deceptorem, vsurarium, furem, vel quemcumque debitorem &c. ad donandum, vel alienandum, vel repudiandum, peccat, & tenetur ad restitutionem.*

31. *Impediens per vim, aut per fraudem directe, aliòue inflectens voluntatem alicuius, qui proponit vel deliberat dare aliquid alteri, verum iniuriam ei facit, quia ius eiusdem in libertate collatoris constitutum violat.*

32. *Inducens sine vi, aut sine fraude; sed suasionibus, precibus, blanditiis, vel muneribus Deceptorem, Vsurarium, furem, vel quemcumque debitorem ad donandum, alienandum, vel repudiandum &c. putans eum per hoc fore impotentem tenetur ad restitutionem, si hæc impotentia sit causa non soluendi.*

33. *Inducens alium ad donandum &c. Videns talem sic reddi impotentem ad soluendum, ita vt per industriam non possit supplere, debet esse paratus ad restituendum; quandocumque viderit illum velle soluere suis Creditoribus.*

34. *Idem dicendum si Creditores bona illius sint publica auctoritate occupaturi, & cur.*

35. *Idemque dicendum si possent agere contra debitorem in iudicio, & non agerent; quia debitor factus est impotens.*

36. *Vsurarius, fur, vel alius similis debitor si non sit soluendo nihil potest ab eo accipi per vltimam voluntatem, vt per testamentum, Codicillum, fideicommissum, vel donationem causa mortis; sed totum in foro conscientiæ restituendum est Creditoribus.*

37. *Debitor, & is, de quo agitur ideo potest res suas alienare dum viuit; quia quandiu viuit, manet ipsius persona obligata, quæ lucrari potest: quod non est post illius mortem.*



Espondetur: dixi suprà, non posse 1 quempiam à deceptore, vel vsurario, vel fure, &c. accipere vllo titulo res alienas quæ apud eos in specie extant, vt iura, actiones, vestes, catenas, lectos, & similia (etiamsi tales homines non fierent impotentiores ad soluendum) nisi id fiat consensu Domini rerum, saltem tacito, & præsumpto; non tamen hinc sequitur, quod 2 non possit quis ab huiusmodi hominibus quodlibet titulo, etiam gratuito, accipere res illas, quarum ipsi Dominium habent. Ratio, quia tales res non sunt alienæ, sed ipsius deceptoris, vsurarij, vel furis, neque aliis sunt illæ vllâ reali obligatione obnoxiæ (non enim res deceptoris, vsurarij, vel furis sunt tacite hypothecatæ pro deceptione, vsuris, vel furtis, vt quidam olim putarunt: nusquam enim in iure positiuo talis hypotheca constituta reperitur; neque de iure naturali adest in illis vlla tacita hypotheca; quapropter, quod furis bona pro 3 furtis hypothecata non sint, docent communiter Doctores apud Nauarr. *in summa, cap. 17. num.* 265. Syluestrum *verb. vsura 6. num.* 5. & Couarr. *leg. 3. Variar. cap. 3. num. 6.*) ergo potest fur earum Dominium valide in alios transferre. Consequentia probatur, quia Do- 4 minus rei alteri non obligatæ habens liberam administrationem, potest eius Dominium in alium transferre, ergo, &c.

At quid dicendum, si per eam donationem, 5 vel alienationem deceptor, vsurarius, vel fur, &c. fiat impotens ad soluendum?

Respondent multi Doctores in tali casu eum, qui aliquid accepit, teneri ad restitutionem. Ratio, quia accepit in fraudem creditorum, ac proinde iniustè; sed vtendum est distinctione, quare.

Dico primò: si non inducis deceptorem, vsu- 6 rarium, vel furem, &c. ad donandum, vel alienandum, sed ipse sponte tibi donat, vel vendit, non teneris ad restitutionem in foro conscientiæ, etiamsi scias, per hoc ipsum eum fieri impotentem ad soluendum; ita Petrus Nauarr. *lib. 3. cap. 4. num.* 218. & Molina *disp.* 323. colligitur apertè *ex lib. vlt. §. 4. ff. quæ in fraudem credit.* & patet ex ratione supra allata: quia illæ res, *vt suprà dicebam*, nemini sunt obstrictæ, & ipse est earum Dominus, & ex nulla

lege inhabilis redditur ad transferendum earum Dominium: ergo, si vendit, vel donat,
7 transfert re ipsa Dominium in alium nec obstat, quod ille peccet donando, quatenus per hoc reddit se impotentem ad soluendum creditoribus; quia tu non es causa, cur velit donare; sed supposito, quod ipse sponte dones, tu acceptas, vtens iure tuo: non enim iustitia, vel charitas postulat, vt negligas tuum commodum, etiamsi inde per accidens alteri tantumdem damni sequatur.

8 Hinc beneficiarius, quia est Dominus omnium beneficij fructuum (etsi cum onere, & obligatione, vt superfluos in pios vsus expendat) validè, etiam superfluorum beneficij fructuum, Dominium in alium transfert, siue per donationem inter viuos, siue etiam per vltimam voluntatem (vbi viget consuetudo, beneficiarios esse habiles ad testandum id faciat: quam consuetudinem in multis locis vigere, docet Couarr. *in cap. cum in officiis* 7. *de testa-*
9 *mentis*; peccat tamen mortifere beneficiarius:
10 sic disponendo de superfluis (de iis enim, quæ ex prouentibus beneficiorum congruenti sustentationi subtraxit, absque dubio licitè, nedum validè, potest testari, etiam ad causas prophanas; sicut de patrimonio, & de aliis, quæ suo labore, & industria congregauit, vt ex communi docent Nauarr *tract. de redditib. Ecclesiast. quæst.* 3. & Lessius *de iust, & iure cap.* 4. *dub.* 6.) quia licet sit Dominus omnium simpliciter fructuum beneficij, est tamen eorum Dominus cum onere, & obligatione, vt superfluos in pios vsus expendat, vti suprà di-
11 cebam; At quia, non obstante tali onere, Dominus est simpliciter; ideo validè, quamuis illicitè, non obstante tali onere, etiam de superfluis disponit: nam aliud est, dispositionem esse illicitam, aliud esse irritam: etsi enim ex præcepto Ecclesiæ, & fundatorum intentione teneatur expendere superflua in pios vsus, non tamen decernitur irritum, si contrarium fecerit: sicut, cum quis de superfluis disponit in vsus prophanos, cum ea in eleemosynam, vrgente graui necessitate proximorum, conferre tenetur, dispositio valet, etsi mortiferè peccet; de illis sic disponendo.

12 Hinc fit, quod hæredes validè beneficiario succedant: accipiunt enim ab illo, qui valide poterat disponere; neque beneficiarij fructus, quamuis superflui, per se sunt obligati piis vsibus sed omnis obligatio erat personalis, ad solum beneficiarium donantem, vel testantem pertinens; quæ propterea non transit ad donatarios, nec hæredes: vnde fit, vt donatarij, & hæredes non peccent, ea accipiendo à beneficiario, titulo donationis, vel hæreditatis, sed peccet solus ipse beneficiarius donans, vel testans, sic scilicet expresse, vel tacitè disponendo de superfluis beneficij.

An autem peccent donatarij, & hæredes beneficiarij, si ipsum beneficiarium ad donandum, vel testandum de superfluis induxerint, dicam mox *infrà dicto* 3. & 4.

13 Cæterum, cum dixi, *in aliquibus locis vigere consuetudinem, beneficiarios testari posse de fructibus beneficij*, intelligitur de beneficiariis non religiosis: beneficiarij enim Religiosi testari non possunt, nisi ex concessione summi Pontificis, qui, sicuti potest facere potestatem donandi inter viuos ad pias causas, ita etiam poterit facere potestatem condendi testamentum ad pias similiter causas: vide Couarr. *de testament. cap.* 2. *num.* 17. & 18. hæc autem fa- 14
cultas concedi non solet, nisi Religiosis habentibus beneficium aliquod regulare, vel sæculare; vel Religiosis degentibus extra Monasterium, & sua industria victum quærentibus, vel quibus aliquid certi quotannis à Monasterio assignatur, vt se inde sustentent, sicuti docet Nauarr. *comment.* 2. *de Regular. num.* 58.

Hinc secundò fit, quod quia maritus (quam- 15
uis donatio inter coniuges iure nulla decernatur, sicuti docet communis sententia Doctorum, *ex l. cum hic status, ff. de donat. inter virum, & vxorem, & cap. fin. eodem tit.* idque ex eo ne coniuges mutuo amore bonis se spolient) hæreditatem, legatum, vel fideicommissum sibi delatum, & nondum acceptatum, validè repudiat, vt perueniat ad vxorem (vti habetur *in l. sponsus, §. si maritus, ff. de donat. inter virum, & vxorem*, & docet Gomez *tom.* 2. *cap.* 4. *num.* 23. & 24. & ratio est, quia in tali casu maritus nihil donat, seu nihil ipsi detrahitur ex bonis, vel iuribus iam quæsitis) vxor validè acceptat; idque propter eamdem rationem quam suprà dicebam.

Hoc tamen, quod modò dixi, intellige, si 16
vxor aliàs erat successura, vt quia marito erat substituta, vel quia ab intestato debebat succedere, sicut rectè notat Gomez suprà: tunc enim non accipit vxor immediatè à marito, sed iure proprio, quod habebat, marito non 17
acceptante; alioquin si ipsa nullum ius habebat, & maritus repudiat in fauorem vxoris, erit potiùs cessio, quam repudiatio: nam tunc ipsa ius immediatè accipiet à marito; sicque cessio talis in fauorem vxoris non valet, cum sit donatio formaliter: nam continet tacitam acceptationem natura priorem: hoc ipso enim, quòd maritus cedit, censetur tacitè, & natura prius acceptasse, sicuti colligitur *ex l. si aua, Cod. de iure deliberandi.*

Sic etiam valet, si maritus quid sibi dona- 18
tum iubeat vxori dari; quia hoc ipso, quod id ille mandat, supponitur tacitè acceptasse: idem enim operatur tacitum, ac expressum, vti colligitur *ex l.* 1. *ff. de rebus eorum, qui sub tut.* vbi 19
dicitur, *si minor emat prædium obligans illud pignori, donec soluat integrè pretium, obligationem non valere*, quia hoc ipso quo dominium quæsitum est minori, incipit non posse obligari: censetur enim quæsitum tacitè, & prius natura, quam posset oppignerari.

Dices Legatarius rei certæ statim per mor- 20
tem legantis acquirit dominium legati: nam, habetur *in l. à Titio, ff. de furtis*. ea quæ leguntur, recta via ab eo, qui legauit, ad eum cui legata sunt, transeunt; vbi Bart. dicit, hoc dominium transire fictè à die mortis, verè autem à die hæreditatis aditæ; ergo repudiatio talis legati est alienatio, & donatio, ac proinde non valet, contra id, quod suprà dicebatur.

Respondetur, nego consequentiam: quia

hoc dominium non est omninò perfectum, & absolutum ante acceptationem, sed habet hanc imperfectionem, quod sit repudiabile, adeò vt si repudietur, retrotrahatur repudiatio, & illud fingatur nunquam acquisitum, vt expressè habetur *in l. 1. ff. si quid in fraudem patroni,*
21 vbi dicitur: *quamuis legatum retrò nostrum sit, nisi repudietur; attamen cum repudiatur retrò no-*
22 *strum non fuisse, palam est.* Idem cernitur in hæreditate respectu hæredis sui: hic enim statim accipit dominium hæreditatis absque aditione, (vnde & ad suos hæredes transmittit) sed reuocabiliter, itavt possit repudiare, sicuti constat *ex l. apud hostes, Cod. de suis, & legitim. hæredibus, & ex l. si fratres, Cod. de iure deliberandi.* Vide Gomezium *tom. 1. cap. 9. num. 17. & 20.*

23 Valet igitur in supradicto casu repudiatio, etiamsi bona omnia repudiantis sint creditoribus hypothecata, aut fisco iure addicta ob crimen; aut etiam si fiat in fraudem creditorum, quibus potuisset repudians soluere, si non repudiasset; quinimmo Gomezius *tom. 2. cap. 4. num. 22.* putat, etiam licitè, nedum validè, repudiare repudiantem (& sic licitè, nedum validè acceptare acceptantem) forsan quia creditoribus sunt obligata tantùm bona, non autem persona debitoris, quæ, vt docet S. Thom. *2. 2. quæst. vlt. art. 6.* libera est pro ære soluendo: vnde idem S. Thom. & Caiet. ibidem, Sylu. *verbo, Religio, 2. quæst. 4.* Paludan. *in 4. distinctinct. 38. quæst. 4. art. 3. concl. 3.* Ang. *verbo Religiosus, §. 6.* S. Antonin. *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 1.* & alij contra Medinam *Cod. de restitut. quæst. 3. causa 8.* Nauar. *comment. 1. de regul. num. 8.* Valentian. *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. part. 7.* Petrum Nauarr. *lib. 4. cap. 4.* Mol. *tom. 3. poster. disput. 757.* & Layman *lib. 3.*
24 *tract. 2. cap. 12.* docent quòd debitor non teneatur manere in sæculo, vt soluat cui debet, sed sufficit, si bonis cedat creditoribus. Item,
25 quòd debitor, si professionem fecerit, non teneatur artem exercere, neque etiam honesto consueto labore laborare, vt soluat creditoribus, quia in professione cessit bonis suis, quæ solùm obligata erant creditoribus pro ære soluendo; atque ita præter Doctores suprà citatos, docet etiam Sanchez *lib. 4. moral. cap. 19. num. 14.* contra Innocent. *rubr. de obligatis ad ratiocinia,* Abb. *cap. cum 1. & A. num. 27. de sentent. & re iudic.* Medinam, Nauarr. Layman. *in locis suprà cit.* Molin. *conclus. 2.* & Azorium *tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 5.*

26 Opinio hæc Gomezij non est improbabilis; at probabilior est opinio contraria, nempe, quòd repudians in fraudem creditorum (sicut, & consulens, nisi ignorantia excuset, vt docet Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 4.* peccet mortaliter contra iustitiam. Ratio, quia eadem virtute quis obligatur ad finem, & ad media fini necessaria, sed debitor obligatur ad finem, nimirum ad solutionem creditoribus; ergo ad acceptationem hæreditatis, quæ hîc, & nunc est medium ad solutionem omnimodè necessarium; in vtraque tamen sententia repudiatio est valida; & sic qui acceptat, acceptat validè; quinimmo & licitè, si non induxit ad repudiandum, *vti suprà dicebam.* An autem acceptet licitè, etiamsi induxit ad repudiandum, dicam *infra in dicto 3. & 4.*

Dico secundò, si titulo gratuito quid acce- 27
pisti à deceptore, vsurario, vel fure, &c. Iure ciuili conceditur creditoribus actio, qua possint illud à te repetere; & quidem si sciuisti, illum ea donatione fieri impotentem, cogeris restituere, etiamsi neque res extet, neque ex ea factus sis ditior, vt patet *ex leg. quod autem, ff. quæ in fraudem credit.* quod si titulo oneroso accepisti, si quidem sciuisti, illum sic reddi 28
impotentem, (vt si venderet domum, vel agrum, vt insumat in conuiuia, in ludum, &c.) cogeris reddere, non restituto pretio, nisi quatenus inde aliquid extat in bonis debitoris, vt patet *ex leg. 78. & vltima, ff. quæ in fraudem credit.* si verò nesciuisti, non datur actio creditoribus ad rescindendum, vt expressè habetur *in dict. leg. quod autem, eodem tit.* vbi dicitur: *si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignorauit, cessare videntur verba edicti.*

Aduerte tamen, hanc actionem concedi cre- 29
ditoribus, solùm per vnum annum, qui computandus est ab illo die, quo primum sciuerunt, alienationem esse factam, vt patet ex legibus suprà citatis.

Dico tertiò, si vi, aut fraude induxisti dece- 30
ptorem, vsurarium, furem, vel quemcumque debitorem, &c ad donandum, vel alienandum vel repudiandum, peccasti & teneris ad restitutionem: est communis opinio Doctorum, & probatur, quia fraus, vis, &c. vel exercetur circa creditorem (vt si quis, v. g. illum vi detineat, vel minetur, ne petat, ne sollicitet; aut si quis v. g. litteras intercipiat, vel fraude eum auertat à re prosequenda) & sic manifestè fit illi iniuria, ex qua sequitur ipsi damnum: nam contra voluntatem suam modo iniusto impeditur à prosecutione, ad quam ipse ius habet; & sic damnum, quod inde sequitur, censetur meritò per iniuriam illi illatum; vel exercetur circa ipsum debitorem (vt minando, v. g. vel ei fraude persuadendo, ne soluat, ne restituat creditoribus) & sic etiam fit iniuria creditori. Ratio; quia violatur ius ipsius, quod habet ad illud bonum consequendum.

Adde, quòd, si quis voluntatem alicuius, qui 31
proponit, vel deliberat tibi dare aliquid (etiam si debitor tuus non sit) per vim, aut fraudem directè impediat, aliòve inflectat, veram tibi iniuriam facit; quia ius tuum in libertate collatoris constitutum violat.

Dico quartò, si sine vi, aut fraude, sed suasio- 32
nibus, precibus, blanditiis, vel muneribus deceptorem, vsurarium, furem, vel quemcumque debitorem, induxisti ad donandum, alienandum, vel repudiandum, &c. putans eum per hoc fore impotentem, teneris ad restitutionem, si hæc impotentia sit causa non soluendi. Ratio, quia per omnes Doctores qui causam damni dat ei, qui habet ius in re, vel ei, qui habet ius ad rem, damnum ei dedisse videtur; quod si ista impotentia non sit causa, cur non soluatur, non teneris; vt si ipse ea esset industria, vt facile possit tantumdem lucrifacere: tunc enim non impotentia, sed negligentia, esset causa non soluendi: quo euentu potes li-

citè petere ab illo donationem, vel condonationem, &c. Pari modo si iam ante statuerat non soluere (vt contingere solet in multis vsurariis, furibus, &c.) tunc etiam, & si tua inductione fiat impotens, non teneris ad restitutionem; quia hæc inopia non est causa non soluendi, sed propositum illud firmum prauum non restituendi.

Confirmatur, quia creditores nihil à talibus hominibus expectant, vnde non censent, sibi fieri iniuriam, si quis à talibus aliquid sibi donari, vel condonari petat.

33 Aduerte tamen, illum (qui induxit alium ad donandum &c. videns, talem sic reddi impotentem ad soluendum, ità vt per industriam non possit supplere) debere esse paratum, ad restituendum, quandocumque viderit, illum velle soluere suis creditoribus, & per impotentiam (cuius ipse sua inductioné causa fuit) impediri à prosecutione talis effectus. Ratio, quia in tali casu ipse est causa non soluendi, cum sit causa impotentiæ, propter quam debitor non soluit creditoribus, qui, etsi non habent ius in re, habent tamen ius ad rem,

34 vti suprà dicebam: idem dicendum, si creditores bona illius sint publica authoritate occupaturi; quia tunc esset causa, cur creditores

35 minus in bonis eius inuenirent: Idemque dicendum, si possent agere contra debitorem in iudicio, & non agerent, quia debitor factus est impotens: nam tunc ipse similiter esset causa, cur creditores contra debitorem non agerent, & ius suum in iudicio non prosequerentur.

36 Dico quintò: si vsurarius, Fur, vel alius similis debitor, &c. non est soluendò, nihil potest ab eo accipi per vltimam voluntatem, vt per Testamentum, Codicillum, fideicommissum, uel donationem causa mortis; sed totum in foro conscientiæ restituendum est creditoribus: Colligitur *ex dict. leg. quod autem, §. 9. ff. quæ in fraudem credit. & l. vltim. §. etsi. Cod. de iure deliberandi*; & probatur, quia nemo post mortem suam habet potestatem lucrandi, & compensandi creditoribus, si quid ex bonis ipsius, quod creditoribus dandum erat, in alios collatum fuerit: ergo par non est, vt de rebus suis possit pro eo tempore cum damno creditorum disponere.

37 Confirmatur, quia ideo potest res suas alienare, dum viuit; quia quamdiu viuit, manet ipsius persona obligata, quæ adhuc lucrari potest: ergo cum post mortem non possit ipsius persona manere obligata, aut aliquid lucrari, vnde soluatur creditoribus, non potest etiam in illud tempus aliquid in fraudem creditorum alienare.

Vt autem, quæ *dubit. 4. 5. & 6.* de læsione in contractibus dicebam melius intelligantur, sit.





SECTIO III.

Quid requiratur, vt læsio sit intra, vel extra dimidium iusti pretij.

SVMMARIVM.

1. *Læsio vltra dimidium iusti pretij est, si quis rem valentem centum, vendiderit minus quam quinquaginta.*
2. *Emptor, vt dicatur læsus vltra dimidium iusti pretij secundum aliquos Doctores debet rem valentem centum, emere pluris, quam ducentum.*
3. *Læsio iusti pretij vltra dimidium in Emptore est, si rem valentem centum emerit pluris quam centum quinquaginta.*
4. *Æqualitas seruanda est inter venditorem, & Emptorem.*
5. *Læsio consideranda non est ex eo, quod Emptor accepit; sed ex pretio, quod dat, vnde si dat dimidium plusquam dare debet læditur vltra dimidium; si minus dimidij pretij accepit quod accipere debet.*
6. *Leges citatæ tractantes de læsione vltra dimidium iusti pretij, loquuntur de hac materia per transennam, non ex professo, vbi enim agitur ex professo, communis opinio deciditur, & antequa corrigitur.*
7. *Pretium iustum naturale, seu vulgare non est indiuisibile, sed habet latitudinem, infimum, medium, & summum.*
8. *Venditor, vt censeatur læsus vltra dimidium debet recipere minus dimidio æstimationis rei venditæ secundum pretium infimum.*
9. *Emptor ad hoc vt læsus censeatur esse vltra dimidium, debet eius datum pretium excedere in dimidio æstimationis rei iuxta eius valorem summum.*
10. *Venditor ex venditione secundum pretium infimum, & Emptor ex emptione secundum pretium summum non læduntur.*
11. *Rei venditæ æstimatio sumenda est deductis oneribus, nam si res sit obligata, vel hypothecata alicuius census, vel debiti solutioni, tametsi tantum sub conditione, & in defectum, minuenda est illius æstimatio, quanti obligatio prudentis arbitrio æstimatur.*

Respondetur, læsionem vltrà dimidium iusti pretij esse, si quis rem valentem centum vendiderit minus, quam quinquaginta: Ita communiter Doctores, & probatur, quia in ea venditioné non attingitur medium iusti pretij, vti dicitur *in l. 2. Cod. de rescind. vendit.* ibi: *si nec dimidia pars veri pretij soluta est*; & tradidit ibi Glos. ab omnibus recepta. 1

2 Quid autem dicendum sit in emptore, non conueniunt Doctores, quidam enim, vt Abb. *in cap. cum dilecti, num. 2. de empt. & vendit.* (tamen si *In cap. cum causam, eodem tit.* contrarium sentiat) Arias Pinell. *in l. 2. Cod. de rescind. vend. 1. par. cap. 2. num. 5. & 6.* Duaren. *in l. si quis cum alter ad finem ff. de verbor. obligat.* & Facchin. *lib. 2. controu. cap. 16.* & alij putant, vt emptor dicatur læsus vltrà dimidium iusti pretij debere illum rem valentem centum emere plus quam 200.

3 At dicendum est oppositum, scilicet læsionem iusti pretij vltra dimidium in emptore esse si rem valentem centum emerit plusquam 150. ita Gomez. *var. resolut. cap. 2. num. 22.* Greg. Lopez *l. 16. tit. 11. par. 4. & l. 56. tit. 5. par. 5.* Couar. *2. var. cap. 3. num. 8.* Marin. *in l. 1. Gloss. 3. num. 2. tit. 11. lib. 5. compilat.* & ibi Acebedo *num. 17.* Guttier. *2. pract. quæst. 133.* Sot. *lib. 6. de iust. quæst. 3. art. 1.* Salon. *2. 2. quæst. 77. art. 1. controu. 17.* Molin. *tract. 2. dispnt. 349.* Less. *lib. 2. cap. 22. dub. 4.* Salas *tract. de empt. & vendit. dub. 26.* Lopez *1. instruct. cap. 13.* Rebell. *2. par. de obligat. instit. lib. 9. quæst. 3. sect. 1.* & deciditur expresse *in l. 56. tit. 5. par. 5. & l. 4 tit. 7. lib. 5. ordin. & l. 1. tit. 11. lib. 5. nouæ collect.*

4 Probatur; quia inter venditorem, & emptorem seruari debet æqualitas, at venditor læsus est vltra dimidium iusti pretij, cum dimidium pretij rei venditæ non accepit, ergo emptor læsus erit vltrà dimidium, cum plusquam dimidium pretij eiusdem rei dedit; aliàs si oporteret rem valentem centum, emere 200. non esset læsio vltra dimidium, sed in duplo, contra prædictas leges, quæ considerant læsionem ex parte pretij.

Obijcies, læsio vltra dimidium ex parte venditoris est, cum non accipit dimidium veri pretij rei venditæ, ergo læsio vltra dimidium ex parte emptoris est, cum non accipit dimidium pretij numerati, nempè, cum non accipit rem cuius valor attingat dimidium pretij numerati.


5 Respondetur: nego; læsionem considerandam esse ex eo quod emptor accepit, sed ex pretio, quod dat; vnde si dat dimidium plusquam dare debet, læditur vltra dimidium, si minus dimidij pretij accipit, quod accipere debet; alias inter venditorem, & emptorem non seruaretur æqualitas, quod admittendum non est; cum sint correlatiua, & dispositum in vno censeri debet dispositum in alio.

Obijcies secundò venditor tunc dicitur vltra dimidium læsus, cum non accepit ab emptore dimidiam partem æstimationis rei, quam illi tradit, ergo emptor tunc dicetur vltrà dimidium læsus, cum non accepit à venditore dimidiam æstimationem pretij venditori traditi; Hoc autem esse non potest, nisi rem valentem centum emat plusquam 200. nam si minus, quam 200. emit, iam accepit dimidium æstimationis pretij traditi, ac proindè non erit læsus vltra dimidium: Semper enim computatio facienda est ex eo, quod quilibet tradit; ex parte venditoris facienda est computatio rei traditæ cum pretio: Ex parte emptoris computatio facienda est ex pretio dato cum re accepta; sicut ergo opus est, vt venditor vltra dimidium iusti pretij damnificetur, quod res ab ipso tradita duplo pluris æstimetur, quam pretium acceptum, sic opus est, vt emptor vltra dimidium iusti pretij læsus sit, quod pretium duplo superualeat rei emptæ; sicuti decisum est *l. 16. tit. 11. par. 4. & l. 5. tit. 10. lib. 5. fori.*

Respondetur, his legibus per transennam 6 ibi fuisse priorem opinionem approbatam, at vbi ex professo agitur de materia, communis opinio deciditur, & antiqua corrigitur.

Cæterùm, cùm pretium iustum naturale, seu 7 vulgare non sit indiuisibile, sed habeat latitudinem, infimum, medium, & summum; Ad 8 hoc vt venditor censeatur læsus vltra dimidium, debet recipere minus dimidio æstimationis rei venditæ secundum pretium infimum; emptor vero ad hoc vt læsus censeatur esse vl- 9 tra dimidium, debet eius datum pretium excedere in dimidio æstimationis rem iuxta eius valorem summum: nam venditor ex venditio- 10 ne secundum pretium infimum, & emptor ex emptione secundum pretium summum non læduntur, cùm illa pretia iusta sint, vt rectè dixit Couarr. *2. var. cap. 3. num. 3.* Salas *tract. de empt. & vendit. dub. 27. num. 1.* Azarien. *l. 1. tit. 11. lib. 5. nouæ compilat. Gloss. 1. num. 7.* & Acebedo *num. 22.* Rebell. *de obligat. 2. par. lib. 9. quæst. 3. sect. 1.* quidquid in contrarium dixerit Salon. *2. 2. quæst. 77. art. 1. contr. 17.* quatenus sine fundamento ait computationem læsionis sumendam esse à pretio medio.

His adde, æstimationem rei venditæ sumen- 11 dam esse, deductis oneribus: nam, si res sit obligata, vel hypothecata alicuius census, vel debiti solutioni, tametsi tantum sub conditione, & in defectum, minuenda est illius æstimatio, quanti obligatio prudentis arbitrio æstimatur, vt probat text. *in l. cum qui §. melior ff. de in diem adiectione*, & docet Bart. *in l. 1. §. si hæres num. 3. ff. ad Trebell.* Tiraquell. de vtroque *retract. in præfat. num. 27.* Guttier. *de iuram. 1. par. cap. 26. num. 14. & 15.* & Abb. *in cap. in quibusdam notab. 2. de decimis.*



SECTIO IV.

An in Foro Conscientiæ, & in Ecclesiastico lædens intrà dimidium peccet, & teneatur læsionem reparare?

SVMMARIVM.

1. *Lædens intra dimidium peccat, & tenetur læsionem reparare.*
2. *Iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletem.*

3. *Læsio licet sit intra dimidium iusti pretij, adhuc aduersatur legi naturali; cum nullus velit sibi ipsi illud damnum inferri, consequenter lex naturalis obligat ad illius reparationem.*

4. *Reijciuntur quidam Doctores asserentes nullum peccatum, nullam obligationem restituendi contrahi ex læsione intra dimidium iusti pretij.*

5. *Leges in quibus dicitur licitum esse naturaliter contrahentibus se inuicem decipere, interpretantur, licere naturaliter contrahentibus se circumuenire, id est secundum ius gentium, quod naturale secundario vocatur, est licitum, id est, permissum absque punitione se circumuenire, sæpe enim verbum licere sumitur pro permittere.*

6. *Læsio intra dimidium, cum parum distet à iusto, quod censetur remitti à venditore, vel emptore, intelligitur hoc axioma ad summum sustinendum esse, cum ea est minima, secus si sit grauis esto sit intra dimidium, vel cum adsint coniecturæ donationis.*

7. *Nulla lex potest inducere, vt lædens mala fide intra dimidium, nullam contrahat restituendi obligationem, quia foueret peccatum, & iniustitiam; quinimo probabilius est neque statui posse bona fide sic decipientem ab obligatione restituendi cognita veritate, excusari.*

8. *Notarius conficiens instrumentum, quo venditio iniqua perficitur, si scriptura sit vera, & non fictitia, probabilius est quod nulla restitutionis obligatione adstringatur.*

9. *Actio nulla directa in foro Ecclesiastico dari probabilius est læso intra dimidium contra recipientem, contra nonnullos.*

10. *Actio solum conceditur, cum est læsio vltra dimidium, neque vllus est textus, qui concedat actionem intra dimidium.*

11. *Actio indirecta, & per viam denunciationis competit læso, & cuilibet alteri etiam intra dimidium.*

1 Respondetur affirmatiuè, atque ita docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. ibidem Caietan. Bannes, Aragonius, & Salon. *contr.* 17. Nauarr. *cap.* 9. *de iudic. notab.* 9. *Corollar.* 13. *& cap. qualitas, de pœnitentia, distinct.* 5. *num.* 27. Less. *de iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. Salas *de empt. & vendit. dub.* 26. Molin. *disp.* 350. Matien. *in d. l.* 1. *Gloss.* 1. *num.* 9. *& seqq. tit.* 11. *lib.* 5. Acebedo *l.* 2. *eiusdem tit. num.* 4. & Couar. *reg. possessor.* 2. *par.* §. 7. *&* 2. *var. cap.* 4. *num.* 11.

2 Probatur ex lege *Iure naturæ ff. de reg. Iur.* ibi: *Iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletem*; idem habetur *in l. Iure succursum* §. *fin. ff. de Iur. dot.* & tradit Apost. *primò ad Thessalonicens* 4. dicens, *ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, vindex est enim Dominus de his omnibus.*

3 Secundò probatur ratione, quia etsi deceptio sit intra dimidium iusti pretij, adhuc aduersatur legi naturali; cum nullus velit sibi ipsi illud damnum inferri, consequenter lex naturalis obligat ad illius reparationem; At pe[r] nullam legem positiuam reperitur hæc obligatio dissoluta; neque id erat expediens, vt infra constabit.

Hinc reiiciuntur quidam Doctores apud Marientum, & Salonium, qui dixerunt, nullum peccatum, nullamque obligationem restituendi contrahi ex læsione intra dimidium iusti pretij. 4

Obijcies fundamentum ipsorum *ex l. in causa* §. *idem Pomponius ff. de minor. & in l. item si pretio* §. *vlt. ff. locati*, vbi dicitur, licitum esse naturaliter contrahentibus, se inuicem in pretio decipere; At non est licitum vltra dimidium, sed ea deceptio reparatur *l.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* ergo admittenda est deceptio intra dimidium. 5

Respondetur cum Molin. Lessio, Marienco, & Salas sensum illarum legum esse, licere naturaliter contrahentibus se circumuenire, id est, secundum Ius gentium, quod naturale secundariò vocatur, est licitum, idest, permissum absque punitione se circumuenire: sæpe enim verbum licere sumitur pro permittere, iusta *l. non omne ff. de reg. Iur.* ibi: *Non omne quod licet, honestum est*, idest non omne, quod permittitur, est honestum.

Instabis. Deceptio, intra dimidium, cum parum distet à iusto, censetur remitti à venditore, vel emptore, iuxta illud Axioma apud Sà *verb. venditio num.* 20. *quod parum est, censetur emptor, & venditor condonare sibi ad inuicem.* 6

Respondetur, axioma istud ad summum sustinendum esse cum læsio est minima, secus si sit grauis, esto sit intra dimidium, Vt ommittam id neque verum esse, cum læsio est minima, nisi prætereà adsint aliquæ coniecturæ donationis, vt dicebam *dubit.* 4. *sect.* 23.

Reiiciuntur secundò Gerson *tom.* 1. *Alphab.* 35. *tract. de contract.* 2. *par. propos.* xi. & alij, quatenus negant contrahi obligationem restitutionis, esto concedant committi peccatum in ea deceptione.

Obijcies ipsorum fundamentum, quia potuit lex humana ob vitandas lites, & pericula animarum statuere, ne lædens intra dimidium iusti pretij obligationem restituendi contraheret, tametsi peccatum committeret, sicuti potuit titulo præscriptionis Dominium rei ex vno in alium transferre. 7

Respondetur: nego, vlla lege statui posse, vt lædens mala fide intra dimidium nullam contrahat restituendi obligationem, quia foueret peccatum, & iniustitiam; quinimò probabilius puto, nec lege statui posse, bona fide sic decipientem ab obligatione restituendi, cognita veritate, excusari; quia id non erat necessarium ad vitandas lites, & pericula animarum, nec ad Dominia rerum certa constituenda: satis enim ad hæc præscriptione prouisum erat; sed esto conueniens esset, ferri legem, quæ ab hac obligatione restituendi excuset, vsque adhuc hæc lex lata non est, sed solum læso denegatur actio in foro contentioso pro hac damnificatione intra dimidium iusti pretij.

Petes, An dicti peccati, & deceptionis par- 8

ticeps sit notarius conficiens instrumentum, quo venditio iniqua perficitur?

Respondetur: si scriptura à notario confecta non sit fictitia, sed vera, contractum, provt factus, declarans, probabilius videtur, quod nulla restitutionis obligatione Notarius adstringatur; quia ipsa non est causa deceptionis; Tum quia scriptura deceptionem declarat, non efficit; tum quia notarius non tenetur à conficienda scriptura abstinere; Atque ita tenet Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 52. & Sà *verb. venditio, num.* 28.

Petes secundò, An si in foro Ecclesiastico detur actio?

9 Respondetur (licet Gloss. *cap. ea enim §. hoc Ius* 10. *quæst.* 2. Nauarr. *cap.* 9. *de iudic. notab.* 6. *Coroll.* 23. *& cap. qualitas, distinct.* 5. *de pœnitentia*, Couarr. 2. *var. cap.* 4. *num.* 11. *&* Tiraq. *quæst.* 1. *connubial. num.* 11. affirmant *ex cap.* 1. *§. sed diuersum, de alienat. feud.* vbi dicitur, Ecclesiam non pati vltra iustitiã aliquid fieri, & ex eo quia Iudex Ecclesiasticus cogere potest, etiam laicum, censuris Ecclesiasticis, vt à peccato mortali desistat) probabilius esse oppositum sicque seruari in praxi, nempe nullam dari in foro Ecclesiastico actionem directam aduersus lædentes intra dimidium iusti pretij; communiter Doctores; quos refert, & sequitur Pinell. *in d. l.* 2. *Cod. de rescind. vendit. par.* 2. *cap.* 2. *num.* 36. Matien. *in d. l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. Gloss. 1. *in fine*, & Gloss. 8. *num.* 11. & conuincitur ex *cap. cum dilecti*,
10 *& cap. cum causæ, de empt. & vend.* vbi solum conceditur actio, cum est læsio vltra dimidium, neque vllus est text. qui concedat actionem intra dimidium.

11 Dixi, *actionem directam*: nam indirectam & per viam denunciationis non est dubium, læso, sicut, & cuilibet alteri, competere: potest enim denunciare Iudici Ecclesiastico, vt lædens obligationi, quàm habet in conscientia læsionem reparandi; satisfaciat, vti rectè dixit Molin. *disp.* 349. Salas *tract. de empt. & vend. dub.* 17. *num.* 3. *&* 4. Salon. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controu.* 17. & Facchin. *lib.* 2. *controuersiarum, cap.* 25.



SECTIO V.

An in quibusdam Casibus detur actio læso intra dimidium iusti pretij.

SVMMARIVM.

1. *Actio læso intra dimidium iusti pretij, licet regulariter non detur, datur tamen in quibusdam casibus.*
2. *Actio læso intra dimidium iusti pretij datur primo, cum læsio prouenit ex fraude, seu dolo; quia tunc læsus agere potest actione doli ad rescindendum contractum, vel pretium supplendum.*
3. *Dolus, alter est causa contractus, nempe cum ita est causa vt si dolus non adesset, non fieret contractus: alter est qui incidit in contractum, nempe cum ita contrahens affectus est, vt licet dolus non adesset, adhuc contraheret.*
4. *Contractus est nullus ex Communi Doctorum sententia; cum dolus est causa contractus, ac proindè non indiget rescissione.*
5. *Contractus validus est, cum dolus incidit in contractum, actione tamen doli venit rescindendus, vel pretium supplendum, provt læso magis placuerit.*
6. *Actio læso intra dimidium iusti pretij datur secundo, cum pretium est lege taxatum; quia tunc læsus intra dimidium recurrere potest ad iudicem, vt compellat lædentem supplere pretium, quod deficit, vel rescindat; contractum.*
7. *Actio læso intra dimidium iusti pretij datur tertio, si sit intra dimidium in contractu per procuratorem facto, vel debet inæqualitas reparari.*
8. *Iudicium Arbitri, qui in sexta parte lædit rescinditur.*
9. *Actio læso intra dimidium iusti pretij probabilius est quod non detur in contractu per Procuratorem facto filius nomine Matris venditionem fecit, & tamen non rescindetur nisi minus dimidia iusti pretij, quod fuerit tempore venditionis.*
11. *Arbitrium illius, qui vt bonus vir eligitur iudicaturus rescinditur ob minorem læsionem dimidiæ partis; quia non iudicauit vt bonus vir, ideoque ad arbitrium boni viri iudicium reuertitur; secus est in Procuratore, qui si imprudens constituatur constituenti imputari debet.*
12. *Constituens Procuratorem præscribere ei potest modum agendi, & contrahendi; quod tamen in arbitro facere non potest.*
13. *Contractus nullus est si Procurator venditoris & emptor fuerit in dolo, neque in Emptorem transfertur Dominium, siue Procurator fuerit pecunia corruptus, siue gratis fecerit.*
14. *Vide etiam ibi quo casu transferatur vsucapiendi conditio; sed non Dominium.*
15. *Contractus rescinditur, si dolus non ex parte Procuratoris, sed Emptoris fuerit, eodem modo ac si cum ipso Domino initus esset.*
16. *Contractus dissoluitur si læsio facta fuerit per substitutum à Procuratore; quia nullus est; nam Procurator in contractu venditionis non potest substituere, nisi in mandato expressa fuerit forma venditionis.*
17. *Actio datur quarto intra dimidium iusti pretij, si læsio intra dimidium fuerit in æstimatione dotis.*
18. *Verba circumuenio, & circumscribo, licet aliquando læsionem cum dolo significent; sæpe tamen læsionem absque dolo denotant.*
19. *Actionem non dari intra dimidium læso in rerum dotalium æstimatione inspecto iure communi probabilius est.*
20. *Exceptio à communi regula induci non debet,*

nisi iure vel ratione manifesta, comprobetur.

21. *Deceptio, seu læsio licet maximè dedeceat inter Coniuges quam inter alias Personas ob intimam eorum coniunctionem, sic magis, dedecet inter ipsos vt lites multiplicentur, vtpote quæ paci, mutuoque amori grauiter obstent.*

22. *Actionem vero prædictam dari attento iure Regio in æstimatione rerum dotalium clarum est.*

23. *Minor vigintiquinque annis si fuerit in contractu læsus intra dimidium restituitur in integrum ex actione minoris ætatis.*

1 RESpondetur (licet regulariter non detur actio intra dimidium, vt patet ex dictis *dubit. præcedenti*, & colligitur *ex l. 2. Cod. de rescind. vendit.*) detur tamen in quibusdam casibus.

2 Primò, cum læsio prouenit ex fraude, seu dolo; quia tunc læsus agere potest actione doli ad rescindendum contractum, vel pretium supplendum, vti constat *ex l. Iulianus §. si venditor ff. de actionib. empti, & l. 1. §. persuadere ff. de seruo corrupto, l. & eleganter §. si quis ff. de dolo, l. vniuersorum ff. de rer. permut. & tradit.* Couar. 2. *var. cap.* 4. *num.* 11. Salaz. *de empt. & vendit. dub.* 27. *num.* 7. Pinell. *l.* 2. *Cod. de rescind. vendit. par.* 1. *cap.* 1. *num* 8. Matien. *l.* 2. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat. Glos.* 2. & ibi Acebedo *num.* 5.

3 Cæterum dolus, alter est causa contractus, nempè cùm ita est causa contractus, vt si dolus non adesset, non fieret contractus: Alter est, qui incidit in contractum, nempe cum ita contrahens affectus est, vt esto dolus non adesset,
4 adhuc contraheret. Cum dolus est causa contractus, tunc contractus ex communi sententia
5 Doctorum nullus est, ac proinde rescissione non indiget; cum verò incidit in contractum, tunc contractus esto validus sit, actione doli venit rescindendus, vel pretium supplendum, provt læso magis placuerit; In quo discrimen est ab actione proueniente ex remedio *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* in qua lædenti competit optio, vel rescindendi contractum, uel supplendi pretium.

6 Secundò cum pretium est lege taxatum; quia tunc læsus intra dimidium recurrere potest ad Iudicem, vt compellat lædentem supplere pretium, quod deficit, vel rescindat contractum: nam officium Iudicis est, vt obseruentur leges, maximè quæ commoda ciuium spectant. Neque in hac compulsione opus est informatione de valore, & æstimatione rei venditæ, sicuti cum nullum pretium est lege taxatum; quapropter mirum non est, quod in hoc casu detur actio læso intra dimidium, non verò, cum pretium lege taxatum non est Couarr. 2. *var. cap.* 4. *num.* 11. Petr. Ledesma 2. *par. summæ, tract.* 8. *cap.* 32. *difficult.* 2. *concl.* 8. Rodoriquez 2. *par. summæ cap.* 79. *conclu.* 4. Salas *de empt. & vendit. dub.* 27. *num.* 5. & Messia *in pragmac. frum. conclus.* 2. *num.* 126.

Tertiò, si læsio sit intra dimidium in contractu per Procuratorem facto; Paul. de Castro *in l.* 2. *Cod. de rescind. vendit. num.* 5. Bart. & si dubius, *in l. si societatem §. Arbitror. num.* 25. *ff. pro socio*, Butr. *in cap.* Quinta valis *de iur. iuran.* & ibi Abb. *num.* 35. Alex. *in l. si quis arbitratu, num.* 20. *ff. de verb. obligat*; & alij qui censent, in tali casu competere actionem, vt contractus rescindatur, vel inæqualitas reparetur: Ducuntur argum. leg. *vnde si Neruæ ff. pro Socio*, ibi: *iudicium arbitri, qui in sexta parte lædit, rescinditur*, ergo rescindi etiam debet contractus, in quo Procurator lædit; Et hanc sententiam sequitur Aretin. *conf.* 126. & Ant. Gœb. *commun. tit. de empt. & vendit. conclus.* 1. *num.* 28. Si Procurator constitutus fuerit ab homine, sed non à lege. 7 8

At probabilius est oppositum, scilicet ob læsionem intra dimidium ex contractu per Procuratorem inito non dari actionem, Abb. *in cap. cum causa, num.* 5. & Butr. *num.* 25. *de empt. & vendit.* Pinell *l.* 2. *de rescind. vendit.* 2. *par. cap.* 1. *num.* 15. Radilla *num.* 66. Cagnol. *num.* 166. Paulin. *lib.* 2. *controu. cap.* 29. & Matien. *l.* 1. *Glos.* 8. *num.* 13. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.* ducuntur ex eo, quia nullibi habetur, ob læsionem intra dimidium à Procuratore factam contractum rescindi, ergo seruanda est regula generalis *leg.* 2. *Cod. de rescind. vend.* quæ ob solam læsionem extra dimidium actionem concedit. Præterea id conuincitur *ex l. si voluntate Cod. de rescind vendit.* vbi filius nomine matris venditionem facit, & tamen in fine illius legis dicitur, venditionem non rescindi, nisi minus dimidia iusti pretij, quod fuerit tempore venditionis, datum esset. 9 10

Neque obstat lex *vnde si Neruæ, ff. pro Socio*, in qua arbitrium illius, qui, vt bonus vir, eligitur iudicaturus, rescinditur ob minorem læsionem dimidiæ partis; quia non iudicauit, vt bonus vir, ideoque ad arbitrium boni viri iudicium reuertitur; Secus est in Procuratore, qui si imprudens constituatur, constituenti imputari debet, *l. cum mendato §. vlt. ff. de minor.* Præterquam quod constituens Procuratorem, præscribere ei potest modum agendi, & contrahendi, quod tamen in arbitro facere non potest. 11 12

Si verò Procurator venditoris, & emptor fuerint in dolo, nullus est contractus, neque in emptorem transfertur Dominium, siue Procurator fuerit pecunia corruptus, siuè gratis fecerit, vt habetur *in l. qui fundum §. Procurator in fine ff. pro socio*, & tradit Matien. *l.* 1. *Gloss.* 8. *num.* 16. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.* Cum autem Procurator fuit in dolo, animo fraudandi Dominum, cuius fraudis emptor particeps non fuit, transfertur vsucapiendi conditio, sed non Dominium, vt constat *ex cit. §. Procurator;* At si dolus non ex parte Procuratoris, sed emptoris fuerit, eodem modo rescinditur contractus, ac si cum ipso Domino initus esset. 13 14 15

Quod si per substitutum à Procuratore læsio facta fuerit, contractus dissoluitur; quia nullus est, nam Procurator in contractu venditionis non potest substituere, nisi in mandato expressa fuerit forma venditionis, ad pretium, Bart. *in l. in vsucapione §.* 1. *ad finem ff. de diuers.* 16

& temporal. præscript. Ias. *in l.* 1. *ad finem ff. de offic. Procurat.* & Pinell. *in l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* 2. *par. cap.* 1. *num.* 17.

17 Quartò, si læsio intra dimidium fuerit in æstimatione dotis, quia tunc plures Doctores, quos refert, & sequitur Pinell. *in citat. l.* 2. *Cod. de rescind. vend. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Ant. Gab. *comm. opin. tit. de empt. & vendit. conclus.* 1. *num.* 33. Facchin. *lib.* 2. *cap.* 19. concedunt, dari prædictam eamdem actionem: ducuntur *ex l. Iure succursum ff. de Iur. dot. l. si res æstimata §.* 1. *ff. eodem, & l. si circumscripta, Cod. solut. matrimon.* si quidem hæ leges, vt concedant actionem ad inæqualitatem reparandam, non exigunt inæqualitatem esse vltra dimidium iusti pretij, sed solum, quod interueniat læsio, & coniux se sentiat grauatum, & consonum rationi sit, ne quis cum damno alterius lucretur; quæ omnia in læsione intra dimidium locum habent.

18 Neque obstat, quod dictæ leges verbo *circumuenio, & circumscribo* vtantur: quia esto talia verba aliquando læsionem cùm dolo significent, sæpè tamen læsionem absque dolo denotant, *l. in causæ §. penult. ff. de minor. & l. item si pretio §. vlt. ff. locati.*

Neque obstat secundò, quod coniuges in hac parte à communi regula requirente excessum vltrà dimidium excipiantur, quia cum coniuges sint vna caro, longè ab eis abesse debet omnis læsio & deceptio.

19 At, inspecto iure communi, probabile est oppositum, nempè non dari actionem ex læsione intra dimidium in rerum dotalium æstimatione; atque ita tenent Fulgos. *in cit. l.* 2. *num.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* & ibi Cagnol. *num.* 63. Salicet. *in l. si res æstimata, §.* 1. *ff. de iur. dot.* & Rebuff. *de resciss. contract. art. vnic.* Gloss. 15. *num.* 13. & probatur; quia exce-
20 ptio à communi regula induci non debet, nisi Iure vel ratione manifesta comprobetur; At ex prædictis legibus non colligitur manifestè, concedi actionem ex læsione intra dimidium, sed solum concedi actionem ex læsione, tum id bono, & æquo conuenit; quæ verba indifferentia sunt, vt concedatur actio ex læsione intra dimidium, vel vltrà; ergo exceptio à dispositione *leg.* 2. *& leg. si voluntate, Cod. de rescind. vendit.* expressa in iure non est; maximè, quia verbum *circumuenio*, & verbum *circumscribo* dolosam deceptionem sæpius denotant, *l.* 1. *vers. circumscribendum ff. de dolo*; & ex alia parte non est vlla ratio efficax: nam esto inter
21 coniuges magis dedeceat deceptio, quam inter alias personas, ob intimam eorum coniunctionem, sic magis dedecet vt inter ipsos lites multiplicentur, vtpotè quæ paci, mutuoque amori grauiter obstent.

22 Dixi, *inspecto iure communi*; Nam attento Iure Regio *in l.* 16. *tit.* 21. *par.* 4. clarum est, ob quamlibet grauem læsionem, etiam intra dimidium iusti pretij, factam in æstimatione rerum dotalium dari actionem, Anton. Gom. *l.* 50. *Tauri, num.* 44. Greg. Lopez *ad citat. leg.* 16. & Matien. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat. Gloss.* 8. *num.* 21.

23 Quintò, si minor 25. annis fuerit in contractu intra dimidium deceptus, illi competit remedium Iuris restitutionis in integrum ex actione minoris ætatis, iuxta *tit. ff. de minor; & Cod. de in integrum restitut.* vti satis etiam indicauit *lex.* 2. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat.* & rectè adnotauit Acebedo *ibi*; At de hac re, & quibus aliis personis competat hoc idem remedium Iuris restitutionis in integrum satis dixi *dubit.* 4. *sect.* 1.

SECTIO VI.

Quonam pacto deceptis vltra dimidium iusti pretij subueniatur?

SVMMARIVM.

1. *Venditor deceptus vltra dimidium iusti pretij potest agere per se ad rescindendum contractum, vel illum ad æqualitatem redigendum prout deceptori magis placuerit.*
2. *Minus pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretij soluta sit.*
3. *Iustum pretium sumendum est ex tempore venditionis, non traditionis.*
4. *Beneficium l.* 2. *Cod. de rescind. vend. ad Emptorem etiam extenditur à Doctoribus, cum æque Emptor, ac venditor ad contractum concurrant.*
5. *Beneficium l.* 2. *Cod. de rescind. vend. quicquid dicant alij, intentari debet actione ex empto, & vendito.*
6. *Actio vt rescindatur contractus, non oritur præcise ex hoc contractu; oritur tamen vt rescindatur, vel redigatur ad æqualitatem.*
7. *Actio venditi non facile datur ex textu ad rescindendam venditionem, ergo arguendo à Contrario sensu aliquando datur.*
8. *Venditor læsus debet instituere libellum alternatiue; quia venditor læsus petere debet contractus rescißionem, vel reductionem illius ad æqualitatem, & licet alternatiue non petat non ob id adimitur ei electio, neque impeditur Iudex quin alternatiue sententiam proferat.*
9. *Venditor si prius intentauerit actionem rei vendicationis, & emptor instrumento emptionis se defendat, cui defensioni venditor se opponat allegando læsionem intra dimidium, impediri poterit ab Emptore eo quod primam actionem intentatam relinquat, & nouam priori contrariam instituat.*



Vppono ex *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* Venditorem deceptum vltra dimidium iusti pretij agere posse ad rescindendum contractum, vel illum ad æqualitatem redigendum, provt deceptori magis placuerit: Dicit enim lex citata: *Rem-*

maioris pretij, si tu, vel Pater tuus minoris pretij distraxerit, humanum est, vt vel pretium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias, vel si emptor elegerit, quod deest iusto pretio, reci-
2 *pias*; *minus* autem pretium esse videtur, si nec
3 dimidia pars veri pretij soluta sit; Iustum verò sumendum est ex tempore venditionis, non traditionis, vt inquit *lex si voluntate Cod. de rescind. vendit.* ibi, *nisi minus dimidia iusti pretij, quod fuerit tempore venditionis, datum est.*

Et licet in dictis legibus nulla mentio fiat emptoris; quapropter non desunt Doctores qui negent, beneficium esse concessum empto-
4 ri *in cit. leg. 2. Cod. de rescind. vendit.* communiter, tamen Doctores, quos refert, & sequitur Ant. Gomes. 2. *var. cap.* 2. *num.* 22. Acebedo *leg.* 5. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat. num.* 1. & ibi Matien. Gloss. 3. *num.* 2. extendunt dictum beneficium *leg.* 2. ad emptorem: nam, cum æque emptor, ac venditor, ad contractum concurrant, si venditori læso succurritur, etiam læso emptori succurri debet; Tum vt æqualitas seruetur, *l. prouidendum Cod. de postulan. & l. si cum dies §. penult. ff. de arbitr.* Tum, ne contractus claudicet contra text. *in l. Iulianus §. 11. à Pupillo ff. de act. emp.*

5 Difficultas igitur est, quo nam pacto hoc remedium *leg. 2. Cod. de rescind. vend.* intentari debeat: alij enim censent, intentari debere officio iudicis, sicut indicant illa verba eiusdem legis, *auctoritate Iudicis interueniente*; Alij verò censent intentari debere conditione ex lege, quia omnis alia actio videtur deficere; His tamen non obstantibus

Respondetur, probabilius esse, intentari debere actione ex empto, & vendito; sic Gloss. & Bart. *in cit. l.* 2. Cagnol *num.* 41. Facchin. *lib.* 12. *contr. cap.* 31. & alij communiter.
6 Probatur; quia ésto ex hoc contractu non oriatur actio, vt contractus rescindatur præcise; oritur tamen, vt rescindatur, vel redigatur ad æqualitatem; at quoties ex contractu oritur actio, vt rescindatur, agi potest actione ex empto, & vendito, *l. exempto §. si quis virginem ff. de act. empt. & l. vendita ff. eodem, & l. 2. Cod. eodem tit.* ergo etiam, cùm contractus rescindi potest, vel ad æqualitatem reduci.
7 Secundò; quia *in d. l. vendita ff. de act. empti, & l. 2. Cod. eodem* dicitur, *actionem venditi non facile dari ad rescindendam venditionem*, ergò textus sentit, aliquando dari, nimirum, cum est læsio intra dimidium.
8 Hinc sequitur, libellum instituendum esse alternatiue; quia venditor læsus petere debet contractus rescissionem, vel reductionem illius ad æqualitatem, prout conuento magis placuerit; quod si non alternatiuè, sed determinatè petendo rem, instituatur, non obinde adimitur conuento electio; neque impeditur Iudex, quin alternatiue sententiam proferat, vt rectè dixit Arist. Gomes. *cit. cap.* 2. *num.* 22. Pinnel. *in citat. leg.* 2. *par.* 3. *cap.* 3. *num.* 9. *& seqq.* & Padilla *num.* 38.
9 At, si venditor prius intentauerit actionem rei vendicationis, & emptor Instrumento emptionis se defendat, cui defensioni venditor se opponat, allegando læsionem intra dimidium, impediri poterit ab emptore, eo quod primam actionem intentatam relinquat, & nouam priori contrariam instituat contra *l. edita, Cod. de edendo*; sed tamen, si huic secundæ actioni pars non se opponat, vel priori actioni venditor renunciauerit, solutis expensis non impeditur, quin hanc secundam actionem, vt rescindatur contractus, seu ad æqualitatem reducatur intentet; Doctores, quos citat, & sequitur Manen. *d. l.* 1. *Gloss.* 5. *num.* 5. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.* & meritò, cum veritati probationis, non errori processus standum sit.



SECITO VII.

An beneficium legis secundæ Cod. de rescindenda venditione, locum habeat in venditione ex decreto Iudicis?

SVMMARIVM.

1. *Beneficium l. 2. C. de rescind. vendit. locum habet in venditione ex decreto Iudicis, vti communiter fit in publica subhastatione, contra aliquos insigniores Doctores tenentes pro negatiua.*
2. *Minor læsus in alienatione rei immobilis, quæ auctoritate Iudicis præstanda est, restituitur aduersus venditionem.*
3. *Ecclesia si fuerit læsa vltra dimidium habet actionem ex dicta l. 2. & tamen in alienatione rerum Ecclesiæ debet semper interuenire auctoritas Iudicis.*
4. *Iudicis auctoritas præstat, ne deceptio præsumatur; sed potius præsumatur omnia rite, & rectè facta; at hæc præsumptio non tollit, quin si veritas manifestetur, & deceptio manifeste constiterit, non sit locus remedio dictæ l. 2.*
5. *Iudicis auctoritas licet inspecto iure communi impediat remedium l. 2. attento tamen iure Regio non impedit.*
6. *Sententia prædicta limitatur iure Regio in venditione, quæ fit auctoritate Iudicis inuito debitore, & compulsis Emptoribus, quod fieri non potest nisi ob delictum commissum, vel quia venditor non est soluendo.*
7. *Limitatur secundo in locatione, & conductione gabellarum, & redituum Regiorum.*
8. *Limitatur tertio in venditione ab hærede iussu testatoris, pretio ab ipso designato facta, quia reputatur donare voluisse, quod pluris valet.*



Vidam, vt Bart. *in l. 1. & ibi Io. Plat. num. 2. Cod. de prædiis decurion. lib.* 10. Angelus *in l. pretia rerum num. 3. ff. de leg. falcid. & in l. 1. num. 2. Cod. de præscrip. 30. vel 40. annor.*

cons. 142. *circa finem*, Decius *cons.* 210. *post num.* 8. Paul. Castren. *in dicta l.* 2. *num.* 5. & alij, quos refert Anto. Gabr. *comm. opin. tit. de emption. & vendit. concl.* 1. *num.* 57. negant; quia *in dicta l.* 1. *de prædiis decurionum l.* 10. dicitur: *Ita enim fiet, vt nec immoderatus venditor, nec emptor cuiuscumque sit conditionis inueniatur iniustus.* Et Paulo post: *Denique nihil postmodum, scilicet decreto Iudicis interueniente, quo venditor, vel circumuentum se insidiis, vel oppressum præsentia comparatoris, queri debeat: quandoquidem sub fide actorum, & de necessitate distrahentis, & de voluntate patierit comparantis:* Ex quibus verbis infertur, nec venditorem posse allegare coactionem, vel deceptionem, vel aliam iniustitiam. Et ratio est; quia, stante iudicis auctoritate, omnia præsumuntur legitime, & rite facta, vt recte ait Alciatus *de præsumptionibus regul.* 3. *præsumpt.* 10. His tamen non obstantibus.

Respondetur, contrariam sententiam (scilicet remedium *l.* 2. locum habere, etiam in venditione ex decreto iudicis facta, vti communiter fit in publica subhastatione) probabiliorem esse, quam tradunt Glossa *in d. l.* 2. Cagnolus *num.* 158. Padill. *num.* 30. Pinell. 2. *part. cap.* 2. *num.* 18. Ant. Gomes 2. *variar. cap.* 2. *num.* 23. Rebuff. *de resciss. contract. art. vnico Gloss.* 15. *num.* 40. Matien. *l.* 1. *Gloss.* 9. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat.* & ibi Acebedo, *num.* 31. Facchin. *lib.* 2. *controu. cap.* 20. *contr.* 2. Molin. *disp.* 349. Salas *de empt. & vendit. cap.* 27. *num.* 6. & Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 75. *num.* 34.

2 Probatur *ex lege siquidem C. de prædiis minor.* vbi minor læsus *in alienatione* rei immobilis, quæ authoritate iudicis præstanda est restituitur aduersus venditionem, ergo etiam maior 25. annorum restitui poterit.

3 Secundò quia Ecclesia, si fuerit læsa vltra dimidium, habet actionem ex dicta *l.* 2. vt probat manifestè text. *in cap. cum dilecti, & cap. cum causa de empt. & vendit.* & tamen in alienatione rerum Ecclesiæ debet semper interuenire authoritas Iudicis, ergo hæc non obest beneficio *legis* 2.

4 Tertiò quia authoritas Iudicis præstat, ne deceptio præsumatur, sed potius præsumantur omnia ritè, & rectè facta; At hæc præsumptio non tollit, quin si veritas manifestetur & deceptio manifestè constiterit, non sit locus remedio *d. leg.* 2. ergo.

5 Cæterum, licet inspecto Iure communi esset aliqua dubitatio propter authoritatem Doctorum contrarium asserentium, tamen attento Iure Regio *legis* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat.* pro certò haberi debet, ob authoritatem Iudicis non impediri remedium legis 2. *Cod. de rescind. vend.*

Neque obstat fundamentum oppositæ sententiæ, nam interueniente decreto Iudicis non reperitur immoderatus venditor, idest qui sine causa, & moderatione vendat, neque etiam reperitur emptor iniustus, idest qui per iniustitiam vi, vel dolo ad vendendum inducat; neque item, qui facile iniustitiam in ipsomet contractu committat.

6 Prædicta tamen sententia limitatur Iure Regio *leg.* 6. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat.* in venditione, quæ fit authoritate Iudicis inuito debitore, & compulsis emptoribus, quod fieri non potest, nisi ob delictum commissum, vel quia venditor non est soluendo, Matien. *Gloss.* 1. & Acebedo *lib.* 1. *num.* 31.

Limitatur secundò, in locatione, & condu- 7
ctione gabellarum, & redditum Regiorum, iuxta *leg.* 14. & 15. *tit.* 9. *lib.* 9. *compilat.* & tradit Acebedo *d. l.* 1. *num.* 31. & Greg. Lopez *l.* 56. *tit.* 5. *par.* 5.

Limitatur tertiò in venditione ab hærede 8
iussu testatoris, pretio ab ipso designato facta, vti docet Tiraquell. *de retract. lignager. in fine tit. post §.* 36. *num.* 5. Acebedo *loco supra cit.* & Matien. *l.* 1. *titulo* 11. *lib.* 5. *Gloss.* 8. *num.* 58. quia reputatur donare voluisse, quod pluris valet.



SECTIO VIII.

An dicta lex 2. *Cod. de rescind. vendit. locum habeat, cum venditor conscius erat valoris, & æstimationis rei vendendæ; vbi etiam de emptore pretium excessiuum concedente?*

SVMMARIVM.

1. *Artifices in sua arte periti, licet secundum aliquos insigniores Doctores cum non possit eorum ignorantia præsumi, non gaudent beneficio dictæ l. tamen secundum probabiliorem opposita sententia est probabilior.*
2. *L.* 2. *beneficium eiusque dispositio non restringitur ad ignorantes; sed fertur generaliter, maxime cum æqua ratio humanitatis vrgeat, vt succurratur scienti, ac ignoranti.*
3. *Propriæ rei æstimationem quilibet scire præsumitur.*
4. *Facilius quis errat in pretio modico, quam in summo; ideoque cum est læsio enormis, numquam ignorantia præsumitur.*
5. *Sciens valorem rei venditæ, eamque minus iusto pretio voluntarie alienans non ideo censetur defectum remittere, & emptori donare; potius enim præsumi debet læsio ob necessitatem, libidinem, vel leuitatem, quam ob liberalitatem.*
6. *Scienti, & consentienti non fit iniuria, si plene libere consentiat.*
7. *Scientia impedit actionem ex dolo ob rescissionem contractus; non tamen ex æquitate, & humanitate ob læsionem.*
8. *Domus vendenda si ante venditionem exusta sit, idque Emptor & venditor sciuerint, nulla est venditio; at si emptor conscius fuerit, & venditor ignorauerit venditio tenet, & pretium solutum emptor non repetet; sed id euenit quia emptor in tali casu conuincitur donasse, at secus est in casu, de quo agitur.*

1 Espondetur (licet Bart. *in d. l.* 2. *num.* 14. Bald. *num.* 7. Salic. *num.* 11. Castr. *num.* 7. Cagnol. *num.* 124. Matien. *l.* 1. *Gloss.* 8. *num.* 35. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat.* Guttier. *pract. quæst.* 144. & Gregor. Lopez *l.* 56. *tit.* 5. *par.* 5. negent, quibus fauet *lex.* 3. *tit.* 11. *lib. noua collect.* vbi ab hoc remedio excluduntur artifices in sua arte periti, quorum ignorantia præsumi non potest) oppositam sententiam, tamen esse probabiliorem, quam tradunt Pinell. *in. d. l.* 2. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Sarmient. *primò select. cap.* 2. Facchin. *lib.* 2. *controuer. cap.* 20. *controu.* 5. Salas *de empt. & vendit. cap.* 27. *num.* 7. & non improbat Couar. 2. *var. cap.* 4. *num.* 2. *in d. l.* 2.

Probatur; quia *in d. l.* 2. *& l. si voluntate Cod. de rescind. vendit. & cap. cum dilecti, & cap. cum causa de empt. & vendit.* & aliis Iuribus, in quibus mentio fit huius beneficij,
2 dispositio non restringitur ad ignorantes, sed fertur generaliter, ergo sic sustinenda est; maxime cum æqua ratio humanitatis vrgeat, vt succurratur scienti, ac ignoranti, vt docuit Gloss. *in l. venditor verb. quæri potest, Cod. de rescind. vendit.* aliàs rarò hoc beneficium lo-
3 cum haberet, cum quilibet præsumatur propriæ rei æstimationem scire; *l. quisquis Cod. de rescind. vendit.*


4 Neque valet dici, ex immodica læsione ignorantiam præsumi debere; Nam vt experientia docet facilius quis errat in pretio modico, quam in summo, ideoque cum est læsio enormis, numquam ignorantiam præsumendam esse, probauit Ant. Gabr. *titul. de empt. & vendit.* & Salas *cap.* 27. *num.* 8.

5 Obijcies. Sciens valorem rei venditæ eamque minus iusto pretio voluntarie alienans, censetur defectum remittere, & emptori donare, *iuxta l. si quis donationis ff. de contrahen. empt.* Accedit quod sciens valorem rei non potest allegare, se esse deceptum, *l. cum de nationis Cod. de transact.* ergo vti non potest remedio *d. l.* 2. quæ lata est in fauorem eorum, qui decepti sunt.

Respondetur: Nego, donationem præsumi, alias non vterentur verbo emptionis sed donationis, nec ita de pretio contenderent, potius enim presumi debet ob necessitatem, libidinem, vel leuitatem læsio permissa, quam ob
6 liberalitatem. Concedo tamen scienti, & consentienti non fieri iniuriam, si plene libere consentiat, quod non est in præsenti præsu-
7 mendum: Præterea scientia impedit actionem ex dolo ad rescissionem contractus, non tamen ex æquitate & humanitate, ob læsionem.

8 Obiicies secundò, quia in *l. domum ff. de contrahend. empt. & l.* 14. *tit.* 5. *par.* 5. si domus vendenda ante venditionem exusta sit, idque venditor, & emptor sciuerint, nulla est venditio; at si emptor conscius fuerit, & venditor ignorauerit, venditio tenet, & pretium solutum emptor non repetet, quia gratis donare visus est; ergo, &c.

Respondetur, in tali casu non repeti pretium solutum ab emptore sciente domum esse combustam, quia conuincitur donasse, cùm sciret se nihil emere; quæ decisio trahenda non est ad contractus emptionis, & venditionis, in quibus interuenit læsio.



SECTIO IX.

An dictum beneficium leg. 2. habeat locum, si venditor fecisset pactum vt reddendo pretium emptori res sibi traderetur?

SVMMARIVM.

1. *Beneficium l. 2. habet locum etiam si venditor fecisset pactum vt vendendo pretium emptori res sibi traderetur; licet si pactum fiat pro tempore determinato, & hoc tempus transeat, non poterit ex vi pacti venditor cogere emptorem, vt rem acceptam reddat.*
2. *Beneficium l. 2. non impeditur secundum aliquos Doctores etiamsi venditor cum emptore conueniat, vt casu quo læsio vltra dimidium contingat pretium suppleatur, ac proinde agi potest ad rescissionem contractus æquè ac ad pretij supplementum.*
3. *Beneficium l. 2. stare non potest cum dicto pacto, atque ideo sententia opposita dicitur probabilior.*
4. *Lædens ex vi talis pacti non potest rescindere contractum; sed necessario debet supplere pretium: excipe nisi ipse læsus vellet renunciare pacto, vtpote in ipsius fauorem inducto.*

Espondetur: si pactum fit pro tempore determinato, & hoc tempus transit, non poterit ex vi pacti cogere emptorem, vt rem acceptam reddat, nihilominus tamen si se sentiat læsum vltra dimidium, ex vi huius pacti non impeditur hoc legis 2. remedium, Doctores, quos citat, & sequitur Gregor. Lopez *leg.* 56. *tit.* 5. *par.* 5. & Matien. *l.* 1. *Gloss.* 8. *num.* 18. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat.* 1

Quid autem, si venditor cum emptore conueniat, vt casu quo læsio vltra dimidium contingat, pretium suppleatur. 2

Quidam, vt Iason *in l.* 2. *Cod. de Iure Emphitheut. num.* 143. Cagnol. *in l.* 2. *Cod. de rescind. vendit. num.* 168. & Facchin. *lib.* 1. *controu. cap.* 20. *controu.* 3. affirmant, ex vi huius pacti non impediri remedium legis 2. ac proindè agi posse ad rescissionem contractus æquè, ac ad pretij supplementum.

At oppositum (quod docet Bald. in titul. *Qualiter Dominus fœudi proprietate priuetur,* Aretin. & Alex. *ad leg. si quis cùm aliter ff. de verb.* 3

verb. oblig.) est probabilius; quia remedium huius legis compati non potest cum prædicto pacto: Hoc enim remedium est, vt læsus agat alternatiue, ad rescissionem contractus, vel ad supplementum pretij, provt lædenti magis placuerit. At ex vi talis pacti lædens non potest rescindere contractum, sed necessario debet supplere pretium, ergo non habet locum tale remedium *legis* 2.

Excipe, nisi ipse læsus vellet renunciare pacto, vtpotè in ipsius fauorem inducto: nam eo casu non arctabitur lædens, ad supplendum pretium, sed poterit rescindere contractum; quin arbitror, quoties remedium huius *legis* 2. deceptus intentaret, tacitè censeri dicto pacto renunciare, & velle ledenti concedere optionem in dicta *leg.* 2. contentam.



SECTIO X.

Quibus in contractibus locum habeat remedium legis 2. Cod. de rescind. vendit.

SVMMARIVM.

1. *Beneficium l. 2. habet locum in contractibus bonæ fidei; quia in reliquis contractibus reciprocis, qualis est locatio, conductio, cambium, census, adest eadem causa succurrendi læso; secus est in deposito, mandato, commodato, & precario: hi enim contractus non ex remedio l. 2. sed aliunde infirmantur.*
2. *Beneficium l 2. an habeat locum in contractibus stricti iuris, Doctores non concordant.*
3. *Deceptis vltra dimidium probabilius est competere exceptionem deceptionis, si conueniantur ex l. si quis cum aliter ff. de verb. obligat. Si vero soluerint competit actio conditionis indebiti, vtpotè qui soluerint indebitum, & quasi per errorem.*
4. *Læsus vltra dimidium in diuisione hæreditatis potest vti hoc remedio l. 2. quia hæc diuisio est quædam emptio Iuris quod habet.*
5. *Excipe nisi hæc diuisio euenerit per sortes rite, & sine dolo factas; quia in tali casu non censetur læsus, cum læsio non spectet finem contractus, & euentum fortuitum in futurum contingentem, sed initium illius.*
6. *Beneficium l. 2. secundum aliquos non habet locum in liberatione facta debitori; admittunt tamen læsum grauiter, siue sit creditor, siue debitor, aliis iuris remediis subueniendum esse.*
7. *Creditori, vel Debitori, si læsus sit in calculo rationum per errorem, succurritur ex l. 2. C. de error. calcul.*
8. *Debitor si plus soluit quam deberet, vel Creditor plus remittit, & tunc datur repetitio l. cuius per errorem ff. de reg. iur. & l. si non sortem §. si centum, ff. de condit. indebit.*
9. *Læsio si contingat in æstimatione rei in solutum datæ, Creditori datur actio l. si quis alienam ff. de solut. &c.*
10. *Deceptis succurritur ex legibus, quibus passim succurritur contrahentibus.*
11. *Creditor, vel Debitor si liberatio sit onerosa potest vti beneficio l. 2. quia liberatio onerosa est quasi quædam emptio, & venditio. Secus si sit gratuita quia tunc imitatur donationem.*
12. *Beneficium l. 2. locum habet in datione in solutum, si datio in solutum voluntaria sit ex conuentione Creditoris, & Debitoris; quia hæc datio in solutum æquiparatur venditioni.*
13. *Debitor si læsus sit vltra dimidium in æstimatione rei, quam dedit in solutum, potest determinate petere vt sibi res reddatur, offerens soluere quod debebat, non tamen ex l. 2. quam ex alius iuribus.*
14. *Creditor si auctoritate Iudicis compellatur bona æstimata in solutum accipere gaudet beneficio l. 2. secundum aliquos Doctores. At oppositum certius videtur maxime si bona hæc taxata acceperit, nec reclamauerit; quia per eam acceptionem videtur reliquum debitum remisisse.*
15. *Beneficium l. 2. procedit etiam in locatione, & conductione; quia sunt contractus bonæ fidei, & similes emptioni.*
16. *In conductione vt læsio probetur pensari debet solita merces, pensarique debent fructus qui ex re conducta deductis expensis colligi consueuerunt, & iuxta hæc æstimandum si læsio sit vltra dimidium.*
17. *In locatione redditruum pensari debet species communiter contingens, & ex illius æstimatione, non autem ex futuro euentu læsio colligenda est.*
18. *Excipe conductionem, seu locationem gabellarum, & redditruum Regis.*
19. *Excipe etiam conductionem, qua opifex se obligat ad opus aliquod conficiendum, qui esto postea alleget se vltra dimidium deceptum, non auditur.*
20. *Conductor an vti possit beneficio l. 2. si finito locationis tempore se grauatum sentiat, dubium est inter Doctores; quidam enim negant, at probabilius est illud competere, etiam finito tempore. Licet enim contractus non possit rescindi, quia est finitus, potest tamen reparari, & reduci ad æqualitatem.*
21. *Emphiteusis contractus gaudet beneficio l. 2. si læsio inueniatur vltra dimidium inspecto dominio vtili, aliisque circumstantiis.*
22. *Transigentes si vltra dimidium in transactione lædantur, dubium est inter Doctores, an gaudeant beneficio l. 2. at probabilius est deceptis in dicto contractu succurri hoc remedio.*
23. *Læsio in transactionis contractibus vix probari potest; pendet enim ab æstimatione, quam habet spes rei futuræ contingentis; quæ æstimatio non satis indagari potest.*
24. *Transactio quæ super re dolosè extorta facta est firmitatem quidem habet ex l. 1. C. de*

plus petitionibus, non tamen ex ea lege probatur, quod si in ipsa transactione dolus, vel enormis læsio interuenerit, non possit rescindi, & sic alia iura in contrarium allegata interpretantur.

25. *Transactio licet sit super re dubia, & incerta, quæ difficile probari possit; si tamen de illa aliquando constet, rescindi potest.*

26. *Causa decisa per iuramentum retractari non potest; est enim id speciale in iuramento; at non in transactione.*

27. *Transactio æquiparatur rei indicatæ quoad terminandam litem, non tamen quoad modum rescindendi, & reparandi læsionem.*

28. *Referuntur conciliationes opinionum DD. in hac læsione, quæ interuenit in contractibus transactionis; at Auctori hæc conciliatio non probatur, & cur.*

29. *Transactio an spectato iure Regio rescindi possit si læsio vltra dimidium interuenerit, dubitant DD. probabilius tamen est pro affirmatiua.*

30. *Assecurationis contractus, quos Mercatores de pecunia, vel merce asportanda faciunt ob sibi traditum præmium, si læsio intra dimidium interuenerit gaudet beneficio l. 2.*

31. *Idem dic de contractu fideiussionis, quem fideiussor in fauorem tàm Creditoris, quàm Debitoris præstat, si forte læsio interuenerit.*

1 Respondetur, habere locum in contractibus bonæ fidei, de quibus in *§. actionum, instit. de action.* & docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Molin *tract.* 2. *disp.* 349. Gomes. 2. *variar. cap.* 2. *num.* 22. Pinell. *in l.* 2. *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. *& seqq.* Matien. *l.* 1. *Glos.* 8. *num.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.* Guttier. *quæst. pract. lib.* 2. *quæst.* 138. & Facchin. *lib.* 2. *controu. cap.* 22. quia in reliquis contractibus reciprocis, qualis est locatio, conductio, cambium, census, &c. Adest eadem causa succurrendi læso. Secus est in deposito, mandato, commodato, & precario: hi enim contractus non ex remedio *leg.* 2. sed aliunde infirmantur.

2 Quatenus vero spectat ad contractus stricti iuris, Doctores non concordant, vt videre est apud Facchin. *lib.* 2. *controuer. cap.* 22. & Matien. *l.* 1. *Glos* 8. *num.* 6. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua compilat.*

3 At probabilius est, quod docet Fachin. scilicet deceptis vltra dimidium competere exceptionem deceptionis, si conueniantur *ex l. si quis, cum aliter ff. de verb. oblig.* si verò iam soluerint, competere actionem condictionis indebiti, vtpotè qui soluerint indebitum, & quasi per errorem; cum soluerint, quod aliàs non tenebantur, iuxta *leg. qui exceptionem, ff. de condit. indebiti.*

4 Ex his infertur, si in diuisione hæreditatis læsus sis vltra dimidium, posse te vti hoc remedio legis secundæ; quia hæc diuisio est quædam emptio iuris, quod habes, sicuti colligitur *ex l. maioribus, Cod. communia vtriusque Iudicis ibi: Maioribus etiam per fraudem, vel dolum, vel perperam, siue iudicio Factis diuisionibus, solet subuenire, quia in bonæ fidei iudiciis, & quod inæquale factum esse constiterit, in melius reformabitur*; & docent Doctores quos citat, & sequitur Matien. *in l.* 1. *Glos.* 8. *num.* 3. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.*

Excipe, nisi hæc diuisio euenerit per sortes 5
ritè, & sine dolo factas; quia in tali casu non censeris læsus; cum læsio non spectet finem contractus, & euentum fortuitum in futurum contingentem, sed initium illius, vti rectè notauit Matien. *loc. suprà cit.*

Infertur secundò decisio, an in liberatione 6
facta debitori locum habeat remedium *leg.* 2.

Quidam (vt Facchin. *lib.* 2. *controuer. cap.* 21. *in princip.* citans Baldum, & alios) negant ex eo quia remedium *leg.* 2. concedit lædenti conuento, vt possit rescindere contractum, vel illum ad æqualitatem redigere, quod in liberatione debitoris non videtur præstari posse. Admittunt tamen, læsum grauiter, siue sit creditor, siue debitor, aliis iuris remediis subueniendum esse: Nam, si creditor, vel debitor 7
læsus est in calculo rationum per errorem, succurritur *ex leg.* 2. *Cod. de error. calcul.* vel debitor per errorem plus soluit quam deberet; 8
vel creditor plus remittit, & tunc datur repetitio legis, *cuius per errorem ff. de reg. iur. & leg. si non sortem §. si centum ff. de condict. indebit.* 9
vel læsio contingit in æstimatione rei in solutum datæ creditori, & datur actio *leg. si quis aliam ff. de solut. & leg. si res §.* 1. *ff. de iur. dot. & l. si non sortem §. si centum ff. de condict. indebiti*; Vel alia de causa deceptus est, & tunc succurri debet ex legibus quibus passim succurritur 10
contrahentibus, dolo re ipsa adhibito, vel perperam deceptis, *l. si quis cum aliter ff. de verb obligat. l. maioribus Cod communia vtriusque Iudicis, & l. si superstite Cod. de dolo.*

At mihi distinguendum videtur, si liberatio 11
sit onerosa, poterit creditor, vel debitor grauatus vti beneficio *d. leg.* 2. Bart. *cons.* 90. Cagnol. *leg.* 2. *num.* 195. *Cod. de rescind. vendit.* Aretin. & Roman. *in l. si quis aliter num.* 24. *ff. de verb. obligat.* quia hæc liberatio onerosa est quasi quædam emptio, & venditio. Nam creditor vendit debitori ius, quod habet in ipsum quod emptor emit, obligatione de nouo contractu; non est ergo, cur hæc liberatio eximatur à beneficio *leg.* 2. si autem ea liberatio non sit onerosa, sed gratuita, cum donationem imitetur, locum habere potest *leg.* 2. & in hoc sensu puto loquutam fuisse priorem sententiam.

Infertur tertiò, an locum habeat in datione 12
in solutum; & quidem, si datio in solutum voluntaria sit ex conuentione creditoris, & debitoris, vti contingit, cum debebas Titio centum, & fundum in centum æstimatum soluis loco centum, & ipse admittit tunc locus est huic legi, si te inuenias læsum, quia hæc datio in solutum æquiparatur venditioni, *l. si Prædium Cod. de euictionibus, & l. eleganter de pignorat. action.* si quidem creditor vendit ius, quod habet in debitorem propter fundum sibi concessum, Doctores, quos citat, & refert Acebedo *in l.* 6. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.* & ibidem Matien.; qui *num.* 3. subdit, si debitor læsus 13
sit vltra dimidium in æstimatione rei, quam

dedit in solutum, posse determinatè petere, vt [sibi] res reddatur, offerens soluere, quod debebat, ; quia in hac parte non tam succurritur debitori ex dicta l. 2. quàm ex aliis iuris regulis. Tum quia illa datio in solutum, non tam est venditio, quàm debiti solutio.

14 Si verò creditor auctoritate Iudicis compellitur bona æstimata in solutum accipere, Cagnol. *in l.* 1. *num.* 163. *Cod. de rescind. vendit.* & alij complures tenent, esse locum remedio dictæ leg. 2. & si alij putent oppositum, ex eo quia cum illa datio in solutum non fiat à parte, sed a Iudice, interuenientibus pluribus solemnitatibus, propterea non conceditur remedium *dicta leg.* 2. Tùm quia nullus error, vel deceptio ibi interuenire præsumitur. Tùm quia decepto relinquitur facultas appellandi, quæ est legitimum, & ordinarium remedium in sententia, vel decreto Iudicis. iuxta *leg. ab executione. Cod. quorum appellationes non recipiantur.*

At quidquid sit de hoc, illud tamen certius est, quod, si creditor bona hæc taxata acceperit nec reclamauerit, sed potius significauerit, se esse contentum, nullo postea beneficio legis vti poterit, quia per eam acceptionem videtur reliquum debitum remisisse, vti colligitur *ex leg. à Diuo Pio §. si pignora, ff de re iudic.* & aduertit Facchim. *loc. supra cit.*

15 Infertur quartò, remedium huius legis procedere in locatione, & conductione; quia sunt contractus bonæ fidei, & similes emptioni *leg.* 2. *ff. locati.*

15 Vt autem læsio in conductione probetur, pensari debet solita merces, pensarique debent fructus. qui ex re conducta, deductis expensis, colligi consueuerunt, & iuxta hæc examinandum est, an læsio sit vltra dimidium, Matien. *leg.* 1. *Gloss.* 6. *num.* 2. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.* & Pinell. *l.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* 2. *par.*
17 *cap.* 4. *num.* 18. In locatione verò reddituum pensari debet spes communiter contingens, & ex illius æstimatione, nõ autem ex futuro euentu, læsio colligenda est, iuxta *leg. nec emptio, ff. de contrahen. empt.* & docuit Marien. aliis relatis, *loc. supra cit.*

18 Ab hac doctrina excipitur conductio, seu locatio gabellarum, & reddituum Regis, in qua non admittitur Iure Regio *leg.* 15. *tit.* 9. *lib.* 9. *nouæ collect.* Actio pro reparanda læsione, tàm ex parte locantium, quàm ex parte conducentium, Marien. citat. *Glos.* 6. & Gregor. Lopez *leg.* 56. *in Glos. magna, ad med. tit.* 5.
19 *par.* 5. Excipitur etiam conductio, qua opifex se obligat ad opus aliquod conficiendum; qui esto postea alleget, se vltra dimidium deceptum, non auditur vt *in leg.* 3. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.*

20 Difficultas autem est, an conductor vti possit beneficio *dictæ leg.* 2. si finito locationis tempore, se grauatum sentiat?

Quidam, *vt Decius conf.* 583. negant eo quod iam contractus finitus sit, neque conuento optio dari possit, vel rescindendi contractum, vel supplendi pretium; ob quam rationem sequitur Valasc. *tract. de emphytheusi quæst.* 28. asserens, secundum hanc opinionem sæpe in Senatu iudicatum esse; quod maxime, inquit ipse, verum est, si post fructus consumptos læsio intentetur.

At melius hanc actionem dictæ *leg.* 2. in conductione, etiam post tempus finitum, admittunt Molin. *tract.* 2. *disput.* 349. Guttier. *quæst. pract. lib.* 2. *quæst.* 138. Pinell. *in l.* 2 *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 20. & Facchin. *lib.* 2. *controu. cap.* 22. & colligitur *ex lege Regia prima tit.* 11, *lib.* 5. *nouæ compilat.* & probatur ratione; quia finita locatione, læsus remedium habet vt saltem contractus reducatur ad æqualitatem. ergo æquitas postulat vt hac via subsidium recipiat. quapropter etsi contractus non possit rescindi, quia est finitus, potest tamen reparari, & reduci ad æqualitatem, quod videtur sufficiens; præterquam quod esto dispositio *leg.* 2. in hoc casu dictæ conductionis locum non habeat, aliæ tamen leges, quibus læsi subueniuntur, locum habere debent, vti colligitur *ex leg. si superstite Cod. de dolo,* & *leg. si quis ff. de verb. oblig.*

Huc spectat contractus emphitheusis, in 21 quo, si læsio inueniatur vltra dimidium, inspecto dominio vtili, aliisque circumstantiis, locum etiam habebit remedium dictæ *leg.* 2. Pinell, 1. *par. cap.* 3. *num.* 33. & Facchin. *lib.* 2. *controu. cap.* 22. Raro tamen læsio hæc probari poterit: nam esto pensio sit exigua, solet aliis circumstantiis, scilicet recognitione dominij, melioratione rei emphitheutæ sperata, compensari.

Infertur quintò, decisio illius quæstionis, an 22 in transactione locum habeat remedium huius *leg.* 2. Et quidem, si spectemus valorem rei, supra qua transigitur, meritò conueniunt Doctores apud Guttier. *quæst. pract. lib.* 2. *quæst.* 141. & Matien. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat. Glos.* 8. *num.* 53. locum non esse læsioni, quia esto res illa sit magnæ æstimationis, potest tamen obtentu esse ita difficilis, vt iustè & prudenter pretio modico transigatur; quod probat textus *in leg. Lucius, §. vlt. ff. ad Trebell.* negans actionem, interueniente transactione, esto hæreditas quadruplo excederet acceptum; Ratio est, quia æquitas, & iustitia transactionis non ex valore rei in se spectatæ, sed prout est tempore transactionis, desumi debet, *leg. si voluntate Cod. de rescind. vend.*

Spectatis autem, tàm dubio litis euentu, quàm aliis circumstantiis, si læsio contingat vltra dimidium, vel accipiendo infra dimidium, vel dando vltra dimidium, quàm prudentes viri pro re, & causa sic dubia acciperent, vel donarent, non concordant Doctores.

Negant enim, dari actionem ad rescindendum contractum, vel ad supplendum pretium, *Glos. in cap. cum causa de empt. & vendit.* & ibi Io: Andr. Ancaran. & Innocent. Tiraquell. *lib.* 1. *de retract. §.* 24. *Glos. vnica num.* 4. Padilla *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit. num.* 23. & alij apud Marien. & Facchin. *locis suprà cit.*

At, spectato iure communi, per se locum esse remedio *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* in transactionis contractu deceptis, affirmant probabilius Bart. *in dicta leg.* 2. *num.* 2. Pinell. 1. *par. cap.* 4. *num.* 15. Facchin. *lib.* 2. *con-*

trouers. cap. 26. Marien. *leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compil. Glos.* 8. *num.* 54. & alij multi.

Probatur; quia *l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* & *l. si voluntate Cod. eodem*, concedunt deceptis in quolibet contrractu reciproco actionem, vt contractus rescindatur, vel ad æqualitatem redigatur; At si in transactione contingat læsio vltra dimidium (vti contingere potest, si hæreditas magni valoris, & parum dubia, secundum virorum prudentum existimationem modico pretio transigatur) locum habere debet dispositio *leg.* 2. *Cod. de rescind. vend.*

23 Dixi, *per se*; quia vix læsio hæc probari potest: pendet enim ex æstimatione, quam habet spe rei futuræ contingentis quæ æstimatio non satis indagari potest; quia non satis illius dubium, difficultas, & incertitudo percipitur; & forsan ob hanc rationem prior sententia negabat, in transactione locum esse remedio *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.*

Obiicies ex *leg.* 1. *Cod. de plus petit* ibi: *Transactionibus scilicet, & secundis confessionibus, etiam in hac specie, suam obtinentibus firmitatem.* Tùm ex *leg. in summa ff. de condict, indebit.* ibi: *Et quidem, quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repetitur: nam si lis fuerit, hoc ipsum, quod à lite receditur, causa videtur esse.* Tùm ex *leg. à Diuo Pio §. si pignora ff. de re iudicat.* ibi: *Rescriptum est non posse amplius, quod sibi debetur petere; quia velut pacto transegisse de catero videtur, qui conuentus fuit pignora poßidere.*

24 Respondetur ad *leg.* 1. *Cod. de plus petitionib.* transactionem, quæ super re dolosè extorta facta est, firmitatem quidem habere, inde tamen non probari, quod si in ipsa transactione dolus, vel enormis læsio interuenerit, non possit rescindi. Deinde lex *in summa, de condit. indebit.* Probat quidem solutum indebitum ex causa transactionis repeti non posse, sed non probat transactionem ipsam non fore elidendam, si læsio interuenerit: Tandem lex *à Diuo Pio ff. de re iudic.* probat similiter, creditorem accipientem pignora in solutum non posse remissum debitum petere, sed non probat, impugnare non posse pactum, si in illo se sentiat grauatum.

25 Obiicies secundò; Transactio est super re dubia, & incerta, sed stante dubio, & incertitudine rei, læsio non potest allegari, leg. *de fideicommisso, Cod. de transact. & l. si ea lege Cod. de vsur.*

Respondetur difficilè quidem læsionem in transactione probari, si tamen de illa aliquando constet, rescindi posse.

26 Instabis causa decisa per iuramentum retractari non potest, *leg. non erit §. dato, & leg. nam postea §.* 1. *ff. de iur. iuran.* sed iuramentum est quædam species transactionis, *leg.* 2. *ff. eodem tit.* ergo causa decisa per transactionem non poterit retractari.

Respondetur, in iuramento illud esse speciale, quia rescissa causa in iuramentum aduersarij: iurans Testis, & Iudex constituitur, *leg. vlt. Cod. de fideicomm.* ideoque non est locus querelæ læsionis.

27 Vrgebis. Transactio æquiparatur rei iudicatæ, *leg. non minorem, Cod. de transact.* at res iudicata non rescinditur, cum aduersus ius litigantis lata est, *leg.* 2. *Cod. quando prouocare non est necesse*; ergo nec transactio rescindi debet.

Respondetur, Transactionem comparari rei iudicatæ quoad terminandam litem, non tamen quoad modum rescindendi, & reparandi læsionem, si in ipsis interuenerit: nam res iudicata appellatione reparatur, transactio autem remedio *leg.* 2. *Cod. de rescind. vend.*

Cæterum quidem, vt Corneus *consil.* 166. 28
Burgos. *de paz. cons.* 19. *num.* 21. Acebedo *leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat. num.* 27. & alij apud Gabriel. *lib.* 3. *commun. tit. de empt. & vendit. conclus.* 1. & Pinell. *in leg.* 2. 1. *par. cap.* 4. *num.* 14. conciliant supradictas contrarias opiniones, ita vt prior negatiua procedat, cum læsio est enormis, nempe cum modicum excedit dimidium iusti pretij; posterior verò affirmatiua procedat, cum longè iusti pretij dimidium excedit; quæque enormissima læsio dicitur, quia hæc dolo æquiparatur; ideoque *in leg. in summa, ff. de condict. indebit.* habetur, *Sin autem euidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est, & repetitio datur; & in leg. si superstite Cod. de dolo* dicitur: *sanè si immodice læsus est, non de dolo propter paternam verecundiam, sed in factum actio tibi concedenda est.*


At hæc conciliatio mihi non probatur; quia nulla est specialis ratio ob quam à beneficio *leg.* 2. excludatur transactio, neque est aliqua lex, quæ enormissimam læsionem pro illius rescissione exigat: nam esto lex *in summa*, & lex *si superstite* loquantur de læsione dolosa, nõ inde tamen infertur transactionem quæ hanc læsionem non attingit, sed attingit enormem, non esse rescindendam: Præterquam quod satis probabile est prædictas leges non loqui de enormissima læsione, & dolo facto, maximè lex si superstite, in cuius specie transactio bona fide interposita, celebrata est.

An autem, spectato Iure Regio, rescindi 29
possit transactio, in qua læsio vltra dimidium interuenit?

Negant Guttier. *lib.* 2. *quæst. pract. quæst.* 141. *num.* 4. Gregor. Lopez *leg.* 341. *tit.* 4. *par.* 5. & Matien. *in leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *Glos.* 8. *num.* 55.

At probabilius affirmant Burgos. de Paz. senior *cons.* 19. *num.* 18. & alij complures apud ipsos.

Infertur vltimo (si in assecurationibus, 30
quas Mercatores de pecunia, vel merce asportanda faciunt ob sibi traditum præmium, læsio vltra dimidium iusti pretij interuenerit, vel ex parte assecuratoris, vel ex parte assecurati, inspecto dubio, & periculo causæ, aliisque circumstantiis) locum esse beneficio dictæ *leg.* 2. quia verè est contractus reciprocus, & imitatur venditionem & Guttier. *quæst. pract. lib.* 2. *quæst.* 142. Matien. *leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *Glos.* 8. *num.* 2. & Padill. *in cit. leg.* 2. *num.* 21. Et idem est 31
in contractu fideiussionis, quem fideiussor in in fauorem, tam creditoris, quàm debitoris, præstat si fortè læsio interuenerit, sicuti aduertunt, prædicti Doctores.



SECITO XI.

An in aliquibus contractibus locum non habeat lex 2. C. de rescindenda venditione?

SVMMARIVM.

1. *Beneficium l. 2. non habet locum in contractibus, seu quasi contractibus, qui consensu vnius perficiuntur.*
2. *Beneficium l. 2. non habet locum in aditione hæreditatis, in qua hæres solus quasi cum Creditoribus contrahit, ipsisque obligatur.*
3. *Beneficium l. 2. non habet locum in venditione quam alter ex consensu Domini facit.*
4. *Beneficium l. 2. non habet locum in permutatione beneficiorum, licet intercedat inæqualitas fructuum, nam esset intentio simoniaca.*
5. *Beneficium Ecclesiasticum non accipitur ex manu permutantis; sed ex manu Episcopi.*
6. *Textus in cap. ad quæstionem de rerum permut. vbi ex consensu Pontificis soluitur pecunia ex vna parte, vt contractus magis ad æqualitatem reducatur, non officit, quia id factum est in permutatione Ecclesiarum quoad earum possessiones, non autem quoad iura spiritualia.*
7. *Læsus, vel deceptus in permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum licet non gaudeat beneficio l. 2. aliis tamen remediis reparare potest deceptionem.*
8. *Idem dic de constitutione pensionis, si valorem tertiæ partis beneficij, cui imponitur excedat, officio enim Iudicis retractari potest.*

1 RESpondetur, dictam *leg.* 2. non habere locum in contractibus, seu quasi contractibus, qui consensu vnius perficiuntur; Ita Ancharan. Imol. Anton. Burgos. *in cap. cum causa limit.* 17. *de emption. & vendit.* & communiter cæ-
2 teri Doctores; vnde non habet locum in aditione hæreditatis, in qua hæres solus quasi cum creditoribus contrahit ipsisque obligatur, §. *final. institut. de hæred. qualit. & different.* quapropter prætextu læsionis vltra dimidium non potest se excusare à debitis soluendis, vt rectè adnotauit Matien. *leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *Gloss.* 8. *num.* 59.

3 Secundò, non habet locum in venditione, quam alter ex tui consensu faceret: Nam esto pretij particeps esses, non propterea poteris rescindere venditionem, quia hoc beneficium venditori solum concessum est, Bald. *in citat. leg.* 2. *num.* 24. Badill. *ibidem num.* 67. Tiraquell. *lib.* 2. *de retract.* §. 1. *Gloss.* 9. *num.* 105. & Matien. *loco supracit.*

Tertiò non habet locum in permutatione 4
beneficiorum, esto inæqualitas fructuum intercedat; quia non potest agi ad rescindendam permutationem, vel ad supplendum pretium nam esset intentio simoniaca.

Accedit, quod beneficium non accipitur ex 5
manu permutantis, sed ex manu Episcopi; ergo non potest aduersus illum intentari actio ex remedio *legis* 2. atque ita tradunt Petr. Rebuff. *de resciss. contract. Gloss.* 15. *num.* 10. Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 3. 8. *& sequen.* Cagnol. *dicta leg.* 2. *num.* 57. Padill. *num.* 18. Facchin. *lib.* 2. *cap.* 22. *contr.* 3. & Matien. *leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *collect. Gloss.* 7. *num.* 5. *& Gloss.* 8. *num.* 62.

Neque obstat text. *in cap. ad quæstionem de* 6
rer. permut. vbi ex consensu Pontificis soluitur pecunia ex vna parte, vt contractus magis ad æqualitatem reducatur; quia id factum est in permutatione Ecclesiarum, quoad earum possessiones, non autem quoad Iura spiritualia; In permutatione vero possessionum, aliorumque bonorum temporalium locum habet dispositio *leg.* 2. cum illa pretio ad æqualitatem redigi possint; secus autem in permutatione beneficiorum, prout continent speciale ius quod non potest sine vitio simoniæ pretio compensari, vt rectè adnotauit Couar. & alij Doctores supra citati.

At esto in permutatione beneficiorum locum 7
non habeat *leg.* 2. *Cod. de rescind. vend.* aliis tamen remediis læsus, vel deceptus reparare potest deceptionem; quia si permutatio vi, vel dolo facta sit, deceptus agere potest actione de dolo, vt rescindatur permutatio, sicuti expressè probat text. *in cap. cum vniuersorum de rer. permut.* ibi: *mandamus, quatenus si constiterit præfatum G. taliter fuisse deceptum, amoto à præbenda sua consanguineo ipsius*, &c. si verò deceptio enormis in hac permutatione intercesserit, quæ difficilè quidem probari potest, officio Iudicis Ecclesiastici intentari debet reparatio, quam ipse præstare tenetur cum in citato cap. cum vniuersorum dicatur, *Deceptis, & non decipientibus iura subueniunt.*

Cæterum, quæ dixi de beneficio, eadem dico 8
de pensionis constitutione; quia cum hæc moderata constituenda sit *cap. possessiones*, 16. *quæst.* 1. si valorem tertiæ partis beneficij, cui imponitur excedat, officio Iudicis retractari potest, & debet, Caccialup. *de pensionib. quæst.* 6. Gigas *quæst.* 9. & Marion. *leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *Gloss.* 7. *in fine.*





SECTIO XII.

An deceptus vltrà dimidium iusti pretij excludatur à beneficio leg. 2. Cod. de rescind. vendit. si renunciauerit Iuris remedio?

SVMMARIVM.

1. *Deceptus vltra dimidium non excluditur à beneficio l. 2. ex eo quod renunciauerit omni Iuris remedio; quia ex vi illius generalis renunciationis non præsumitur velle renunciare graui suo incommodo.*
2. *Deceptus vltra dimidium si specialiter, & expresse renunciauit l. 2. non gaudet eiusdem legis beneficio.*
3. *Quis bene potest renunciare beneficio, & Iuri in fauorem proprium introducto.*
4. *Renuncianti actionem suam non datur regressus.*
5. *Renunciatio prædictæ legis secundum aliquos debet fieri transacto tempore, post venditionem; nam si simul cum venditione fiat, satis probabile est nullius effectus esse.*
6. *Renunciatio prædicta in ipso etiam contractu facta sortitur effectum, sicut renunciatio etiam non numeratæ pecuniæ in eodem obligationis instrumento contenta prodest; quia nullo iure sunt irrita.*
7. *Renunciantes beneficio l. 2. si nolint vti eius remedio non censentur decepti.*
8. *Renunciatio facta à muliere beneficij Velleiani nullius est fructus, maxime si in eodem instrumento contineatur: id tamen procedit ob imbecillitatem mulieris, quæ creditur adducta ad renunciandum, sicut ad fideiubendum.*
9. *Renunciatio l. 2. non habet locum in fœminis, Rusticis, & minoribus, nisi ea fieret ex interuallo post venditionem, & maturo consilio.*
10. *Renunciatio generalis, qualis est illa de qua loquitur text. in l. finali §. item quæsitum ff. de condit. indebit., cum non extendatur ad incognita, & notiua, non impedit remedium l. 2.*

1 Suppono, deceptum vltra dimidium non excludi à beneficio dictæ *leg.* 2. ex eo quod generaliter renunciauerit omni iuris remedio, quo aduersus contractum venire possit; Doctores communiter, quos citat, & sequitur Tiraquell. *in leg. si vmquam Cod. de reuocan. donat. num.* 127. & Couar. 2. *variar. cap.* 4. *num.* 1. & probatur, quia ex vi illius generalis renunciationis non præsumitur velle renunciare graui suo incommodo, argumen. *leg. Mater decedens ff. de inoffic. testam. & leg. vlt. §. item quæsitum ff. de condit. indebit.*

Difficultas igitur est, si specialiter, & ex- 2
presse renunciauerit huic legi. Hoc supposito.

Respondetur affirmatiuè; atque ita habet communis sententia Doctorum, quam refert & sequitur Couarr. *loc. supra citat.* Padill. *in cit. leg.* 2. *num.* 42. Matien. *leg.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *collect. Gloss.* 8. *num.* 42. & Guttier. *par.* 1. *de iurament. cap.* 26. *num.* 2. contra Pinel. *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. *& seqq.*

Probatur; quia bene potest quis renunciare 3
beneficio, & Iuri in fauorem proprium introducto, *leg. penult. Cod. de pact.*

Confirmatur; quia renuncianti actionem 4
suam non datur regressus *leg. quæritur §. si venditor, ff. de ædilitio. edicto.*

Cæterum quidam tenent, oportere, vt 5
hanc renunciationem transacto tempore post venditionem præstes: nam si simul cum venditione renuncies beneficio dictæ *leg.* 2. satis probabile est, nullius effectus esse; ita Laurent. Calcan. *cons.* 25. *num.* 27. Ant. Gomez. 2. *variar. cap. num.* 26. Matien. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *Gloss.* 8. *num.* 43. testans, in forensibus iudiciis non admitti renunciationem huius *leg.* 2. in eodem venditionis instrumento contentam; & sequitur Molin. *tract.* 2. *disput.* 349. circa finem.

At contrarium (quod docet Couarr. 2. *va-* 6
riar. cap. 4. *num.* 4. subdens in tribunalibus sæpissime se vidisse proponi, dictas renunciationes inualidas esse, ex eo quod in eodem venditionis instrumento fuerint scriptæ, & refelli, Guttier. 1. *par. de iurament. cap.* 26. *num.* 3. & Padill. *in d. l.* 2. *num.* 42.) videtur mihi probabilius, & colligitur à simili ex *leg.* 9. *tit.* 1. *par.* 5. vbi renunciatio non numeratæ pecuniæ, etiam in eodem obligationis instrumento contenta prodest, & probatur ratione; quia in eodem instrumento, & simul cum venditionis contractu, fieri possunt hæ renunciationes maturo consilio, ergo cum nullo Iure inueniantur irritæ, censendæ sunt effectum habere.

Obiicies. lex. 2. *Cod. de rescind. vendit.* intendit fauere deceptis vltra dimidium iusti pretij, quem effectum non videtur obtinere posse, nisi prædictam renunciationem infirmaret; nam qua ratione vendens, vel emens inducitur ad contrahendum cum illa inæqualitate, eadem ratione induci potest ad hanc renunciationem faciendam.

Respondetur, *leg.* 2. satis prouidisse deceptis, cum actionem ipsis concedat ad rescindendum contractum, vel ad æqualitatem illum redigendum, si ipsi decepti sint, & velint vti dicta actione; At cum huic beneficio legis re- 7
nunciant, nec tali beneficio vti volunt, non sunt censendi decepti.


Instabis *ex leg. si mulier* 2. *Cod. ad Velleian.* 8
& ex leg. doli §. diuersum ff. de nouation. vbi cauetur, renunciationem factam à Muliere beneficij Velleiani nullius esse fructus, maximè, si in eodem instrumento continetur; quia præsumitur, non ex maturo iudicio, & voluntate contrahentium, sed ex stylo Tabellionum, vel inductione deceptoris appositam esse, vt colli-

gitur ex doctrina, quam tradit Tiraquell. *in repetit. leg. si vnquam. num.* 122. & Rebuff. *in coment. ad leges Gallicanas* 2. *tract. de rescisf. contract. vnic. Gloss.* 15. *num.* 20.

Respondetur, non admitti quidem in tali casu renunciationem Velleiani, ob imbecillitatem mulieris, quæ creditur adducta ad renunciandum, sicuti ad fideiubendum, ob
9 quam causam Couar. & Guttier. *in locis supra cit.* rectè censent renunciationē *leg.* 2. non habere locum in fæminis, rusticis, & minoribus, nisi ea renunciatio fieret ex interuallo post venditionem, & maturo consilio.

10 Vrgebis *ex leg. final.* §. *Item quæsitum ff. condict. indebiti*, vbi Scæuola ait: *Item quæsitum est, an pactum; quod in pactionibus scribi solet, in hunc modum, ex hoc contractu nullam inter se controuersiam amplius esse, impediat repetitionem? Respondeo, nihil proponitur impedire*, ergo hæc renunciatio non obstat actioni *leg.* 2. & forsan ob hanc causam *lex Regia* 56. *tit.* 5. *par.* 5. ad impediendam actionem dictæ *leg.* 2. iuramentum requisiuit, iudicans renunciationem simplicem sufficientem non esse.

Respondetur, *leg. final.* loqui de renunciatione generali, quæ cum non extendatur ad incognita, & nociua, non impedit remedium *leg.* 2. lex Regia vero definit, quod certius est, nimirum, iuramento apposito de non contrauueniendo contractui venditionis, non posse intentari actionem, non tamen negat, simplici renunciatione excludi.



SECTIO XIII.

An deceptus vltrà dimidium iusti pretij excludatur à beneficio dictæ leg. 2. Cod. de rescind. vendit. *si iurauerit se non contrauenturum contractui?*

SVMMARIVM.

1. *Deceptus vltra dimidium iusti pretij excluditur à beneficio l.* 2. *si iurauerit se non contrauenturum contractui contra nonnullos asserentes oppositum, ex eo quod sic iurans videatur inductus dolo ad iurandum, sicut inductus fuit dolo ad contrahendum.*
2. *Iuramentum seruari debet quotiescumque non tendit in detrimentum salutis animæ.*
3. *Amplia, id procedere etiam in fœmina, & rustico contractum sic iurantibus; licet secundum Facchineum peti possit dicti iuramenti relaxatio, quæ debet concedi.*
4. *Rescissio instrumenti iuramento firmati, quod libere, & absque vlla necessitate vel dolo præstitum fuit, peti, & concedi non debet.*
5. *Deceptus vltra dimidium si iurauerit licet excludatur à beneficio l.* 2. *potest tamen agere ad supplementum pretij; quia intentatio supplementi pretij, non videtur, esse derogatio contractus secundum aliquos Doctores, at non probatur Auctori, quia illa iusti pretij intentatio est tamen indirecta contrauentio contractui.*
6. *In contractu si sit enormissima læsio, quæ tunc censetur esse, cum est deceptio vltra duplum, vel triplum iusti pretij, neque renunciatione simplici, neque iuramento apposito impeditur actio concessa in dicta l.* 2. *quia æquiparatur dolo, &c.*



Espondetur, (etsi nonnulli Doctores, quos citat Couar. *de pract.* 3. *par.* §. 4. & Pinell. *in l.* 2. 3. *par. cap.* 1. negent ex eo quod sic iurans videtur inductus dolo ad iurandum, sicut inductus fuit dolo ad contrahendum; & forsan ob hanc rationem in Lusitania *lib.* 4. *ordinam. tit.* 30. §. *penult.* omnes hæ renunciationes irritantur, nisi institutæ fuerint ex facultate Regia) rectiùs affirmare Couar. Pinell. Padill. *num.* 32. Crauett. *conf.* 188. *num.* 3. Matien. *leg.* 1. *tit.* 11. *leg.* 5. *collect. Gloss.* 8. *num.* 45. Ant. Gabr. *lib.* 3. *commun. conclus.* 1. *de empt. & vendit. num.* 78. Fachin. *lib.* 2. *controu. cap.* 17. Guttier. *de iurament.* 1. *par. cap.* 26. *num.* 5. & alios. 1

Probatur; quia illud iuramentum continet tacitam renunciationem dictæ *leg.* 2. cum enim contractui, in quo deceperis vltra dimidium, contrauenire non possis, nisi remedio *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* iurans, non contrauenturum, iuras non vti dicto beneficio.

Confirmatur; quia iuramentum seruari debet quotiescumque non tendit in detrimentum salutis animæ, sed sine vllo huius salutis detrimento cessare potes ab vsu, & beneficio dictæ *leg.* 2 ergo, &c. 2

Et hoc, quod dixi, adeo verum est, vt procedat etiam in fœmina, & rustico, contractum sic iurantibus; quia per appositionem iuramenti censentur omnia considerare, & maturo consilio procedere, Crauett. *cit. conf.* 188. *num.* 21. Pinell. *citato cap.* 1. *num.* 6. Padill. *num.* 32. Guttier. *num.* 9. Ant. Gabr. *num.* 83. & Marien. *num.* 47. 3

Verùm, esto prædicti Doctores censeant, iuramentum seruandum esse, tamen plures, quos refert, & sequitur Facchin. *loc. cit.* censent, peti posse dicti iuramenti relaxationem, & concedi debere, ex eo quod iniuria extortum fuerit; qua relaxatione obtenta, locum habet beneficium dictæ *leg.* 2.

At oppositum, quod docent Couar. Guttier. & alij, absolutè docentes, agi non posse ad rescindendum contractum iuramento firmatum, videtur mihi probabilius. 4

Probatur; quia eo ipso, quod liberè, & absque vlla necessitate, vel dolo inductus iuras, non contrauenire contractui, excludis omnem deceptionem, dolum, & iniustitiam, quæ in ipso contractu interuenire posset; si quidem vis cedere beneficio dictæ *leg.* 2. & remittere


incrementum, vel decrementum iusti pretij, ergo.

Confirmatur; quia, renunciatione simplici apposita, non potes agere ad rescindendum contractum, vel ad supplendum pretium ergo multo minus poteris agere, ea renunciatione iuramento firmata, vt bene probat Comer. 2. *variar. cap.* 2. *num.* 25. & Molin. *lib.* 2. *de primogen. cap.* 3. *num.* 18.

5 Cæterum hanc communem sententiam intelligunt quidam, vt Bald. *ad leg. quæ sub conditione §.* 1. *ff. de conditionib. institut.* Felin. *in cap. inter cæteras, de rescriptis*, & alij apud Pinell. & Couar. *loc. supra cit.* vt iuramentum hoc in casu nostro operetur, ne contractus rescindatur, non tamen operari, vt iurans agere non possit ad supplementum pretij: quia intentatio supplementi pretij non videtur esse derogatio contractus.

At doctrina hæc sic limitans nullatenus admitti debet, vt rectè adnotauit Pinell. *dicta leg.* 2. *par.* 3. *cap.* 1. *num.* 5. Padill. *num.* 32. Couar. 2. *var. cap.* 4. *num.* 3. Facchin. *citato cap.* 17. Guttier. 1. *par. cap.* 26. *num.* 6. & Matien. *cit. Gloss.* 8. *num.* 46. quia illa iusti pretij intentatio, esto non sit directa contraventio contractui, est tamen indirecta: satis enim contrauenis contractui, si contractum intendas reducere ad æqualitatem; aliàs minor iurans stare contractui, licet rescissionem illius petere impediatur ob iuramentum, posset tamen intentare vt sibi interesse damni, quod ex obseruatione iuramenti prouenit, reparetur; quod est maximum absurdum.

6 Si verò in contractu sit enormissima læsio, quæ tunc censetur esse, cum est deceptio vltra duplum, vel triplum iusti pretij, neque renunciatione simplici, neque iuramento apposito impeditur actio concessa in dicta *leg.* 2. Couar. 2. *variar. cap.* 4. *num.* 6. *& de pactis* 3. *par.* 8. 4. *num.* 5. Padill. *in dicta leg.* 2. *num.* 43. Matien. *leg.* 1. *Gloss.* 8. *num.* 48. Guttier. *part.* 1. *de iurament. cap.* 26. *num.* 7. & Molin. *lib.* 2. *de primogen. cap.* 3. *num.* 18. (quidquid in contrarium dixerit Pinell. *cit. cap.* 1. *num.* 1.) quia huic enormissimæ læsioni numquam censetur quis renunciare; ideoque æquiparatur dolo, qui causa est contractus, *leg. si superstite Cod. de dolo.*



SECTIO XIV.

An deceptus vltrà dimidium iusti pretij excludatur à beneficio dictæ leg. 2. Cod. de rescind. vendit. si absque vi, fraude, vel necessitate inductus incrementum donet, vel decrementum remittat?

SVMMARIVM.

1. *Deceptus vltra dimidium excluditur à beneficio dict. l. 2. si absque vi, fraude, vel necessitate incrementum donet; vel decrementum remittat.*
2. *Incrementi, vel decrementi donatio præsumitur si venditionis quis adderet clausulam, si quid pluris valet res dono, tametsi res vendita fuerit intra dimidium iusti pretij, maxime si rei valorem venditor cognoscat.*
3. *Notarius non potest apponere in instrumento clausulam aliquam, quæ praiudicet nisi ex voluntate, & consensu contrahentium.*
4. *Donatio in venditione vltra dimidium iusti pretij non præsumitur licet apposita fuerit illa clausula, & quod plus est dono: quia ex sui natura refertur tantum ad modicum; & licet ob modicam læsionem non detur actio; datur tamen in foro conscientiæ obligatio, quam illa clausula, si ex animo donandi, est apposita, dissoluit.*
5. *Venditor, si faciat contractum ea clausula adiecta ex certa scientia, & nullo errore ductus donet si quid pluris res valet, non excluditur à beneficio l. 2. si læsio fuerit vltrà dimidium iusti pretij.*
6. *Clausula, & quod plus est dono, tantum refertur ad modicum etiam apposita illa alia clausula, ex certa scientia; tametsi communis sententia sit in oppositum.*
7. *Quantitas quæ dicatur modica in casu, de quo agitur remittitur Iudicis arbitrio.*



Respondetur affirmatiuè; & in hoc conueniunt Doctores. 1

Difficultas est, ex quibus verbis hæc donatio præsumatur?

Quidam, vt Imola, Roman, & Ferrett. *in leg. si quis cum aliter ff. de verbor. obligat.* putant, præsumi ex eo tantùm, quod venditioni quis adderet clausulam; *si quid pluris valet res dono*, tametsi res vendita fuerit intrà dimidium iusti pretij: mouentur ex eo quia talis clausula debet habere aliquem effectum, *leg. si quando ff. de legat. primò*, & tradit Gloss. *in leg.* 1. *ff. de eo quod metus causa*; sed non habet remissionem modicæ læsionis, & intrà dimidium iusti pretij, nam hæc remissio iure ipso inducitur ne ex illa læsione detur actio, ergo habere debet effectum remittendi læsionem vltrà dimidium. 2

Quod esse verissimum in casu, quo rei valorem venditor agnoscat, censent complures Doctores, quos refert, & sequitur Tiraquel. *de retract. consanguineis*, §. 1. *Gloss.* 18. *num.* 14. Boer. *quæst.* 141. *num.* 3. & Menoch. *de arbitr. cas.* 144. *num.* 2. nam cum supponamus, venditorem posse omnem illam quantitatem donare, etiam si sit vltrà dimidium, non est cur negemus donatam esse: quod enim inquit Angel. *in leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* & ibi Cagnol. *num.* 126. Tiraquell. *Gloss.* 18. *num.* 15. & Rubeus *consil.* 12 *num.* 3. prædictam clausulam censendam esse appositam ex stylo Tabellionum, & non ex voluntate venditoris, admitti non debet; quia (vt rectè probat Menoch. *citato cas.* 144. *num.* 6. *& seqq.*) Notarius non potest apponere in instrumento clausulam aliquam, quæ præiudicet, nisi ex voluntate, & consensu contrahentium, vt explicuit Bald. *in rubr. Cod. de fid. instrument. num.* 3

in l. & [illegible] errore *Cod. de testament.* & Decius *cons. 450. num. 3. & consil. 639. num. 9. & consil. 653. num. 6.*

At, cum suprà dixerimus, non impediri
4 re[illegible] in *leg. 2. Cod. de rescind. vendit.* (ex eo, quod venditor, vel emptor pretium agnouerint, si de facto læsi fuerint vltra dimidium, quia possunt ex necessitate, leuitate, vel alia causa, quam ex liberalitate, & animo donandi, moueri [illegible] fit, vt dicamus, ex illa clausula, *& quod plus est dono*, non esse præsumendum in venditione donatum excessum, qui est vltrà dimidium iusti pretij, Bart. *in dicta leg. 2. num. 15.* Bald. *ibidem num. 10.* Cagnol. *num. 129.* Pinell. *1. par. cap. 7. num. 10.* Facchin. *lib. 2. controuers. cap. 19.* Boer *quæst. 142. num. 7. & 8.* & Menoch. *dicto casu 144 num. 13.*


Probatur; quia illa clausula, *& quod plus est, dono*, ex sui natura refertur tantum ad modicum, *leg. hæc adiectio ff. de verbor. significat*; & licet ob modicam læsionem non detur actio tamen datur in foro conscientiæ obligatio, quam illa clausula, si ex animo donandi est apposita, dissoluit; per quæ patet ad fundamentum prioris sententiæ.

5 Hinc infertur, venditorem (si faciat contractum, ea clausula adiecta ex certa scientia, & nullo errore ductus donet si quid pluris res valet) non excludi à beneficio *leg. 2.* si læsio fuerit vltrà dimidium iusti pretij; quia illa clausula solùm ostendit, quod ipsam apponens conscius sit, rem venditam pluris valere; sed an tantus sit excessus, vt sit vltrà dimidium pretij, velitque illud emptori donare, non exprimit; Et esto significet, opponentem illam clausulam conscium esse valoris rei, velleque donare emptori excessum, spectandum est; An aliqua necessitate, leuitate, vel fraude ad eam donationem faciendam ducatur, ob quam donatio effectum non habet. Per se autem illa
6 clausula, *& quod plus est dono*, tantum refertur ad modicum, etiam apposita illa alia clausula, *ex certa scientia*, Cagnol. *in dicta leg. 2. num. 129.* Pinell. *1. par. cap. 2. num. 15.* & Fachin. *lib. 1. controuers. cap. 19. controuer. 4.* tametsi communis sententia sit in oppositum, provt refert ipse Facchin. & Menoch. *dicto casu 144.*

Petes: quænam quantitas sub hoc modico comprehendatur?

7 Respondetur cum Salicet. *in l. 2. quæst. 7.* Cagnol. *n. 129.* Menoch. *de arbitrar. casu 144. n. 12. & casu 145. n. 4.* id Iudicis arbitrio remittendum esse: Quod arbitrium in præsenti mihi non improbatur, vt ad sextam partem extendi possit, provt resoluit Franc. Conan. *lib. 7. comment. Iuris cap. 9. num. 11.*





SECTIO XV.

An, si quis rem valentem centum vendat 38. addita illa clausula, & quod plus est, dono, *vti possit beneficio dicta l. 2.*

SVMMARIVM.

1. *Si quis rem valentem centum, vendat 38. addita illa clausula, & quod plus est, dono, secundum aliquos vti non potest beneficio l. 2. probabilius tamen est oppositum.*
2. *Clausula & si quid pluris res valet, totum illud quantumcumque est dono, & remitto Emptori, facit cessare beneficium d. l. 2. si vere ex animo donandi absque vlla fraude, dolo, & necessitate vrgente, ea verba venditor protulerit.*
3. *Verba vniuersalia totum illud quantumcumque est, quamlibet læsionem, modo non sit enormissima, comprehendunt.*
4. *Verborum geminatio, seu geminatus consensus in venditione non facit cessare beneficium l. 2. contra nonnullos Doctores tenentes oppositum.*
5. *Verborum geminatio solum indicat maiori cum libertate, & maiori consilio venditionem factam esse; sed nullo modo extendit dispositionem, aut infert læsionis remissionem.*

Respondetur (etsi Alex. & Ias. *in l. si quis cum aliter, num. 17. ff. de verbor. obligat.* Cagnol. *in dicta l. 2. num. 129.* & Menoch. *dicto casu 148, num. 12.* negent, eò quòd per illam clausulam aliquid, etsi modicum, donatur emptori, quo deducto cessat læsio vltra dimidium) probabilius esse oppositum, nempe nihil esse deducendum, cúm læsio est vltra dimidium; quia adiiciens illam clausulam intendit donare, si quid plus est modicum; Cum autem læsio contingit vltra dimidium iusti prætij, non est plus modicum, sed plus magnum; ergo non est censendus velle illud, vel illius partem donare, Alciat. *in dicta l. 2. p. 1. cap. 2. num. 21.* Pinell. *loco suprà cit.* & Facchin. *lib. 2. controuer. cap. 19.* 1

Petes, quid dicendum, si venditio instituatur sub clausula vniuersaliori; nempe si dicatur: *etsi quid pluris res valet, totum illud, quantumcumque est, dono, & remitto Emptori?* 2


Respondetur, in tali casu cessare beneficium *d. l. 2.* si verè ex animo donandi absque vlla fraude, dolo, & necessitate vrgente ea verba venditor protulerit; Atque ità contra *Pinell. in d. l. 2. par. 3. cap. 2. num. 22.* & Rebuff. *de rescissi. contract. Gloss. 15. num. 20.* docent Sali-

cet. Bald. & Castr. *in d. l.* 2. Cagnol. *num.* 130. Boet. *decis.* 142. *num,* 10. Menoch. *de Arbitrar. casu* 144. *num.* 15. & Facchin. *cit. cap.* 19. *controuers.* 3. & alij communiter

3 Respondetur, quia illa verba vniuersalia, *totum illud, quantumcumque est,* quamlibet læsionem, modo non sit enormissima, comprehendunt, *argument. l.* 1. §. *generaliter ff. de legatis præstandis, & l. Iulianus ff. de legat.* 3.

Petes secundò, quid dicendum, si in venditione intercedat geminatus consensus?

4 Respondetur (Etsi Abb. *cons.* 70. *in* 2. *dub. lib.* 1. *dec. cons.* 216. & Couarr. 3. *part. de pactis vers.* 8. *conclusio,* & Facchin. *lib.* 2. *controuers. cap.* 21. *circa finem* sentiant, in tali casu cessare beneficium *d. legis* 2. quia videtur esse animus in ea venditione perseuerandi, quæcumque læsio sit; alias verborum geminatio nullum effectum haberet; quod est contra receptam doctrinam de efficacia geminationis) probabilius esse oppositum, scilicet ob consensum geminatum, seu iteratum non cessare actionem concessam *in d. l* 2.; quia gemina-
5 tio verborum, & iterata expressio consensus solum indicant maiori cum libertate, & maiori consilio venditionem factam esse, sed nullo modo extendunt dispositionem, aut inferunt læsionis remissionem.



SETCIO XVI.

An perempta re vendita apud Emptorem, qui infra dimidium iusti pretij emit, cesset actio in venditore, vt non possit agere ad supplementum pretij?

SVMMARIVM.

1. *Beneficium l.* 2. *cessat probabilius in venditore perempta re vendita apud Emptorem, qui infra dimidium iusti pretij emit: quidquid dicant alij in oppositum.*
2. *In dotis causa re perempta non potest mulier agere contra maritum vt iusta æstimatio sibi concedatur.*
3. *Debitor liberatur à quantitatis solutione, quotiescumque quantitas debetur ratione certæ speciei, ea specie perempta.*
4. *Hæc tamen communis sententia intelligitur, cùm res infra dimidium iusti pretij bona fide empta fuit, & casu fortuito periit, vel titulo lucratiuo est alienata; secus si conscius iniustæ læsionis rem emerit, & casu fortuito perierit, solum enim in foro conscientiæ tenetur iustam reddere æstimationem.*
5. *Actio in foro externo non conceditur ex d. l.* 2. *C. de rescind. vendit. quia re perempta, periit optio rescindendi contractum, vel supplendi pretium, quam lædens habet.*
6. *Emptor ipse si consumpsit, & alienauit, agi potest aduersus ipsum vt reddat supplementum pretij.*
7. *Emptor si rem emptam etiam bona fide infra dimidium iusti pretij, consumpsit, vel titulo oneroso alienauit, agi potest aduersus ipsum vt reddat Venditori id in quo factus fuerit ditior.*
8. *Idem ferè dicendum est in Emptore læso infra dimidium iusti pretij rem emente, si mala fide venditoris deceptus fuit, quinimo licet bona fide venditio facta sit, agi potest aduersus ipsum, vt iustum pretium suppleat nisi bona fide consumpserit, nec ditior factus fuerit.*
9. *Actio, re perempta, spectato iure Regio non admittitur in foro externo aduersus Venditorem etiam malæ fidei cum res periit, vel alienata est ante litis contestationem; nam post continuabitur instantia, & causa.*



Qvidam, vt Abb. *in cap. cum dilecti num.* 10. *de empt. & vendit.* Ripa *in l. quod te. num.* 11. *ff. si certum petatur,* Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 27. *num.* 10. *in fin.* & alij negant, ex eo quia emptor obligatus est, vel rescindere contractum, reddendo rem venditori, & pretium accipiendo, vel contractum ad æqualitatem reducere supplendo pretium: ergo deficiente potestate rescindendi contractum, non propterea excusatur ab obligatione reducendi contractum ad æqualitatem, cum vtraque obligatione obstrictus sit; neque par est, vt infortunium Emptoris in damnum venditoris iniustè læsi cedat; His tamen non obstantibus. 1

Respondetur, contrarium esse probabilius, scilicet in tali casu cessare actionem *d. l.* 2. quod docent Gloss. Barth. Bald. Salicet. & alij *in cit. l.* 2. vbi etiam Cagnol. *num.* 115. Pinell. 2. *part. cap.* 1. *num.* 36. Tiraquell. *lib.* 1. *de retract. num.* 70. *circa finem.* Couarr. 2. *var. cap.* 4. *ad fin.* Gometz. 2. *var. cap.* 2. *num.* 22. Gregor. Lopez. *l.* 56. *tit.* 5. *part.* 5. Matien. *l.* 1. *Gloss* 8. *num.* 26. *tit.* 11 *lib.* 5. *Collect.* & ibi Acebedo. *num.* 26. Guttier. *lib.* 2. *pract. quæst,* 136. Facchin. *lib.* 2. *cap.* 18. & Molina *tract.* 2. *disp.* 349. §. *quando casu,* & alij passim.

Probatur ex lege *si res æstimata* §. 1. *ff. de Iure Dotium,* vbi habetur: si mulier in æstimationis modo circumuenta est, erit arbitrium Mariti, vtrum iustam æstimationem, an potius seruum præstet, & hæc si seruus viuit; Quod si decesserit, Marcellus ait, magis æstimationem præstandam, sed non iustam, sed eam, quæ facta est. Quia boni consulere mulier debuit, quod æstimatus fuit; ergo si in causa dotis, re perempta, non potest mulier agere aduersus Maritum, vt iusta æstimatio sibi concedatur, multò minùs poterit venditor aduersus Emptorem. Idem habetur *Regia leg.* 56. *tit.* 5. *par.* 5. 2

Secundò probatur ratione; Quia supplementum pretij debet emptor, ratione rei peremptæ: sed quoties quantitas debetur ratione certæ speciei, ea specie perempta, liberatur debitor 3

à quantitatis solutione, *l.* 1. *§. finali ff. si cui plus quam per leg. Falc. & leg. Titia testores §. vlt. ff. de legat.* 1. *& l. si communis seruus. vers. ex his ff. de furtis*; *ergo*.

4 Hæc tamen communis sententia intelligitur, cum res infra dimidiū iusti pretij bona fide empta fuit & casu fortuito periit, vel titulo lucratiuo est alienata, Quia eo casu, cum supplementū pretij teneatur emptor restituere, non ratione iniustæ acceptionis, sed ratione rei acceptæ, & hæc apud ipsum non extet, etiam æquiualenter, mirum non est, quod nulla obligatione astringatur, etiam in foro conscientiæ. Sed si conscius iniustæ læsionis rem emerit, & casu fortuito perierit, solùm in foro conscientiæ tenetur iustam reddere æstimationem venditori decepto; quia ea obligatio non solùm oritur ratione rei emptæ, sed etiam ratione iniustæ emptionis.

5 In foro tamen externo non conceditur actio ex *d. leg.* 2. *C. de rescind. vendit.* quia, re perempta, periit optio rescindendi contractum, vel supplendi pretium, quam lædens habet, & consequenter cessat actio, quæ ex dicta lege nascitur, sibique læsus imputare debet, quod conuenienti tempore non reclamauerit. Non nego tamen, agi posse denunciatione, vt bene dixit Acebedo *d. l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *num.* 26. *in fin. & l.* 10. *tit.* 1. *lib.* 4.


6 Dixi, *casu fortuito* quia si ipse Emptor consumpsit, vel alienauit, potest agi aduersus ipsum, vt reddat supplementum pretij.

Neque obstat, quod non possit habere actionem rescindendi contractum, vel supplendi pretium; quia id sibi debet imputare, vt bene aduertit Acebedo *d. l.* 1. *num.* 26. Molin. *disp.* 349. *§. si res.* Gomez *cap.* 2. *num.* 22. & Salas *cap.* 27. *num.* 9.

7 Si autem rem emptam, etiam bona fide infra dimidium iusti pretij, emptor consumpsit, vel titulo oneroso alienauit, agi potest aduersus ipsum, vt reddat venditori id, in quo factus fuerit ditior, Couarr. *cit. cap.* 4. *ad fin.* Pinell. *cap.* 1. *num.* 38. Matien. *Gloss.* 8. *num.* 31. Molina *disp.* 349. §. *quando*, Guttier. *cit. quæst.* 136. *in fin.* & Facchin. *cit. cap.* 18. *in fine*

8 Idem fere dicendum est in emptore læso infra dimidium iusti pretij rem emente, si mala fide venditoris (vt semper præsumitur) deceptus fuit, posse nimirum aduersus venditorem, etiam res fortuito perempta, agere, vt sibi excessus iusti pretij restituatur; quia par non est, vt venditor iactura Emptoris locupletetur. Quinimò esto bona fide venditio facta sit, agi potest aduersus ipsum, vt iustum pretium suppleat, nisi bona fide consumpserit, nec ditior factus fuerit, quia stante illo pretio, venditor iam habet in suis bonis amplius, quod habere debet; ergo læsionem Emptori compensare tenetur, vt in terminis iuris communis docet Couarr. 2. *var. cap.* 4. *num.* 14. Pinell. *cit. l.* 2. *p.* 2. *cap.* 1. *num.* 39. Guttier. *lib.* 2. *qq. pract. quæst.* 137. & Mathien. *d. l.* 1. *Gloss.* 8. *num.* 33.

9 Fateor tamen, spectato Iure Regio *d. legis* 16. *tit.* 5. *part.* 5. non admitti actionem in foro externo aduersus venditorem, etiam malæ fidei, re perempta, vel alienata, quia cum venditor compellatur solum *ex d. l.* 2. ad rescindendum contractum, vel reddendum excessum pretij, provt sibi magis placuerit; & contractus rescissio sit impossibilis, cuius impossibilitatis ipse causa non fuit, ius positiuum noluit, quod ad supplendum pretium obstringeretur, sed sibi imputet Emptor, quod tempore conuenienti actionem non intentauerit, Gomez. *loco supra cit.* Guttier. *cit. quæst.* 137. Molina, & Mathien vbi supra is quod intellige, cum res periit, vel alienata est ante litis contestationem; Nam post continuabitur instantia, & causa, ac si res non fuisset perempta, Mathien. *num.* 34. Guttier. *cit. quæst.* 137. & Salas *cap.* 27. *num.* 10.



SECTIO XVII.

An venditor possit agere aduersus Tertium Possessorem, in quem res vendita alienata est?

SVMMARIVM.

1. *Actio non datur aduersus tertium Possessorem, qui rem titulo oneroso, & pretio iusto accepit, si ignarus fuit vitij prioris contractus, & primus Emptor est soluendo.*
2. *Actio datur aduersus tertium possessorem si conscius fuit fraudis à primo Emptore commissæ reddique illum impotentem ex ea alienatione ad satisfaciendum primo venditori; quia suscipit in se obligationem primi Emptoris ob fraudem, quam committit, & praeiudicium, quod primo venditori infert.*
3. *Actio non datur aduersus tertium possessorem, si conscius fraudis commissæ credit primum Emptorem potentem esse primo venditori satisfaciendi; quia non possedit rem mala fide.*
4. *Actio conceditur aduersus tertium possessorem in subsidium secundi, qui vel soluendo non est, vel non potest conueniri à primo possessore, quidquid in contrarium dicant alij.*
5. *Textus in l. in causa* 14. *§. fin. ff. de minoribus, conuincit solum minorem restituendum esse aduersus tertium possessorem, si tertius ille possessor rem emerit sciens minorem esse læsum, primumque Emptorem soluendo non esse; non tamen probat dari actionem aduersus possessorem ignarum huius impotentiæ titulo lucratiuo, vel iniusto possidentem.*
6. *Obligatio orta ex contractu personalis est non vicumque sed in rem scriptam, ideoque ad tertium possessorem deriuatur.*
7. *Creditori negatur actio aduersus Donatarium, & possessorem rei sui debitoris, directa tamen, & non subsidiaria, & in defectum donantis debitoris.*

8. *Actio non datur in contractibus emptionis iusto pretio, nisi emens mala fide processerit, & vendens soluendo non sit; secus si iniusto pretio empta secundò res fuerit, & eodem vitio iniustitiæ laborauerit, vel contractu lucratiuo acquisita fuerit.*

1 Suppono, aduersus Tertium possessorem, qui rem titulo oneroso, & pretio iusto accepit, non dari actionem, si ignarus fuit vitij prioris contractus, & primus Emptor est soluendo, Gloss. Bart. Bald. *in d. l.* 2. & ibi Padilla *num.* 39. Tiraquell. *in l. si vnquam verbo. reuertatur, num.* 271. Couuar. 2. *var. cap.* 3. *num.* 10. Mathien. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *num.* 24. & Molina *disp.* 349. §. *si res.*

Difficultas igitur est, cum primus Emptor non est soluendo, & rem alienauit titulo lucratiuo, vel, si alienauit titulo oneroso, secundus Emptor conscius fuit fraudis à primò Emptore commissæ, vel denique eius emptio eodem vitio laborauit: In quo casu conueniunt Doctores concedi actionem aduersus
2 tertium possessorem, si conscius fuit fraudis à primo Emptore commissæ, reddique illum impotentem ex ea alienatione ad satisfaciendum primo venditori; Quia suscipit in se obligationem primi Emptoris ob fraudem, quam committit, & præiudicium, quod primo venditori infert.

3 At, si conscius fraudis commissæ credit primum Emptorem potentem esse primo venditori satisfaciendi, non videtur subiectus, vt contra ipsum agi possit; quia non possedit rem mala fide, vt rectè dixit Salas *tract. de empt. & vindict. cap.* 27 *num.* 9. nam si, cum emit rem iusto pretio ignarus fraudis in priori contractu commissæ, non datur actio aduersus ipsum, vt ex communi tradunt Matien. Molin. & Salas *in locis supra cit.* ita nec dari debet actio, cum credit secundum possessorem ex illa alienatione non reddi impotentem ad satisfaciendum primo, qui in vtroque casu licitè emit.

Verum, si ignarus tertius Possessor fraudis, & impotentiæ secundi venditoris ad satisfaciendum primo, titulo lucratiuo, vel titulo iniusto eodem vitio læsionis infra dimidium laborante, rem acceperit?

4 Quidam, vt Pinell. *in cit. l.* 2. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 32. & Facchin. *lib.* 2. *controuers. cap.* 28. negant, primum venditorem agere posse aduersus hunc tertium Possessorem. Nihilominùs.

Respondetur probabilius esse oppositum, quód habet communis sententia, quam refert, & sequitur Tiraquell. *loco supra cit. num.* 271. Couarr. 2. *var. cap.* 3. *num.* 10. Matien. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *Gloss.* 8. *num.* 24. Menoch. *cons.* 63. *num.* 12. *lib.* 1. Molina & Salas *in locis supra citatis* affirmantes, concedi actionem aduersus tertium possessorem in subsidium secundi qui vel soluendo non est, vel non potest conueniri à primo possessore.

Probatur ab ipsis argum. textus, *in l. in causa* 14. §. *fin. ff. de minoribus.*

5 Sed hæc ratio non conuincit; Quia textus solum inquit, minorem restituendum esse aduersus tertium possessorem, si tertius ille possessor rem emerit sciens minorem esse læsum, primumque emptorem soluendo non esse, non tamen probat, dari actionem aduersus tertium possessorem ignarum huius impotentiæ titulo lucratiuo, vel iniusto possidentem; Quapropter.

Probatur secundò ratione; Quia cum tertius possessor rem possidet ex contractu eodem vitio iniustitiæ laborante, secundus possessor habet actionem aduersus ipsum vt per se patet, ergo illa actio cedit in commodú prioris venditoris, cum ipse secundus possessor teneatur in satisfactionem prioris contractus secundum rescindere, vel supplementum pretij recuperare. Si verò in tertium possessorem titulo lucratiuo translata res est, par videtur, vt rescindatur illa alienatio, vtpote facta in fraudem primi possessoris, sicuti rescinduntur alienata in fraudem Creditorum.

Obiicies. Obligatio orta ex contractu personalis est, *l. dolus C. de rescind. vendit.* Ergo non potest deriuari in tertium possessorem, *iuxtà l.* 1. §. *si hæres ff. ad Trebell.* 6

Respondetur concedo, esse actionem non vt cumque, sed in rem scriptam; Ideoque ad tertium possessorem deriuatur, sicuti restitutio in integrum, & condictio indebiti.

Obiicies secundò argum. *l. æris alien C. de donationibus*, vbi creditori negatur actio aduersus Donatarium, & possessorem rei sui debitoris; neque ibi distinguitur, an debitor fuerit soluendo, nec ne. 7

Respondetur: esto ibi non exprimatur, an donans fuerit soluendo nec ne, supponi debet ex aliis Iuribus; vel dic, negari actionem in donatarium directam, sed non subsidiariam, & in defectum donantis debitoris.

Obiicies tertiò, *ex l.* 1. & 3. *C. si vendito pignore agatur*, vbi deciditur, aduersus tertium possessorem agi tantum posse, cum mala fide emerit, & is qui conueniri poterat, soluendo non est; Ergo cessante mala fide conueniri non poterit.

Respondetur: In contractibus emptionis iusto pretio, verum esse non dari vllam actionem, nisi emens mala fide processerit, & vendens soluendo non sit. Secus, si iniusto pretio empta secundò res fuerit, & eodem vitio iniustitiæ laborauerit, vel contractu lucratiuo acquisita fuerit ab eo, qui soluendo non est. 8



SECTIO



SECTIO XVIII.

An Agenti remedio dictæ legis secundæ obstet exceptio melioramentorum?

SVMMARIVM.

1. *Emptor si infra dimidium iusti pretij rem emptam meliorauerit, cum venditor aduersus ipsum agit remedio dicta l. 2. potest obiicere vt prius melioramenta soluat, contra nonnullos.*
2. *Emptor conuentus obiicere potest melioramenta, & sumptus necessarios; & vtiles, & exigere vt sibi prius soluantur, quam illa actio intentetur*
3. *Minor restitutus aduersus venditionem prædij à Curatoribus factam, cogitur sumptus necessarios, & vtiles emptori restituere.*
4. *Bonæ fidei Possessori non obest læsio vltra dimidiam.*
5. *Possidenti bona fide restitui debent sumptus, & melioramenta, si res ab eo extrahatur.*
6. *Melioramentorum exceptio ad effectum, de quo agitur non dicitur superflua, & cur.*




Verbi gratia; An si emptor infra dimidium iusti pretij rem emptam meliorauit; cum venditor aduersus ipsum agit remedio *dictæ legis* 2. possit ipsi obiicere, vt prius melioramenta soluat?

1 Respondetur (licet nonnulli, vt Salicet. *in dicta l.* 2. negent) dicendum esse oppositum, quod docent Baldus *in dicta l.* 2. & Cagnol. *ibidem, num.* 155. Pinell. 2. *p. cap.* 3.
2 *num.* 2. Fachin. *lib.* 2. *cap.* 20. *in princ.* & alij apud ipsos, quatenus asserunt, emptorem conuentum obiicere posse melioramenta, & sumptus necessarios, & vtiles, & exigere, vt sibi prius soluantur, quam illa actio intentetur.

3 Respondetur, Argum. *l. intra vtile §. vltimo ff. de minor.* vbi minor restitutus aduersus venditionem prædij à Curatoribus factam, cogitur sumptus necessarios, & vtiles emptori restituere.

Secundò probatur ratione: quia talis emptor bona fide possidet, cum possideat ex legitimo, & valido contractu, licet rescindendo, *l. bonæ*
4 *fidei ff. de verbor. significat.* cui bonæ fidei non obest læsio vltra dimidium, sicuti probat
5 Textus *in l. si superstite C. de dolo*; sed possidenti bona fide restitui debent sumptus, & melioramenta, si res ab eo extrahatur, *l. in fundo ff. de rei vindicat l. domum C. eodem titulo, & l. si prædium C. de prædiis minorum.*
6 Obiicies ex Saliceto superflua videtur hæc exceptio; cum liberum illi sit pretium supplere, si rem retinere velit.

Respondetur concedo, superfluam fore hanc exceptionem melioramentorum, & sumptuum, si emptori concessum solùm esset, supplere pretium, in quo venditor læsus fuit; At quia ipsi permissum est, rem venditam restituere, rescisso contractu sumptus, & melioramenta facta obiicere, & exigere potest, vt sibi priùs soluantur, quibus solutis, & accepto pretio dato, restituere rem emptam possit.




SETCIO XIX.

Qualiter Agenti remedio legis 2. satisfaciendum sit?

SVMMARIVM.


1. *Venditori agenti beneficio l. 2. satisfaciet emptor conuentus tàm rescissione contractus, quàm pretij supplemento, prout sibi magis placuerit.*
2. *Emptor si eligat pretium supplere debet supplere totum illud, in quo venditor fuit deceptus, neque satisfaciet si restituat eam quantitatem, per quam cessaret læsio vltra dimidium iusti pretij.*
3. *Emptor si aduersus venditorem ageret, eo quòd rem valentem* 10. *emerit* 16. *non satisfaciet venditor reddens vnum nummum, per quem excluditur læsio vltra dimidium; sed necessariò restituenda est omnis illa quantitas, in qua deceptio contingit.*
4. *Lucrum pretij defraudati, quod licitè censu empto læsus habere potest: an sit restituendum pendet ex quæstione proximè sequenti cum eadem ratio militet, imo à fortiori.*



Respondetur venditori agenti beneficio *legis* 2. satisfaciet emptor conuentus, tàm rescissione contractus, quàm pretij supplemento, prout sibi magis placuerit; *citata l.* 2. *& l. si voluntate C. de rescindenda venditione*, si eligat emptor pretium supplere, debet supplere totum illud, in quo venditor fuit deceptus, nec satisfaciet, si restituat eam quantitatem, per quam cessaret læsio vltra dimidium iusti pretij. Idem dicendum, quod scilicet, si emptor aduersus venditorem ageret, eò quòd rem valentem 10. emerit 16. non satisfaciet venditor reddens vnum nummum, per quem excluditur læsio vltra dimidium, sed necessariò restituenda est omnis illa quantitas, in qua deceptio contingit, Doctores quos citat, & sequitur Gomez. 2. *var. cap.* 2. *num.* 22. 1 2 3

An autem teneatur restituere lucrum pretij defraudati, quod licitè, censu empto, læsus habere posset? 4

Respondetur quoad forum exterius, decisio pendet ex quæstione mox infra examinanda, An scilicet rescisso contractu, & re empta restituta, restitui debeant fructus ex illa percepti: nam qui negant, esse restituendos, à fortiori id ipsum negabunt de lucro pretij, vt videre est apud Guttier. *lib. 2. pract. quæst. 135. in fin.* Qui verò affirmant, esse restituendos, regulariter id ipsum affirmabunt de lucro pretij, vt videre est apud Lopez *l. 56. Gloss. 5. vers. similiter titulo 5. p. 5.* & Matien. *l. 1. Gloss. 5. num 15. tit. 11. lib. 5. nouæ compilat.*



SECTIO XX.

An, si Emptor conuentus eligat rescindere contractum, & restituere rem emptam, debeat restituere illam cum fructibus ex illa perceptis?

SVMMARIVM.

1. *Emptor conuentus si eligat rescindere contractum & restituere rem emptam, non debet restituere illam cum fructibus ex illa perceptis secundum probabiliorem: quidquid in oppositum alij dixerint.*
2. *Res Ecclesiæ in cap. ad nostram, de reb. Eccles. quia alienata infra dimidium iusti pretij, ideo restituitur; fructus tamen non restituuntur; sed relinquuntur possessori.*
3. *Fructus restituendi obligatio non exprimitur in legibus concedentibus venditori læso: vt ad contractus rescißionem, vel ad pretij supplementum agat; nulloque nititur fundamento.*
4. *Poßidens rem bona fide, titulo legitimo poßidet; neque est in mora ante litem contestatam.*
5. *Textus in l. 1. C. si maior factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit, vbi dicitur in arbitrio venditoris læsi esse, an velit restituere poßeßionem cum fructibus; declaratur; quod non officiat in casu de quo agitur; quia conceditur emptori optio eligendi pretij supplementum, vel rei cum fructibus restitutionem ob ratificationem appositam; alias enim compelleretur præcisè ad restitutionem prædij cum suis fructibus accepti; quia*
6. *contractus minoris absque decreto Iudicis nullus est.*
7. *Res vna cum fructibus perceptis vt restituatur rescissa venditione, non solùm requiritur quod rescissa sit ex causa quæ tempore contractus inerat; sed insuper vt ea causa ita rescindat contractum, ac si nullus fuisset.*
8. *Actio redhibitoria operatur de sui natura, vt omnia in pristinum statum reducantur, cuius reductionis ipse emptor causa est, at in casu de quo agitur vt contractus rescindatur venditor læsus causa est, vt actor.*
9. *Disparitas quæ intercedit inter venditionem sub conditione, & inter venditionem puram sub conditione tamen resoluenda assignatur.*
10. *Fructus simul cum re restituuntur ex l. 5. ff. de lege commissoria, quia ex ea resoluitur venditio culpa ipsius emptoris pretium tempore præfixo non soluentis; secus est in præsenti, vbi emptor coactus contractum rescindit.*
11. *Restitutio, quæ fit ex iustitia ob causam, quæ rei restituendæ inest facienda est cum fructibus; secus est si ea facienda sit ex iustitia, quæ ex accidenti extrinseco prouenit, scilicet ex læsione in contractu.*
12. *Res vna cum fructibus restituitur minore aduersus contractum restituto in fauorem minoris, quod tamen ad venditorem non extenditur.*
13. *Bona simul cum fructibus rescissa institutione hæredis per querelam inofficiosi testamenti, restituuntur Actori, quia à die mortis Testatoris erant ipsius; at secus est in casu, de quo agitur; cum res vendita sit emptoris quousque contractus rescindatur.*
14. *Emptorem & pretio dato carere, & fructibus interim perceptis priuari, par non est.*



Qvidam affirmant, ita Rofted. de libellis *4. p. rubri. de actione ciuili num. 20.* Alberic. *in dicta l. 2. num. 16.* Salicet. *num. 5.* Matth. *de Afflictis in cap. 1. num. 150. de feudo dato in vicem legis commissoriæ,* Couar. *2. var. cap. 3. num. 9.* Anton. Gomez. *l. 70. Taur. num. 29.* Greg. Lopez. *lib. 56. tit 5. p. 5.* & Matien. *l. 1. tit. 11. lib. 5. compilat. Gloss. 5. num. 7. & seqq.* asserens sæpe ità fuisse decisum in Regia Cancellaria Pintiana, nihilominùs. 1

Respondetur, probabilius esse oppositum, quod docet Cagnol. *num. 40.* Padilla *num. 50.* Pinell. *2. p. cap. 4. num. 1. & 2.* Cepoll. *de simulat. contract. §. 1. circa finem,* Anton. Gomez sibi contrarius *2. var. cap. 2. num. 24. & cap. 4. num. 21.* Fachin. *lib. 2. controuers. cap. 14.* Guttier. *lib. 2. pract. quæst. 134.* Acebedo *l. 1. tit. 11. lib. 5. compilat. num. 25.* Molina *tract. 2. disp. 349. §. vtrum autem,* & alij.

Respondetur *ex cap. ad nostram de reb. Eccles.* vbi res Ecclesiæ alienata fuit infra dimidium iusti pretij, ideo restitutio conceditur, cum tamen fructus non restituantur, sed relinquantur Possessori. 2

Secundò probatur ratione; quia leges concedentes venditori læso, vt ad contractus rescissionem, vel ad pretij supplementum agat, solius rei venditæ, vel supplementi pretij mentionem fecerunt, nulla de fructibus restituendis mentione facta; Ergo obligatio restituendi fructus nullo fundamento nititur, at proinde admitti non debet. 3

Confirmatur, quia possidens rem bona fide, titulo legitimo possidet, neque est in mora ante litem contestatam, ergo non est, cur fructus restituere teneatur. 4

Obiicies *ex l. 1. C. si maior factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit,* vbi de- 5

ciditur in arbitrio venditoris læsi positum esse, an velit restituere possessionem, cum fructibus. Neque obest communis responsio, scilicet ibi duplex vitium interuenire, nempe venditionem à minore factam sine decreto iudicis, & læsionem vltra dimidium, & ob primum vitium specialiter possessionem cum fructibus deciditur restituendam; quia illud uitium purgatum est, cum minor maior factus contractum ratificauit, vt ibidem dicitur. Neque item obest quod alij respondent, dolo fuisse eam venditionem factam: nam vt rectè probat Matièn. *cit. Gloss. 5. num* 7. nullatenus id ex Textu colligitur. Neque etiam obest, quod Couarr. ait, restitui ab emptore in casu illius Textus possessionem cum fructibus, quia pretium à se datum cum vsuris restituebatur; de illa restitutione vsurarum non constat, neque hodie habet locum, & sæpe venditio instituitur, sola fide data de pretio

Respondetur, concedo commune responsum, nempe duplex ibi vitium interuenire, quæ vitia insufficienter purgata fuerunt ratificatione minoris maioris facti; quia vt rectè inquit Guttier. *cit. quæst.* 134. *num.* 2. cum maior factus alienationem illam ratam habuit, ignorauit factam fuisse absque decreto Iudicis, & cum læsione infra dimidium; sed quia facto ratificauit, etsi ignarus, conceditur emptori optio eligendi pretij supplementum, vel rei cum fructibus restitutionem; quæ optio nullatenus concederetur, ea ratificatione non apposita, sed præcisè compelleretur ad restitutionem prædij cum suis fructibus accepti, quia contra-
6 ctus minoris absque decreto Iudicis nullus est, *l.* 1. *&* 2. *C. de prædij minorum.*

7 Obiicies secundò *ex lege, cum autem ff. de ædilit. edicto, l. quod dictum est, & l. Imperator ff. de in diem adiectione, & l.* 5. *ff. de lege commissoria,* vbi rescissa venditione ex causa, quæ tempore venditionis inerat restituitur res vna cum fructibus perceptis, vt probat Tiraquell. *in l. si vnquam, verbo reuertatur, num.* 229. sed cum venditio rescinditur ob læsionem vltra dimidium rescinditur ex causa quæ tempore contractus inerat; ergo res cum fructibus restitui debet.

Respondetur, nego satis esse ad restitutionem rei cum fructibus, vt res restituatur ex causa, quæ tempore contractus inerat: sed insuper requiritur, vt ea causa ita rescindat contractum, ac si nullus fuisset: nam lex *cum autem,*
8 & lex, *quod si nolit*, loquitur de actione redhibitoria, cuius natura est, vt omnia in pristinum statum reducat; cuius reductionis ipse emptor causa est; secus est in præsenti, cum non ex voluntate emptoris lædentis, sed venditoris læsi, qui actor est, contractus rescindatur. Deinde *in l. quod dictum est, & l. Imperator* restitutio fit cum fructibus non præcisè, quia causa restituendi rem tempore contractus ad-
9 fuerat, sed quia adfuerat sub conditione, qua non apposita, res cum fructibus restitui debet; quia contractus euanescit, eò quòd fuerit sub illa conditione, vt si intra certum tempus alter maius pretium obtulerit, res inempta sit. Secus est in venditione pura, sub conditione tamen
10 resoluenda. Præterea *in lege* 5. *ff. de lege commissoria* fructus simul cum re restituuntur, quia ex pacto legis commissoriæ resoluitur venditio, culpa ipsius emptoris, pretium tempore præfixo non soluentis, secus est in præsenti, vbi emptor coactus contractum rescindit.

Obiicies tertiò, *ex l. videamus ff. de vsuris,* 11
vbi restitutio, quæ fit ex iustitia, deciditur facienda esse simul cum fructibus: ibi enim Patronus reuocauit alienata à liberto in fraudem legitimæ sibi debitæ & restituitur res simul cum fructibus; At Patronus æquiparatur venditori, cum in vtroque casu datur optio possessori, vt rem cum fructibus restituat, vel pretium suppleat, *l.* 2. *C. de rescind. vendit. & l.* 1. *§. si quis, ff. si quid in fraudem Patroni.*

Respondetur, restitutionem, quæ fit ex iustitia ob causam, quæ rei restituendæ inest faciendam esse cum fructibus, vti sunt alienata à liberto in fraudem Patroni, quæ ipsi Patrono quasi obligata, & hypothecata sunt; Secus verò dicendum de restitutione ex iustitia, quæ ex accidenti extrinseco prouenit, scilicet ex læsione in contractu. Adde ibi expressè caueri, restitutionem faciendam esse: quod verbum habet plenissimam significationem vt proinde rem simul cum fructibus comprehendat secus est *in dicta l.* 2. *C. de rescind. vendit.* vbi nullum est verbum restitutionis

Obiicies quarto. *ex l. Patri §. item ex diuerso ff. de minor. & l. quod si minor §. restitutio ff. eodem tit.* vbi minore aduersus contractum restituto, res vna cum fructibus restituitur, vt rectè probat Couar. 1. *var. cap.* 3. *in princ. & in fine*; sed restitutio venditoris ob læsionem vltra dimidium comparatur restitutioni minoris, Bald. *in l.* 2. *num.* 16. *C. de rescind. vendit.* Crouett. *cons.* 271. *num.* 19. & Tiraquell. *lib.* 1. *de retractu §.* 32. *Glos.* 1. *num* 69. *&* 11. siquidem vtraque restitutio fit actione personali sine mora, vel mala fide possidentis, ergo. 12

Respondetur. id in fauorem minorum restitutionem concedi, quæ tamen ad venditorem extendi non debet.

Obiicies quintò, *ex l. filio §.* 1. *in fine ff. de inoff. Testam.* vbi, rescissa institutione hæredis per querelam inofficiosi Testamenti bona simul cum fructibus restituuntur, ergo idem dicendum erit in casu nostro. 13

Respondetur, ibi, rescissa institutione hæredis per querelam inofficiosi Testamenti, bona simul cum fructibus restitui Actori, quia a die mortis testatoris erant ipsius, *l. cum qui §. vltimo ff. de inoff. Testam.* Quod in casu nostro contrarium est; cum res vendita sit emptoris, quousque contractus rescindatur.

Cæterum, posita priori sententia, rectè limitant illam Couarr. *loc. cit.* Lopez *l.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. & Matien. *l.* 1. *Glos.* 5. *num.* 15. *&* 16. vt intelligatur de restitutione fructuum pro 14
parte pretij, in qua venditor deceptus fuit: non enim par est, emptorem & pretio dato carere, & fructibus interim perceptis priuari; Aliàs cum iactura emptoris venditor ditaretur, quod admitti non debet. Vide Molin. *cit. disp.* 349. *§. vtrum autem.*



SECTIO XXI.

An ex illis fructibus deduci debeat lucrum, quod ex pretio dato, venditor habere posset?

SVMMARIVM.


1. *Lucrum si de facto venditor acceperit secundum aliquos Doctores deducendum est; quia par non est, vt venditor, & rei, & pretij lucrum accipiat, at si de facto nullum ex pretio lucrum acceperit, nihil ob eam causam ex fructibus deducendum est.*
2. *Pretium non parit lucrum, sed est occasio lucri, parere tamen illud solet, censendusque est venditor in culpa esse, si illud parere non faciat, vel saltem censendus est venditor illud amisisse.*
3. *Lucrum secundum probabiliorem sententiam deducendum non est, præterquam quod facta restitutione rei & fructuum reddendum esset Emptori pretium cum lucro, quod ex illo comparare poterat, quod regulariter vincet fructus ex re perceptos.*

1 QVidam, vt Matien. *l. 1. Gloss. 5. num. 14.* putant, si de facto lucrum venditor acceperit, deducendum esse, quia par non est, vt venditor, & rei, & pretij lucrum accipiat, at si de facto nullum ex pretio lucrum acceperit, nihil ob eam causam ex fructibus deducendum esse; quia, cum in voluntate emptoris positum fuerit, rescindere contractum, vel supplere pretium, elegeritque rescissionem contractus, conqueri non potest, quod rem simul cum fructibus restituere cogatur, nullo lucro pretij
2 deducto, cum pretium non pariat lucrum, sed sit occasio lucri.

Cæterum, esto pretium lucrum non pariat, tamen illud parere solet, censendusque est venditor in culpa esse, si illud parere non faciat, vel saltem censendus est emptor illud amisisse. Quapropter solent Iudices teste Acebedo. *l. 1. tit. 11. lib 5. compilat. num. 25.* cum emptorem condemnant, vt rem emptam cum fructibus restituat, computare lucrum, quod ipse emptor ex pretio dato comparare posset, nimirum quotannis vnum pro 20. inspecta noua lege Regia corrigente leg. finalem *tit. 15. lib. 5. nouæ compilat.*

Cum autem emptor læsus est, quia emit vltrà dimidium iusti pretij, agitque aduersus venditorem beneficio *l. 2. C. de rescind. vendit.* inquit Matien. *d. l. 2. Gloss. 5. num. 16.* certum esse, rem cum fructibus restitui debere, & præter Doctores primæ sententiæ in præcedenti dubitatione citatos adducit Abb. *in cap. illo vos. num. 6. de pignor.* Anton. Burg. *in cap. ad nostram, num. 26. de emptione, venditione,* & Pinell. *in cit. l. 2. part. 2. cap. 5. num. 28.* eo quod voluntariè ipse contractum rescindit, cum possit à beneficio *d. legis secundæ* cessare; his tamen non obstantibus.

Respondetur: probabilius esse oppositum, 3 quod tenent Doctores *in cit. dubit. præcedenti* allegati, scilicet etiam in casu quo venditor sit conuentus, & contractus rescissionem eligat, non esse obligatum emptorem fructus perceptos simul cum re accepta restituere; Quia leges hoc beneficium permittentes æquè de venditore, ac de emptore loquuntur, & quæ de venditore decidunt, Doctores ad emptorem extendunt. Præterquam quod, facta restitutione rei, & fructuum reddendum esset emptori pretium cum lucro, quod ex illo comparare poterat, quod regulariter vincet fructus ex re perceptos.



SECTIO XXII.

An, rescissa venditione ex remedio legis secundæ euanescat, seu resoluatur hypotheca inter-medio tempore contracta.

SVMMARIVM.

1. *Emptor, sicuti potuit alienare rem in tertium possessorem, dum à venditore læso non conuenitur, ita potuit & rem hypothecæ subijcere.*
2. *Hypotheca intermedio tempore contracta recissa venditione ex remedio l. 2. non euanescit, seu resoluitur. Secundum Bartolum, & alios Doctores.*
3. *Hypotheca non soluitur, cum contractus rescinditur non necessitate, sed voluntate.*
4. *Par non est vt Creditor, cui emptor rem obligauit, iure suo priuetur ex voluntate emptoris contractum priorem rescindentis.*
5. *Hypotheca intermedio tempore contracta secundum probabiliorem sententiam ex remedio l. 2. euanescit, seu resoluitur.*
6. *Hypotheca dissoluitur restituta re in pristinum statum, cum restitutio fit non voluntate; sed necessitate illius, qui hypothecam constituit.*
7. *Quoties quis alterutrum facere tenetur, quidquid eligit, necessitate compulsus eligere censetur.*
8. *Emphitéuta canonis solutionem omittente, si Dominus iure suo vtatur, & prædium recuperet, pignoris ius prædio appositum euanesceret.*

9. *Hypotheca resoluitur, ob conditionem non appositam cum contractus sub conditione resoluitur.*
10. *Hypotheca resoluitur cùm resoluitur contractus ob pretij supplementum ab emptore non concessum.*
11. *Venditor læsus, cui iura fauere debent, graue damnum pateretur, si rescisso contractu hypotheca non solueretur.*
12. *Creditor, cui emptor rem hypothecauit, licet aliquod patiatur damnum, ipse sibi imputare debet, cum hypothecam admiserit in re infirma, & resolutioni obnoxia.*

1 SVppono, quod emptor, sicuti potuit alienare rem in tertium possessorem, dum à venditore læso non conuenitur, ita potuit, & rem hypothecæ subiicere. Hoc supposito.

2 Quidam, vt Bart. *in l si res ff. quibus modis pignus, & hypotheca soluatur, & in l.* 4. *§. sed Marcellus ff. de in diem addictione, & in l. in diem ff. de aqua pluuia arcenda,* Alberic. *cit. l.* 2. *col.* 4. Alex. *cons.* 45. *lib.* 5. Ioan. Andr. *in addit. ad specular. rubr. de obligat. & solut.* Ancaran. *cap. Accessorium, de regulis Iuris lib.* 6. Fulgos. *in cit. l. si res,* Boer. *decis.* 181., *num.*
3 10. & alij negant. Mouentur, quia hypotheca non soluitur, cum contractus rescinditur non necessitate, sed voluntate, *ex d. l. si res; & l. bouem §. pignus ff. de ædilitio edicto,* sed in præsenti non necessitate, sed voluntate emptoris contractus resoluitur, cum possit ipse preti supplemento contractus rescissionem excusare,
4 ergo; tùm quia par non est, vt creditor, cui emptor rem obligauit, Iure suo priuetur ex voluntate Emptoris contractum priorem rescindentis; maximè cum venditor solum actionem personalem aduersus emptorem habet, creditor autem hypothecarius actionem personalem, & realem habuerit. His tamen non obstantibus.

5 Respondetur: probabilius esse oppositum, quod docet Bald. *in d. l.* 2. *num.* 17. Salicet. *quæst.* 15. Castr. *num.* 11. Cagnol. *num.* 120. *& in l.* 2. *C. de pactis inter emptorem, & venditorem, num.* 199. Alciat. *in l. debitori num.* 2. *C. de pactis,* Tiraquell. *de retract. conuent. §.* 3. *Gloss.* 1. *& ad leg. si vnquam, verbo reuertatur num.* 171. *C. de reuocand. donat.* Socc. Iun. *cons.* 119. *num.* 16. *lib.* 2. Pinell. *in d. l.* 2. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 13. & Fachin. *lib.* 2. *controuers. cap.* 23.

6 Respondetur: Quia hypotheca dissoluitur, restituta re in pristinum statum, cum restitutio fit non voluntate, sed necessitate illius, qui hypothecam constituit, *l. si res, ff. quibus modis pignus, &c. & l.* 4. *§. sed Marcellus ff. de in diem addictione;* At contractus non rescinditur mera voluntate Emptoris, sed necessitate, ne pretium supplere cogatur: Item hic emptor cogitur ex legis obligatione rescindere contra-
7 ctum, vel supplere pretium; at quoties quis alterutrum facere tenetur, quidquid eligit, necessitate compulsus eligere censetur, *l. illud ff. de constit. pecun. & l. quæ sub conditione ff. de condit. instit:* ergo non ex voluntate, sed ex necessitate rescindit contractum; ergo hypotheca dissoluitur.

Secundò probatur, quia si Emphiteuta canonis solutionem omittente, Dominus iure suo vtatur, & prædium recuperet, pignoris ius prædio appositum euanesceret, *l. lex vectigali ff. de pignor.* quia resoluitur contractus non ex voluntate directa Emphiteutæ, sed ex necessitate Iuris ob illius culpam, ergo idem dicendum est in casu nostro, cum resoluatur contractus, non voluntate directa Emptoris, sed ne cogatur pretium supplere. 8

Tertiò quia, cum contractus sub conditione resoluitur ob conditionem non appositam, hypotheca resoluitur, *cit. l.* 4. *§. sed Marcellus, & cit. l.* 3. *ff. quibus modis pignus, &c.* ergo etiam resoluetur hypotheca, cum resoluitur contractus ob pretij supplementum ab emptore non concessum: nam in vtroque casu in voluntate emptoris positum erat, contractus rescissionem impedire. 9 10

Quartò, quia venditor læsus, cui iura fauere debent, graue damnum pateretur, si rescisso contractu hypotheca non solueretur, acciperet enim rem non qualem ipse dedit, sed alteri obligatam, & consequenter deterioratam, non casu fortuito, sed ex voluntate Emptoris; ergo. 11

Hinc patet ad opposita; cum probatum sit, quod non voluntate mera emptoris, sed quasi necessitate contractus dissoluatur. Et licet creditor, cui emptor rem hypothecauit, aliquod patiatur damnum, ipse sibi imputare debet, cum hypothecam admiserit in re infirma, & resolutioni obnoxia. 12



SECTIO XXIII.

Quandiù duret actio ex remedio legis secundæ?

SVMMARIVM.

1. *Actio ex remedio l.* 2. *spectato iure communi durat per* 30. *annos; ita vt per* 30. *annos à die contractus institui possit actio ad rescindendum contractum, vel supplendum pretium.*
2. *Actio ex l.* 2. *est personalis, & actio personalis durat per* 30. *annos.*
3. *Actio prædicta inspectis statutis specialium Regnorum restringitur.*
4. *Actio prædicta apud Lusitanos restringitur ad* 15. *annos, apud Gallos ad* 10. *apud alios ad* 4.
5. *Temporalia ad agendum reputantur perpetua ad excipiendum, vt actio de dolo, quæ finitur biennio in vim exceptionis proposita, perpetua est.*

6. *Actio l. 2. etiam per viam exceptionis ex probabiliori sententia Doctorum non potest vltra quadriennium proponi.*
7. *Exceptio prædicta non nititur propriis viribus; sed quatenus emanat in actione, qua sublata merito corruit.*
8. *Exceptio doli solum proponi potest, quando ab Actore fuerit actio intentata, & ideo in perpetuum durat, cum non sit in potestate accipientis, citius eam exceptionem apponere.*
9. *Exceptio inæqualitatis, & læsionis vltra dimidium proponi potest à læso, cum ipse voluerit, tam agendo, quam excipiendo; par enim non est vt plus duret exceptio, quam actio.*
10. *Exceptio cum nititur actioni, & æquè vna ac altera proponi potest, restricta actione, exceptio etiam censetur restricta.*
11. *Verba l. 2. non indicant tantum actionem; sed etiam exceptionem, sunt enim vniuersalia, & communia, tam actioni, quam exceptioni.*

1 Respondetur: spectato Iure communi, durare per 30. annos, ita vt per 30. annos à die contractus institui possit actio ad rescindendum contractum, vel supplendum pretium primũ; proba-
2 tur Quia hæc actio, & obligatio est personalis, at actio & obligatio personalis durat per 30. annos, *l. sicut in rem, & l. omnes C. de præscript. 30. vel 40. annor.* & tradunt Gloss. *in d. l. 2. quæst.* 1. Bald. *num.* 3. & alij Doctores *ibidem*, ergo.


3 Dixi, *inspecto Iure communi*, quia inspectis statutis specialium Regnorum hoc tempus res-
4 tringitur: nam apud Lusitanos restringitur ad 15. annos, *lib.* 4 *tit.* 3. §. 5. Apud Gallos ad 10. *ex constitutione Ludouici XII.* Apud alios restringitur ad 4. annos *ex l.* 4. *tit.* 7. *lib.* 5. *Ordin. & l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *compilat.* & notat Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 22. & Couar. 2. *var. cap.* 4. *in fine*; & ratio huius restrictionis est ob vitandas falsas probationes, quæ ex longo tempore facile committi possent: Nam cum hæc actio pendeat a valore rerum, & hic passim mutetur, hominumque memoria debilis sit, merito facta est dicta restrictio ob rationem assignatam.

An autem per viam exceptionis possit proponi hæc actio vltra 4. annos, veluti si ab Emptore pretium, transactis 4. annis, exigatur, & ipse obijciat, se deceptum fuisse vltra dimidium iusti pretij, an scilicet hæc exceptio obstare possit petitioni venditoris?

5 Ratio dubitandi est, quia temporalia ad agendum, reputantur perpetua ad excipiendum; vt actio de dolo, quæ finitur biennio, in vim exceptionis proposita, perpetua est, *l. purè §. vlt. ff. de doli except.* & ibi Doctores tum quia in *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *nouæ collect.* vbi ad quadriennium actio *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* restringitur, haberi tantum videtur, cum hæc agendo, non excipiendo instituitur; tum quia verbum *dixerit*, ibi positum refertur ad actionem, *l. actor C. de probat.* tum quia ibidem directe rescissio contractus proponitur in Iudicio. His tamen non obstantibus.

Respondetur, etiam per viam exceptionis ex probabiliori sententia Doctorum non posse vltra quadriennium hanc actionem proponi; ita Matien *in d. l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *nouæ collect. Gloss.* 10. *circa finem*, & Guttier. *lib. quæst. pract. quæst.* 143. & probatur quia hæc ex- 6
ceptio non propriis viribus nititur, sed quatenus emanat ex actione, ergo, sublata actione, meritò exceptio corruit, *argum. l. vlt. ff. rem ratam habere.* Secus est de exceptione doli, de qua *in cit. l. purè*; Quia illa exceptio solum proponi potest, quando ab actore fuerit actio intentata; & ideo in perpetuum durat, cum non sit in potestate accipientis, citiùs eam exceptionem apponere; sed exceptio inæqualitatis, & læsionis vltra dimidium proponi potest à læso, cum ipse voluerit, tam agendo quàm excipiedo, non igitur par est, vt plus duret exceptio, quàm actio. Atque hinc patet ad primam partem rationis dubitandi positæ: Ad cæteras partes respondetur, esto verba legis citatæ ad actionem expresse referantur, quia tamen exceptio nititur actioni & æquè vna, ac altera proponi potest, restricta actione, exceptio etiam censetur restricta. Adde verba citatæ legis non indicare tantùm actionem, sed etiam exceptionem: sunt enim verba vniuersalia, & communia, tam actioni, quàm exceptioni: nam excipiens etiam dicit, & probare debet, sicuti agens.

(margin numbers on right column: 7, 8, 9, 10, 11)



DVBITATIO VII.

An si Rex aliunde potest suæ, & Regni necessitati subuenire, gratias, & pensiones, etiam ex causa remunerationis assignatas, diminuendo, vel suspendendo, donatiuum, seu tributum à Vassallis petere possit, in casu quod Vassalli, & Vniuersitates sint multum grauatæ?

SVMMARIVM.

1. *Rex si aliunde potest suæ, & Regni necessitati subuenire &c. donatiuum, seu tributum à Vassallis petere non potest, si Vassalli & Vniuersitates sint multum grauatæ.*
2. *Publica vtilitas præfertur priuatæ, præsertim cum in publica includatur priuata.*
3. *Durius est, quod aliena inuadantur, quam quod propria beneficia reuocentur.*
4. *Gratiæ, & pensiones etiam ex causa remunerationis concessæ, intelliguntur concessæ cum conditione quod soluantur, si Regni necessitas aliter non requirat.*
5. *Princeps pro seruanda iustitia, & pro seruando Regno Dohanas, Gabellas, & alios Regni redditus habet.*

6. *Regni redditus omnes ad hunc finem instituti sunt vt ex ijs iustitia administretur, & Regnum defendatur.*
7. *Officialibus ad administrandam iustitiam deputatis Rex tenetur soluere salarium de redditibus Regni.*
8. *Rex est debitor iustitiæ, debetque custodire, & protegere Regnum.*
9. *Rex cum redditus Regni, quos habet submissos habeat huic oneri, & conditioni, sequitur quòd cum de illis disponit, & illos in alium finem transfert, dispositio, & traditio Regis, nihil aliud de iis transferat in eum, qui accepit, quam quod est apud Regem concedentem.*
10. *Res, cùm de ea disponitur, transit cum sua causa.*
11. *Res, cum alienatur, transit cum pignore, si pignori erat submissa.*
12. *Causa necessariæ sustentationis semper intelligitur insita in origine institutionis impositionum; quæ causa, & origo principaliter semper attendi debet.*
13. *Causa prædicta præcedit, & est anterior cæteris omnibus dispositionibus; quinimo has omnes resoluit.*
14. *Rex, si reuera aliud ius non habet, quam dispositionem eius, quod remanet, deducto eo, quod publicæ vtilitati deseruit pro Regni conseruatione, id tantum intelligitur concessisse, & non quod est in publicas necessitates destinatum.*
15. *Rex in pensionibus concedendis, etiam ex causa remunerationis, intentionem habere censetur, vt illæ soluantur solum si Regni necessitas aliter non requirat.*
16. *Impliciti, & expressi eadem est virtus, & Rex id expressisset, si de hoc interrogatus fuisset.*
17. *Seruitia Regi præstita, ob quæ pensiones conceduntur non ad conseruationem Regni; sed potius ad destructionem essent, si etiam tempore necessitatis Regni æque soluerentur.*
18. *Donans in tantum tenetur ad id, quod donat in quantum potest moraliter, idest, quantum potest honestè, & commodè, itavt iuxta qualitatem suæ personæ non egeat.*
19. *Donans tenetur in quantum potest commodè deducto ære alieno, & ne egeat iuxta qualitatem personæ.*
20. *Donatio propter seruitia præstita est donatio remuneratoria, quæ non dicitur propriè donatio; sed potius facta pro satisfaciendo debito; secus autem est si præstita sint seruitia ex debito officij, vel ex alia obligatione.*
21. *Donatio à Rege facta subditis ob seruitia præstita potius dicenda est donatio pura, quam remuneratoria; quia ad seruitia illa præstanda subditi tenebantur ex officio.*
22. *Donans ob seruitia præstita tenetur de euictione rei donatæ, id tamen intelligendum est, si seruitia præstita fuerint talia, quod pro eis præstandis daretur actio aduersus donantem, non solum ex obligatione antidorali, sed etiam ex obligatione ciuili, & strictè sumpta.*
23. *Amplia prædicta habere locum in militibus stipendiatis, & etiam in Officialibus.*
24. *Destinata pro victu Regis, pro dignitate Regia, & pro sustentatione Regni (vt sunt dohanæ, gabellæ, & alij Regni redditus) vel sunt simpliciter inalienabilia, vel inalienabilia secundum quid.*
25. *Destinata pro victu Regis, &c. ita sunt inalienabilia vt non valeat consuetudo in contrarium; quia alioquin totum in ruinam, & perniciem Regni verteretur.*
26. *Destinata pro victu Regis, &c. ideo sunt inalienabilia ne diminutis redditibus bonorum dominalium, quæ pro vita Regum, & sustentanda Republica inuenta sunt, cogantur postea Reges ad bona subditorum calcata iustitia extendere manus.*
27. *Bulla Innocentij VI. extat in id imponentis excommunicationis pœnam.*
28. *Rex in casu imminentis publicæ necessitatis, si aliunde de suo non habeat, potest impositiones omnes, etiam ex causa remunerationis concessas, suspendere; quinimmo simpliciter & tollere.*
29. *Priuilegia omnia hanc clausulam insitam habent, vt concessa intelligantur rebus in eodem statu permanentibus.*
30. *Priuilegium statu mutato, & vrgente necessitate incipit esse iniquum, vt propterea tunc obseruandum non sit.*
31. *Priuilegia varianda sunt secundum diuersitatem temporum, & rerum varietatem.*
32. *Id, quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*
33. *Priuilegium immunitatis à collectis cessat, si bellum postea Regno superueniat.*
34. *Rex ob necessitatem potest capere bona subditorum, & restituere ea illis, quando potest; & ex eadem causa potest differre debitas solutiones, cum hoc importet ius Regis, & his periculis subiecti sint qui cum Rege contrahunt.*
35. *Concessiones vt succurratur publicis necessitatibus possunt suspendi, & tolli.*
36. *Diminutiones sunt prohibitæ in censibus, vectigalibus, tributis, & redditibus ciuilibus.*
37. *Remissiones, donationes, & concessiones sunt nullæ, etiamsi ex certa scientia sint factæ.*
38. *Princeps, qui non auget, sed diminuit enormiter Principatus, non est princeps; quia non agit vt Princeps, scilicet in beneficium commune Principatus.*
39. *Res ciuiles, & ad ius publicum pertinentes ab omni petitione muniendæ sunt, quod procedit etiam in impositionibus pro sustentatione, & stipendio militum factis.*
40. *Priuilegia omnia intelligi debent concessa, ita vt prætextu ipsorum, nec flagitiorum crescat auctoritas, nec publica vacillet vtilitas.*
41. *Priuilegia omnia intelliguntur concessa, dummodo non lædatur publica vtilitas.*
42. *Pensiones semper intelliguntur concessæ dummodo Dominus non egeat; & præferuntur omnes, qui cum Domino contraxerunt, etiam post pensiones concessas, & Domino egente sunt illæ suspendendæ.*
43. *Dominus si inuestiuit aliquem de feudo Cameræ, & superueniant Creditores vt necesse habeat eis soluere, deducitur æs alienum, ne ipse Dominus egeat; quia hæc est natura feudi de Camera.*

44. *Pensio non soluitur, si Camera ære alieno prematur.*
45. *Pensio annua à Principe concessa potest per eundem Principem, vel etiam per Proregem ad libitum reuocari.*
46. *Rex si aliunde potest suæ necessitati subuenire, gratias scilicet, & pensiones etiam ex causa remunerationis concessas, diminuendo, vel etiam suspendendo, non potest donatiuum, seu tributum à Vassallis petere, si Vniuersitates sint multum grauatæ.*

1 2 Respondetur negatiuè: & ratio est, quia publica vtilitas præfertur priuatæ, præsertim cum in publica includatur priuata, *vt dubit.* 4. dicebam.

3 Confirmatur, quia durius est, quod aliena inuadantur, quam quod propria beneficia reuocentur, sicuti ad Baldi Doctrinam *in l. qui se patris, num.* 13. *Cod. vnde liberi*, docent Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 5. *num.* 25. Valenzuel. *consil.* 99. *punct.* 2. *num.* 29. S. Antoninus, Eman. Rodriguez, & alij, quos citat, & sequitur Capyc. Galeota *resp. vn. pro reuocatione domaniorum tom.* 1. *rep.* Fiscal. *rep.* 23.

4 Secundò probatur, quia gratiæ, & pensiones etiam ex causa remunerationis concessæ, intelliguntur concessæ cum conditione, quòd
5 soluantur, si Regni necessitas aliter non requirat: Et ratio est, quia Princeps pro seruanda iustitia, & pro seruando Regno Dohanas, Gabellas, & alios Regni redditus habet, vt ex communi docet Iser. *in cap.* 1. *in verb. vectigalia ante num.* 15. *quæ sint regal. & in tit. de stat. & consuet. in verb. Prouinciæ num.* 39. ad hunc
6 enim finem omnes redditus Regni instituti sunt, vt ex iis iustitia administretur, & Regnum defendatur, vt ex communi docet Andr. *in constit. Reg. super incisionibus*, Afflict. *in constit. Reg.* Magistri Camerarij *& in cap.* 1. *§. illicitas de pac. iur. fir. & in rubr. & in cap.* 1. *de pac. ten.* post Luc. de Pen. *in l. neminem Cod. de suscept. & arc. & in l. annonam, Cod. de mil. ann.* ergo.

7 Hinc officialibus ad administrandum iustitiam deputatis Rex tenetur de redditibus Regni soluere salarium, vt dixit Iser. *in constit. Regni, cum circa iustitiæ.*

8 Hinc etiam Rex est debitor iustitiæ, vt dixit idem Iser. *in cap. quoniam inter diuina col. pen. de proh. feud. alien.* debetque custodire, & protegere Regnum, vt ex communi docet Andr. *in tit. de stat. & consuet. in verb. ipso iure, num.* 6.

Hinc etiam iustificantur Regni impositiones; quia cum hoc onere, & conditione in principio eis populi consenserunt, & ad earum solutionem se obligarunt.

9 Quare cum Rex redditus Regni, quos habet, submissos habeat huic oneri, & conditioni, sequitur, quòd cum de illis disponit, & illos in alium finem transfert, dispositio, & traditio Regis, nihil aliud de illis tranferat in eum, qui accepit, quàm quod est apud Regem concedentem; atque ita habetur *in l. traditio, ff. de acquirend. rerum domin.* & concordat reg. text. *in leg. nemo plus iuris, de reg. iur.*

Confirmatur, quia alioquin totum cederet in præiudicium, & iniuriam subditorum; quod velle Rex nullo modo præsumitur, vt rectè dixit Andr. *in cap.* 1. *num.* 5. *de Vassall. decrep. atat.*

Confirmatur secundò, quia dum disponitur 10
de re aliqua, transit illa cum sua causa, vt habetur *in l. si conuenerit, l. secunda §. si fundus ff. de pignor. act.* quapropter cum res alienatur, 11
transit cum pignore, si pignori erat submissa, vti habetur *in l. bonum §. pignori, ff. de adil. edict.* quam legem allegat ad propositum Bart. *in leg. vbi autem, §. sed. & ff. de indict. adiect.* Imo, vt docet Bart. ibi, & ego supra dicebam, 12
causa necessariæ sustentationis semper intelligitur insita in origine institutionis impositionum; quæ causa necessariæ sustentationis, & origo principaliter semper attendi debet, vt habetur *in leg.* 1. *§. quod si nemo, ff. quod cuiusque vniuers. nom.* & ratio est, quia prædicta 13
causa præcedit, & est anterior cæteris omnibus dispositionibus: quin imo has omnes resoluit, vt docet Bart. *in loc. suprà cit.* igitur pensiones, etiam remuneratoriæ, non intelliguntur alio modo concessæ, quàm sunt apud concedentem; atque ita habet text. *in cap.* 1. *§. profecto de leg. Corrad.* vbi Doctores: vnde si Rex 14
reuera aliud ius non habet, quàm dispositionem eius, quod remanet, deducto eo, quod publicæ vtilitati deseruit pro Regni conseruatione, id tantùm intelligitur concessisse, & non quod est in publicas necessitates destinatum atque ita habetur *in leg. qui tabernas ff. de contrah. empt. in leg. vxor patrui, Cod. de Legat.* & tradit. Afflict. *in decis.* 334.

Tertiò probatur, quia Rex in pensionibus 15
concedendis, etiam ex causa remunerationis, intentionem (vti dicebatur) habere censetur, vt illæ soluantur solùm, si Regni necessitas aliter non requirat; ergo &c. Antecedens vlterius probatur; quia si Rex de hac re, dum illas concedebat, interrogatus fuisset, sic vtique respondisset: vnde habetur hoc pro expresso, sicuti dicitur *in leg. tale pactum, §. fin. de pactis*; quia impliciti, & expressi eadem est 16
virtus; vbi Gloss. & Doctores extendunt dispositionem illius legis ad concessiones, & priuilegia, quæ Rex concedit, vt latius ibi tradit Ias. *num.* 16. non enim credendum est, quòd (Regi fuisset dictum, an vellet, quòd pensiones, quas concedit, præferantur prouisionibus faciendis pro armatione, & sustentatione Triremium, pro munitione Castrorum, pro stipendiis militum, & similibus in defensionem Regni, & in rectam gubernationem populorum) respondisset, velle omnia hæc in collapsum ire; sed potius, velle in tali casu nihil concedere; quia in tali casu nihil concedere poterat, nec debebat.

Confirmatur, quia alioquin seruitia Regi 17
præstita (ob quæ pensiones conceduntur) non fuissent ad conseruationem Regni, sed potius ad destructionem illius; ergo dicendum est, quòd pensiones intelligi debent concessæ sub onere, & conditione, vt soluantur solùm, si Regni necessitas aliter non requirat.

18 Quartò probatur, quia qui donat, in tantùm tenetur ad id, quod donat, in quantùm potest moraliter, id est, quantùm potest honestè, & commodè, itavt iuxta qualitatem suæ personæ non egeat, sicuti habetur *in leg. in condemnatione*, vbi Gloss. & Doctores *de re iudic.* ergo, &c. & licet in patre, patrono, & similibus hæc regula intelligatur, non deducto ære alieno, tamen in alio donante intelligitur, quod teneatur, in quantum potest commodè in eo, quod remanet, ære alieno deducto, sicuti habetur *leg. sunt qui, cum leg. seq. & l. inter eos, §. his quoque, ff. de re iudic. & in leg. qui id, ff. de donat.* ergo, &c.

19 Quinimo in tali casu, qui donat, tenetur (in quantum potest commodè, deducto ære alieno, & ne egeat) iuxta qualitatem personæ; & ita, vt non inspiciatur tempus concessionis, vel obligationis (cum hoc beneficium à lege concedatur miserationis causa ex inopia inopinata, & ex aliis accidentibus de nouo superuenientibus) sed inspiciatur tempus exactionis, siue petitionis, aut rei iudicatæ, vt habetur *in l. res iud. ff. sol. matrim. in l. verum §. tempus, ff. pro socio in l. si à Domino, §. eodem tempore. ff. de petend. hæred. & in leg. in pupillo, ff. de solut. cum concord.*

20 Dices id quod dictum est, non habere locum in donatione facta propter seruitia præstita, vt in casu nostro: ergo. Antecedens probatur, quia donatio propter seruitia præstita est donatio remuneratoria, quæ non dicitur propriè donatio: sed potius facta pro satisfaciendo debito.

Respondetur, nego antecedens, & distinguo probationem: si seruitia præstita ob quæ facta est donatio, non sunt facta ex debito officij vel ex alia obligatione concedo; si sint facta ex debito officij, vel ex alia obligatione, nego; At ita est in casu nostro: nam licet Rex explendo munus suum debeat subditis gratum, & liberalem se præbere, vltra eorum merita, vt habetur *in l. fin. Cod. de offic. Præfect. Afr.*

21 Hinc tamen non infertur, quod donatio à Rege facta subditis ob seruitia præstita, dicatur donatio remuneratoria, sed potius quod dicatur donatio pura; quia ad seruitia illa præstanda ex officio subditi tenebantur; atque ita docent Rip. *in leg. si vnquam Cod. de reuoc. donat.* Tiraq. *ibid, num.* 106. Bal. Salic. Paul. de Cast. Ias. Corn. & alij communiter *in l. si donatione,*


22 *Cod. de collat.* vbi rectè dixit Decius, quod, etsi donans ob seruitia præstita teneatur de euictione rei donatæ, id tamen intelligendum sit, si seruitia præstita fuerint talia, quod pro eis præstandis, daretur actio aduersus donantem, non solùm ex obligatione antidorali, sed etiam ex obligatione ciuili, & strictè sumpta: Idem etiam docet Loffred. *in cap. Titius 2. col. vers. 3. potest. restringi, si de feud. def. mil.* & Regens de Ponte *in cons.* 59. 1. *vol. num.* 15. *& seqq.* vbi testatur, sic sæpe decisum; Idque ex eo, quia cum, qui inseruiunt, vt stipendiati & subditi, correspondendo obligationi, quam habent Regi ex debito officij, donationes eis à Rege factæ ob seruitia præstita, non remuneratitiæ; sed potius puræ donationes respectu Regis dicendæ sunt: Idem etiam docet Ioan. Francisc. Capiblancus *in tract. de iure*, & Auctor Baron. vbi ad hoc probandum multos alios adducit Doctores; infertque doctrinam 23
hanc, non solùm ad milites stipendiatos, sed etiam ad Officiales; quod scilicet donationes his etiam à Rege factæ ob seruitia præstita, non remuneratoriæ donationes, sed potius puræ donationes dicendæ sint.

Quintò probatur, quia quæ sunt destinata 24
pro victu Regis, pro dignitate Regiæ, & pro sustentatione Regni, (vt sunt dohanæ gabellæ, & alij Regni redditus) vel sunt simpliciter inalienabilia (vt multi Doctores docent apud Andr. *in cap. nec Dominus, de proh. feud. alien.* & Curtellium *de immunit. Eccles. lib.* 2. *quæst.* 29. *num.* 21.) ad euitandam (vt inquiunt ipsi) vexationem, & exuisceratiouem populorum; & ne Rex cogatur postea extendere manus ad iniquitatem, auferendo bona subditorum, illosque in dies nouis, & nouis donatiuis, & impositionibus grauando (etsi alij, vt Bertachinus 1. *part de gabellis, quæst.* 9. Molin. & Vuasq. *in opusc. de restit. capit.* 6. §. 1. *dub.* 1. contrarium sentiant, & satis probabiliter, qua de re, nos infra *dub.* 12. dicemus) vel saltem sunt (vt docet Andr. *in loc. suprà cit.* inalienabilia secundùm quid, in terminis text. *in capit. intellecto; de iure iur.* nempè si inde graue præiudicium Regno, & regiæ dignitati sequatur; in quo casu (vt inquit idem Andr. *vbi suprà* adeo sunt inalienabilia, vt non valeat consuetudo in contrarium, quia alioquin 25
totum in ruinam, & perniciem Regni verteretur: Idem etiam docet Luc. de Pen. *in leg. quicunque, Cod. de omn. agr. desert. col.* 6. *num.* 13. ex eo, ne (vt inquit ipse) diminutis redditi- 26
bus bonorum dominialium, quæ pro vita Regum, & sustentanda Republica inuenta sunt, cogantur postea Reges ad bona subditorum, calcata iustitia, manus extendere; & adducit Bullam Innocent. VI. excommunica- 27
tionis pœnam imponentis; occurrente igitur 28
casu imminentis publicæ necessitatis, itavt Rex aliunde de suo non habeat, potest ille impositiones omnes, etiam ex causa remunerationis, concessas suspendere, quinimo simpliciter & tollere. Consequentia probatur, quia 29
priuilegia omnia hanc clausulam insitam habent, vt concessa intelligantur, rebus in eodem statu permanentibus, sicuti habetur *in leg. cum quis ff. de solut. & in cap. suggestum de dec.* & ratio est, quia statu mutato & vrgente necessitate priuilegium incipit esse iniquum, vt pro- 30
pterea tunc obseruandum non sit, vti habetur *in l. ex facto, ff. de vulg. & pupil.* vbi communiter Doctores. Hinc Gloss. *in dict. cap. suggestum*, dicit, quod secundum diuersitatem temporum, & rerum varietatem priuilegia va- 31
rianda sunt; quapropter extat regula iuris quod 32
id, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, quæ sunt propria verba tex. *in cap. quod non est extra, de reg. iur.* vnde cum aliis communiter adducit Iason *in l. si ex toto, de* 33
leg. 1. quod à collectis immunitatis priuilegium cessat, si bellum postea Regno superueniat.

Sextò probatur, quia Rex ob necessitatem 34
potest capere bona subditorum, & restituere

ea illis, quando potest, & ex eadem causa potest differre debitas solutiones (cum hoc importet ius Regis, & his periculis subiecti sint, qui cum Rege contrahunt, vt supra alibi dicebatur, & docet Andr. *in rubr. quæ sint regalia num.* 13. & ratio est, quia sic exigit bonum commune, quod priuato antefertur) ergo multò magis ex simili causa poterit Rex suspendere, differre, ac simpliciter tollere pensiones etiam ex causa remunerationis concessas.

Septimò probatur authoritate Doctorum: sic enim etiam docet Alexand. *in consil. volum.* 2. *num.* 22. 26. 30. *& seqq.* neque obstat, inquit ipse, quod concessiones sint ex causa remunerationis, nam vt succurratur publicis ne-
35 cessitatibus, respondet idem Alexand. possunt concessiones suspendi, & tolli: quod consilium allegat, & sequitur Ias. *in l. ex hoc iure, num.* 54. *ff. de iust. & iur.* sic etiam docet Andr. *in cap. similiter* 2. *addit. de cap. qui cur. vend.*
36 vbi ait, quod in censibus, vectigalibus, tributis, & redditibus ciuilibus sunt prohibitæ
37 diminutiones: & quod remissiones, donationes, & concessiones sunt nullæ, etiamsi ex
38 certa scientia sint factæ; subditque quod Princeps, qui non auget, sed diminuit enormiter principatus, non sit Princeps, quia non agit, vt Princeps, scilicet in beneficium commune principatus: sic etiam docet Isern. *in cap.* 1. *de prohib. feud. alien. per loth.* vbi ait, quod supradicta omnia simpliciter sint inalienabilia: sic etiam docet Luc. de Pen. *in l. quicumque, de omnib. agr. desert. & in l. fin. Cod. de pet. bo-*
39 *nor. subl.* vbi textus habet: *pari forma res ciuiles, & ad ius publicum pertinentes ab omni petitione muniendas esse censemus*, quæ locum etiam habent in positionibus pro sustentatione, & stipendio militum factis, vt habetur *in l. omnes Cod. de fund. patrim lib.* 11. quia (vt dicit ibi Luc. de Penna expedit Reipublicæ, talia retineri in Patrimonio Regis, ad hoc, vt deseruiant publicis necessitatibus: quapropter alienatio eorum est in magnum præiudicium communitatis: ideoque text. *in l.* 2. *Cod. de*
40 *priuileg. schol. lib.* 12. tradit, quod Priuilegia omnia intelligi debent concessa, ita vt sub prætextu ipsorum, nec flagitiorum crescat autho-
41 ritas, nec publica vacillet vtilitas: per quem textum Doctores docent, quod priuilegia omnia intelliguntur concessa, dummodò non lædatur publica vtilitas: idemque tradit text. *in §. quod autem, in authentic. vt Iud. sine quoque*
42 *suffragio*, vbi Gloss. & Doctores, & quoad pensiones in specie Andr. & alij *in cap.* 1. *de not. feud.* docent, quod semper intelliguntur concessæ, dummodò Dominus non egeat; & quod præferuntur omnes, qui cum Domino contraxerunt, etiam post pensiones concessas; & quod propterea, Domino egente, sunt illæ suspendendæ; Idemque innuit text. *in dict. cap.* 1.
43 & tradit Præpos. *in cap.* 1. *de feud. cogn.* vbi ait, *quod si Dominus inuestiuit te de feudo Cameræ, & superuenerunt creditores, vt necesse habeat eis soluere, deducitur æs alienum, ne ipse Dominus egeat; quia hæc est natura talis feudi de Camera;*
44 & Zasius *in tract. feud. part.* 12. *num.* 37. *in* 10. *volum. tract.* docet, quod pensio non soluitur, si Camera ære alieno prematur; plus addit Maffitiens. *lib.* 5. *nou. recollect. leg. Hispan. tit.* 10. *lib.* 6. *Gloss.* 2. *num.* 30. nempè, quod 45
pensio annua à Principe concessa potest per eumdem Principem, vel etiam per protegem, ad libitum reuocari, ac tandem in casu, quod 46
Rex aliunde potest suæ necessitati subuenire, gratias scilicet, & pensiones, etiam ex causa remunerationis concessas; diminuendo, vel etiam suspendendo, non possit donatiuum, seu tributum à Vassallis petere, si Vniuersitates sunt multùm grauatæ, docent in terminis Valenzuela *consil.* 99. *punct.* 2 *num.* 29. *& seqq.* Scipio Rouitus *in consultatione de donatiuis, num.* 4. *& seqq. post. consil.* 200. Carolus de Tappia *decis.* 23. *num.* 83. Curtellius *de immunit. Eccles. lib.* 2. *quæst.* 79. *num.* 20. *& in Cod. Polit. ad leges Iacobi not.* 1. *num.* 6. *&* 7. & Rafaellius *de regim. Princip. lib.* 3. *in princip. num.* 4.



DVBITATIO VIII.

An, si Rex non potest aliunde suæ, & Regni necessitati subuenire modo aliquo ex dictis in Dubitationibus antecedentibus, donatiuum, vel tributum à Vassallis petere possit?




SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Rex si non potest aliunde, suæ, & Regni necessitati subuenire modo aliquo ex dictis in dubitationibus antecedentibus, donatiuum, vel tributum à Vassallis petere potest.*
2. *Donatiuum petendi, & imponendi tributum iusta causa est necessitas communis, vel certe magna vtilitas boni communis, si ei alia ratione Princeps subuenire non potest, vti quæ pertineant ad bonum publicum.*
3. *Princeps tenetur populum regere, ius dicere, hostes arcere, tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare.*
4. *Episcopus vt licitè possit petere à Clero subsidium charitatiuum causa iusta est Ecclesiæ necessitas aut magna vtilitas, qualis v. g. debitorum solutio eiusdem, defensioque contra hostes, &c.*
5. *Rex vt donatiuum petere possit requiritur primò, quod verè non possit aliunde suæ, & regni necessitati subuenire.*

6. *Secundò vt prius restringat statum suum, quatenus viuere sine dedecore potest.*
7. *Tertiò vt prius suspendat gratias, & pensiones etiam ex remuneratione concessas.*
8. *Quartò vt Regnum habeat vires sufficientes ad noua grauamina sustinenda.*
9. *Quintò vt causa petendi donatiuum, vel tributum constet esse iusta, vel si de ea sunt diuersæ opiniones, habeat saltem Princeps probabiles rationes, ob quas possit prudenter iudicare se hic, & nunc posse ob talem causam donatiuum, seu tributum petere.*
10. *Sextò quod tributum non sit maius, quam causa postulet, ex qua parte enim excedit est iniquum.*
11. *Septimo quod non continuetur diutius, quam causa exigat: ex quo enim tempore diutius continuatur, est etiam iniquum, seu iniustum; nisi noua causa similis, & æquè iusta superuenerit.*
12. *Octauò quod Princeps donatiuum, vel tributum, quod exigit, non insumat in alienos vsus, & in prodigas largitiones, & alias expensas inutiles, siue priuatas, siue publicas.*
13. *Populus non tenetur contribuere nisi ad id, quod necessitas boni publici requirit; si secus fiat, fraus est & rapina, pauperumque oppressio.*
14. *Is solum, qui in terris suis superiorem non agnoscit, vel qui à supremo Principe, vel à legitima præscripta consuetudine imponendi tributa potestatem habet; donatiuum petere, vel tributum imponere potest, absque eo quod peccet, ad restitutionem teneatur, & incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, quam incurrunt alij, siue in terris suis nouas gabellas imponant, siue veteres augeant, siue etiam impositas exigant.*
15. *Tributi impositio inter regalia numeratur.*
16. *Principes, seu Magistratus supremi solum à subditis accipere debent sumptus necessarios; Proreges vero, duces & gubernatores cæterique similes ab ipsis Principibus supremis, à quibus constituuntur.*
17. *Donatiuum petendi, & tributum imponendi iusta causa in genere est necessitas, vel magna Reipublicæ vtilitas.*
18. *Donatiuum petendi, & tributum imponendi iustæ causæ in specie multæ sunt.*
19. *Prima est ob adeptionem possessionis Regni.*
20. *Secunda est ob exercitum construendum contra hostes Regni.*
21. *Tertia causa est, si Regi proles nascatur, idque tam de iure communi, quam de iure municipali.*
22. *Exactio tamen donatiui fieri non debet ante prolis natiuitatem; quia fieri potest vt non nascatur.*
23. *Quarta causa est, si Rex ab hostibus capiatur, expedit enim Regno liberum suum Regem habere.*
24. *Quinta causa est si Rex expensas fecerit pro hospitio Papæ, Imperatoris, vel alterius Regis.*
25. *Principes sine iusta aliqua ex dictis causa si sine necessitate populum grauent nouis tributis aut quomodocumque petant aliquid, quod Vassalli rogati ob metum recusare non audent, non solum peccant peccato rapinæ, seu concussionis; sed etiam obligantur ad restitutionem.*
26. *Restitutio à Principe facile fieri potest, si collecta pecunia in fisco Principis conseruetur, & modus dictæ restitutionis recensetur casu maxime quod dicta pecunia consumpta sit.*
27. *Princeps licet subditis tributum nec imponere, nec impositum augere, nec donatiuum ab illis petere possit si fiscus ad publica onera substinenda, & Reipub. pericula auertenda sufficiens sit, in vno tamen casu solum non est censendum illum sufficere, si ita v. g. se depauperet, vt nihil remaneat, quo iuuari possit.*
28. *Officiales, seu executores, præsertim si præceptum exigendi commodè declinare non possunt, tributum, vel donatiuum exigunt sine peccato; quia quamdiu non adest moralis certitudo de iniustitia possunt præsumere, quod Princeps ita præcipiens causam habeat iustam ipsis incognitam.*
29. *Idem dic de dubio belli, & de sententia belli.*
30. *Idem tamen non dicas de Parlamentariis, qui se habent vt Iudices, & Consiliariis qui se habent vt directores.*



Espondetur affirmatiuè: videatur text. *in l.* 1. *Cod. de superindict.* vbi Gloss *lib* 10. *eadem Gloss in l. fin. in vers. idoneos, Cod. de annon & tribut. eodem libro, in l. vectigalia, ff. de publican. in l.* 1. *toto tit. Cod. noua vectigalia institui non poss. in cap. innouamus, de censibus*, vbi Doctores; text. notabilis *in l. comparationi, Cod. de excusat. muner. lib.* 10. Abbas *in cap. super quibusdam, de verbor. significat.* Innocent. *in dict. cap. innouamus*, vbi Butrius post Hostiens. Isern. *in verb. vectigalia, & in verb. extraordinaria collatio*, & vtrobique Afflict. & idem Afflict. *in rubr. quæ sint reg. & in decis.* 261. & ibi Adden: videatur etiam Cyn. Salicet. & Bald. *in l. neminem, Cod. de sacrosanct. Eccles.* & idem Bald. *in cap. conquerente, in fin. de offic. ordin.* Capic. *in* §. *firmiter de prohibend. feud. alienat.* & cum S. Thom. *in opuscul. ad Ducissam Brabantiæ* docent ex Theologis Molina *de iust. & iur. tract.* 2. *disput.* 667. *& seq.* Vasq. *opuscul. de restitut. cap.* 6. §. 2. *dub.* 1. *&* 2. Suar. *de legib. lib.* 5. *cap.* 14. *&* 15. Salas *de legib. quæst.* 96. *tract.* 14. *disput.* 15. *sect.* 10. *num.* 118. Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 5. Medina *Cod. de restitut. quæst.* 13. Alphonsus à Castro *lib.* 1. *de lege pœnali, cap.* 9. Rastellius *lib.* 3. *de regimin. Princip. pag.* 132. Turrianus *in* 2. 2. *tomo* 2. *disput.* 44. *dub.* 1. *&* 2. Aragon. *in* 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *num.* 372. Ledesma *tomo* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. Malderus 2. 2. *tractatu* 5. *cap.* 6. *dub.* 2. Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 12. *num.* 343. *&* 344. Molfes *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 38. 39. *&* 62. Sylvius 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 8. *conclus.* 1. Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Villalobos *in summ. tomo* 2. *tract.* 7. *dub.* 13. *n.* 4. *&* 5. Bonacina *tract. de contractibus disput.* 2. *quæst.* 9. *punct.* 1. Bartholom. à S. Fausto *in specul. Confess. disput.* 33. *quæst.* 2. & alij passim, tam Theologiæ, quam vtriusque Iuris Doctores. 1

2 Ratio autem est, quia in tali casu sic exigit bonum commune; & per omnes iusta causa petendi donatiuum, & imponendi tributum est necessitas communis, vel certe magna vtilitas boni communis (si ei alia ratione Princeps subuenire non potest) vt si v. g. necessarium is habeat ad securitatem viarum, ad stipendia militaria, ad reparationes Vrbium, vel viarum, aut ad alia similia opera publica instauranda; quo etiam spectat Principis conueniens sustentatio: nam & hæc etiam ad bonum publicum pertinet.

3 Confirmatur, quia Princeps tenetur populum regere, ius dicere, hostes arcere, tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare: ergo viciſsim tenetur populus necessarios ad hæc Principi sumptus subministrare. Consequentia probatur, quia *dignus est operarius mercede sua*; & hac ratione tributum dicitur iustum stipendium Principis; itavt possit Princeps si opus fuerit, cogere populum ad id præstandū, vt dicetur *infra dub.* 18.

4 Confirmatur secundò à pari; quia causa iusta, propter quam Episcopus licitè potest petere à Clero subsidium charitatiuum, est Ecclesiæ necessitas, aut magna vtilitas (qualis est v. g. vt magna eius debita soluantur, vt contra hostes defendatur, vel si opus fit multis sumptibus pro fabrica templi, pro profectione ad concilium, &c qua de re vide Remig. Gonnij *de charitat. subsidio, quæst.* 5 Bellencit. *quæst.* 16 & Azor. *tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 14. *quæst.* 4.) ergo sic &c.

5 Vt autem doctrina modò tradita locum habeat; requiritur, primò, quòd verè Rex non possit aliunde suæ, & Regni necessitati subuenire. Ratio quia alioquin re vera in necessitate non esset; atque ita docent Doctores in locis suprà cit.

6 Requiritur secundò, quòd prius restringat statum suum, quatenùs viuere sine dedecore potest modo explicato *dub.* 3. qua de re vide ibi: vide etiam Medin. *Cod. de restit. quæst.* 13. Less. *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 33. *dub.* 6. Vasq. *opusc. de restitut. cap.* 6. §. 1. 2. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 3. Rastell. *de regim. Princip. lib.* 3. *fol.* 151. Dian. *tom.* 1. *tract.* 3. *de Parlam. resol.* 4. & Regentem de Ponte cum aliis Iuristis, quos ipse adducit, & sequitur *in tract. de potest. Proregis tit.* 4. *de regalib. imposition.* Ratio, quia bonum commune anteferri debet priuato, etiam si Regis priuatum sit.

7 Requiritur tertiò, quòd prius suspendat gratias, & pensiones, etiam ex remuneratione, concessas; idque propter eamdem rationem; vt præcedenti dubitatione dicebatur.

8 Requiritur quartò, quòd Regnum habeat vires sufficientes ad noua grauamina sustinenda; quod in omni casu semper supponitur, & in suo loco diffusè probabitur.

9 Requiritur quintò, quòd, causam petendi donatiuum, vel tributum constet, esse iustam, vel (si de ea sunt diuersæ opiniones) habeat saltem Princeps probabiles rationes, ob quas possit prudenter iudicare se hic, & nunc posse, ob talem causam, donatiuum, seu tributum petere: nam si tales rationes non habet, vel certè non considerat (sit ne iustum, necne, quod agit, sed cœco more procedit) non potest illud petere; cum nesciat, an ius petendi habeat, & consequenter exigendo iniuriam populis infert; quapropter nisi postea constet causam fuisse iustam, ad restitutionem tenebitur; quia quod mala fide acquiritur, semper restitutioni restat obnoxium. Vide Suar. *de legib. lib.* 5. *cap.* 15.

Requiritur sextò, quòd tributum non sit maius, quàm causa postulet: ex qua parte enim excedit, est iniquum; cum quo ad eam partem non est necessitas; atque ita docent Doctores *in locis suprà cit.* 10

Requiritur septimò, quòd non continuetur diutius, quàm causa exigit: ex quo enim tempore diutius continuatur, est etiam iniquum, seu iniustum; idque propter eamdem rationem, quæ suprà dicebatur. Excipe, nisi noua causa similis, & æquè iusta, postea superuenerit, qua de re vide eosdem Doctores suprà citatos, & quæ dicebantur *dubit.* 3. *sect.* 2. 11

Requiritur octauò, quòd Princeps donatiuum, vel tributum, quod exigit, non insumat in alienos vsus, vt in prodigas largitiones, & alias expensas inutiles, siue priuatas, siue publicas Ratio, quia ad has populus non tenetur contribuere, sed solùm ad id, quod necessitas boni publici requirit: atque ita docet Angelus *verb. pedagium* §. 6. Caietanus *verb. vectigalia*, Suarez *de legibus lib* 5. *cap.* 15. Molfes *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 62. Medin. *Cod. de restit. quæst.* 13. & Petrus Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 255. vbi ait, quod si aliter fiat, tunc necessitas publica assumitur pro forma: reipsa verò fraus est, & rapina, pauperumque oppressio: quod maxime (inquit ipse) locum habet in vectigalibus, & tributis nouis, quorum causa, an & qualis fuerit, cognoscitur, aut saltem coniecturari facilè potest. Vide, quæ dicentur *infrà dubitatione sequenti.* 12 13

His adde, quod solum is, qui in terris suis Superiorem non agnoscit, vel qui à supremo Principe, vel à legitima præscripta consuetudine imponendi tributa potestatem habet, donatiuum petere, vel tributum imponere possit, absque eo, quòd peccet, ad restitutionem teneatur, & incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ (quam incurrant alij, siue in terris suis nouas gabllas imponant, siue veteres augeant, siue etiam impositas exigant; qua de re re vide *cap. quamquam de censibus in* 6. & Nauarr. *cap.* 27. *num.* 61. Molin. *tract.* 2. *tom.* 3. *priore disp.* 666. & Alphons. à Castro. *lib.* 1. *de lege pœnali cap.* 10.) Ratio; quia tributi impositio inter regalia numeratur, *lib.* 2. *feudor. cap.* 56. *quæ sint regalia*; & meritò, quia Principes, seu Magistratus supremi solùm à subditis accipere debent sumptus necessarios; Proreges vero, Duces, & Gubernatores, cæterique similes ab ipsis Principibus supremis, à quibus constituuntur, & continuantur. 14 15 16

Adde secundò, quòd (licet in genere iusta, & legitima causa petendi donatiuum, vel imponendi tributum, sit necessitas, vel magna Reipublicæ vtilitas, cui alia ratione subueniri non possit; quò etiam spectat Principis sustentatio, considerato statu, dignitate, ac meritis 17

eius in Rempublicam, vt suprà dicebatur) in
18 specie tamen iustæ causæ (quæ omnes reducuntur ad supradictas duas in genere) multæ sunt, quarum.

19 Prima est, ob adeptionem possessionis Regni: sicut enim pro noua Episcopatus possessione datur Episcopo subsidium charitatiuum, ita pro noua Regni possessione datur Regi donatiuum; atque ita docet Regens de Ponte *in cit. tract. de donis, & expensis Vniuersitatis, num. 2. cum seqq.* & probatur authoritate tam de Iure communi, quia ita habetur *in l. vnica, Cod. publica lætitia lib. 12.* vbi Gloss. & Doctores, quàm de iure municipali Regni Neapolis quia ita habetur *in constit. Regni quamplurium*; quæ constitutio, quamuis loquatur de Barone adipiscente possessionem terræ, extenditur tamen, & multò magis ad Regem, qui Regni possessionem adipiscitur; atque ita docet Gloss. & Isern. *in d. constit.* & Regens de Ponte *in tract. de potest. Proreg. tex. 4. de regal. impos. num. 46.*

20 Secunda causa est, ob exercitum construendum contra hostes Regni, *vt in dicta Regni constitut.* habetur: expedit enim Regno, hostes expelli: atque ita præter alios docet Frecc. de subfeudis, *lib. 2. in 2. Auctor. Baronis, num. 24. verb. versatur in hoc*; quod etiam procedit regulariter, quando bellum exercetur extrà Regnum: expedit enim Regno, vt bellum exerceatur distanter à Regno; atque ita docet Regens de Ponte *in tract. cit. tit. 4. de Regal. imposit. num. 47.* Vasquez *in opusc. de restitut. cap. 6. §. 3. dub. 2. num. 70.* & Turrian. 2. 2. *disput. 46. dub. 1. num. 5. cum. seqq.*

21 Tertia causa est, si Regi proles nascatur; idque tam de iure communi, vt probat Gloss. *in leg. placet in verb. extraordinariam, & in verb. canonicum de sacrosanctis Ecclesiis.* vbi etiam Iason *num. 19.* quàm de iure municipali vt habetur in dicta Constitut. Regni; ibi, *pro faciendo filio milite, vel pro maritanda, aut monacanda filia*: nam hoc ipso quod Regi proles nascitur, destinatur ad militiam pro fidei, & Regni defensione si mas est, si autem fœmina ad matrimonium carnale, vel spirituale; quod & procedit ante natiuitatem prolis, quia, cum agatur de fauore prolis, illa pro nata habetur vt sancitur *in leg. quod dicimus, ff. de verb. signif. & in leg. qui in vtero, ff. de statu hominum*; & ita in nonnullis Regni Neapolis generalibus
22 Parlamentis in praxi positum est; exactio tamen donatiui fieri non debet ante prolis natiuitatem. Ratio, quia fieri potest, quòd non nascatur; & ratio haberi debet ad id, quod euenire potest, *leg. si quis domum, §. idem quærit, ff. locati, & §. illud quæsitum*, vbi Gloss. *Institut. de rerum diuis.* & explicat Bart. *in leg. inter stipulantem, §. Sacram. num. 7. de verb. obligat. in l. si idem §. si vnam, num. 5. de iurisdict. omn. Iud.* & Valenzuola *in cons. 99. punct. 3. num. 52.*

23 Quarta causa est, si Rex ab hostibus capiatur, vt habet *dicta constitut. quamplurium*; tunc enim pro redimenda persona Regis Donatiuum præstari debet à Regno: expedit enim Regno, liberum suum Regem habere, à quo defendatur, & à quo iustitiæ administrationem, & abundantiam rerum recipiat.

Quinta causa est, si Rex expensas fecerit pro 24
hospitio Papæ, Imperatoris, vel alterius Regis, vt tradit Frecc. *in dicta 2. auth. Baronis per totam*, & Belluga *in rubr. 43. & 46.* Ratio quia tunc sic etiam exigere videtur bonum commune; sunt & aliæ in specie causæ, propter quas Regi donatiuum à Regno præstari debet vt videre est (ne sim longior) apud Gabrielem *in 4. disp. 15. quæst. 5. art. 3. concl. 3.* S. Anton. *part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 2.* Regentem de Ponte *in cit. tract. tit. 4. & 5. num. 28* & Molfesium *in summa, tom. 2. tract. 12. cap. 21. num. 69.*

Adde tertiò, quòd si Princeps sine iusta ali- 25
qua ex dictis causa; atque adeo sine necessitate populum grauet nouis tributis, aut quomodocumque petat aliquid, quod Vassalli rogati ob metum recusare non audent, non solùm peccat peccato rapinæ seu concussionis (vt loquitur Richard *in 4. dist. 15. art. 3. quæst. 2.* ex S. August. *de verb. Domini serm. 19. relato in cap. militare 23. quæst. 1.* ibi: *quicumque sibi stipendia publice decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator, & concussor Joannis sententia Luc. 3. condemnatur*) sed etiam (vt ex communi docet Sà *verb. gabella num.* [illegible]) obligatur ad restitutionem; quæ restitutio facile fieri 26
potest in casu, quod collecta pecunia in Fisco Principis conseruatur: poterunt enim tunc vel tributa ordinaria minui, vel extraordinaria, quæ futuro tempore propter aliquam occurrentem necessitatem exigi possent, omnino intermitti, & pecunia ante collecta ad talem vsum applicari: si verò pecunia tributi nomine collecta, à Principe vel antecessoribus ipsius consumpta sit, tunc difficile quidem est restitutionem facere; tenetur tamen Princeps ad hunc effectum, si alio modo restituere non potest, parcius viuere & restringere statum, quatenùs sine dedecore potest (vt suprà dicebatur) quamuis, si interim accidat, Rempublicam in periculum deuenire, vel ipsummet Principem non habere redditus sufficientes ad dignitatem status sui tuendam, teneatur populus ad nouam contributionem, cum sic exigat Regni bonum commune; eo tamen pacto, & conditione, vt si postea contingat, Principem ad meliorem fortunam deuenire, obligatus sit ad compensationem damni præstandam: quippe quod culpa propria ipsius, vel Antecessorum (in quorum commoda, & onera successit) Vassallis damnum illud illatum fuit; atque ita ex communi docet Mol. *tract. 2. tom. 3. prior. disp. 667.* & videri potest S. Anton. *part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 2.*

Adde quartò, quòd (licet Princeps subditis 27
tributum nec imponere, nec impositum augere, nec donatiuum ab illis petere possit, si Fiscus ad publica onera sustinenda, & Reipublicæ pericula auertenda sufficiens sit, sicuti ex supradictis colligi potest) tamen in vno casu solùm non est censendum, illum sufficere (vt rectè præter alios notauit Syl. *verb. gabella 4. quæst. 3.*) quando scilicet Princeps non potest se defendere, aut publicum bonum procurare, si ita se depauperet, vt nihil remaneat quo iuuari possit, casu quod iterum intra breue tempus ab aduersariis inuaderetur; maximè si

multos insidiatores habeat; tunc enim necessarius est thesaurus, eò quòd aduersarij illum scientes, magis timent; ideoque magis pacificè viuitur. Quæ doctrina tamen in tantùm vera est, in quantum rationabiliter periculum timetur in futurum, & non efficitur ad tegendam auaritiam. Vide quæ pro defensione Principum maiora interdùm ad debellandos hæreticos, & infideles donatiua petentium, scribit Vasq. *in opusc. tract. de restit. cap.* 5. §. 3. *dub.* 1. *& cap.* 6. §. 3. *num.* 55. & nos suo loco *infrà* dicemus.

28 Adde quintò, quòd (licet Officiales, seu executores, præsertim si præceptum exigendi commodè declinare non possunt, tributum, vel donatiuum exigant sine peccato; quia quamdiu non adest moralis certitudo de iniustitia, possunt, vt *sect. seq.* dicetur, præsumere, quòd Princeps ita præcipiens causam habeat
29 iustam, ipsis incognitam; idemque dico in
30 casu de bello dubio, & de sententia dubia) tamen alia ratio est de Parlamentariis, qui se habent, vt Iudices, & alia ratio est de Consiliariis, qui se habent vt directores: hi enim, cum ad ipsos ex officio spectet de iustitia donatiui, vel tributi cognoscere, non possunt eius impositionem, vel actionem decernere, vel consulere, aut Principi eam proponere, nisi tum tributi imponendi potestatem, tum etiam iustitiæ probabilitatem rectè cognoscant; Qua de re vide Caietan. *verb. vectigalia*, Medinam *Cod. de restit. quæst.* 7. Petrum Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 167. Vasq. *de restit. cap.* 6. §. 3. *num.* 73. Suar. *de legib lib.* 5. *cap.* 15. Reginald. *lib.* 10. *num.* 374. Megal. 1. 2. *instit. Confess. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 40. Molfes. *in summ. tomo.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 73. Less. *lib.* 2. *de iustit. & iur. cap.* 17. *dub.* 7. & Rastell. *lib.* 3. *de Regim. Princip. p.* 161.



SECTIO II.

An in dubio de Iustitia Tributi peccet, & ad restitutionem teneatur exactor?

SVMMARIVM.

1. *Exactor, qui est subditus Principis, & obediendia compulsus exigit, si dubium sit an tributum sit iustum, vel iniustum aliis scilicet affirmantibus, aliis vero negantibus, non peccat, neque tenetur ad restitutionem.*
2. *Obedientia excusat in dubio à peccato.*
3. *Compulsus exequi sententiam, quam ipsi non constat esse iniustam, vel ire ad bellum quod ipsi non constat esse iniustum, excusatur per omnes à peccato mortali, & ab obligatione restitutionis, etiam si postea sententiam, vel bellum iniustum fuisse deprehendatur.*
4. *Superioris in dubio conditio melior est qui ius imperandi possidet.*
5. *Inferior in dubio iudicium suum Superiori debet submittere, & obsequium debitum ei non denegare; secus tamen esset, si Superior suus dubitaret, & dubitanter imperaret.*
6. *Non Compulsus, aut non subditus, non potest ad talia dubia tributa exigenda se sponte offerre, nisi tantam sciat esse Principis probitatem, & prudentiam, vt merito possit in iudicio illius acquiescere, alioquin mortifere peccabit exponens se periculo cooperandi iniustitia Principis; sicque secundario in defectum Principis ad restitutionem tenebitur contra nonnullos contrarium non improbabiliter sentientes.*
7. *Exactor in opinione Doctorum asserentium quod in tali casu non peccat non est excommunicatus in Bulla Cœnæ quando dubitatio de iustitia tributi oritur ex dubitatione de potestate tributum imponentis.*
8. *Idem etiam dicendum est de aliis censuris, quia vtpotè pœnæ graues, graue peccatum etiam requirunt.*
9. *Excusatus ob ignorantiam à peccato, ignorantia enim, inconsideratio, & obliuio æquiparantur, cùm æquè tollant voluntarium saltem perfectum, à censura etiam excommunicationis, suspensionis, & personalis interdicti, saltem totalis excusari debet; nec non & probabiliter ab irregularitate ex delicto etiam propter eamdem rationem.*
10. *Item neque est excommunicatus in opinione eorum, qui docent, quod exactor mortaliter peccat, nisi à parte rei, is, qui imposuit deprehendatur potestate caruisse; quia Ecclesia sub censura non punit peccatum putatiuum.*
11. *Exactor cum dubio exigens, si is, qui imposuit, verè caruit potestate, ab initio excommunicatus censeri debet; quia mala fide exegit.*



Espondetur *ex dictis* cùm Caietano *verb. vectigalia* §. *occurrunt*, si dubium est, an tributum sit iustum, vel iniustum (aliis scilicet affirmantibus, aliis verò negantibus) exactor, qui est subditus Principis, & obedientiâ compulsus exigit, non peccat, nec ad restitutionem tenetur; idque ex communi sententia Doctorum; quia obedientia excusat in dubio; sicuti subditus, qui compellitur exequi sententiam, quam ipsi non constat esse iniustam, vel compellitur ire ad bellum, quod ipsi non constat esse iniustum, excusatur per omnes à peccato mortali, & ab obligatione restitutionis, etiamsi postea, sententiam, vel bellum iniustum fuisse, deprehendatur. Ratio, quia in dubio melior est conditio Superioris, qui ius imperandi possidet; quare meritò inferior, in dubio iudicium suum Superiori debet submittere, & obsequium debitum ei non denegare; secus tamen esset, si Superior suus dubitaret, & dubitanter imperaret. Ratio, quia tunc sciret subditus, non habere Superiorem suum ius imperandi, iuxta ea, quæ dicebam *sect. præcedenti*; Si verò

non est subditus, aut non compellitur, non potest ad talia dubia tributa exigenda se sponte offerre, nisi tantam sciat esse Principis probitatem, & prudentiam, vt meritò possit in iudicio illius acquiescere; alioquin mortifere peccabit, exponens se periculo cooperandi iniustitiæ Principis, sicque secundariò in defectum Principis ad restitutionem tenebitur (nisi postea deprehensum fuerit, causam iustam fuisse) quia in tali casu mala fide exegit, & lata culpa damnum intulit.

Contrarium, & non improbabiliter sentiunt alij, vt Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. num.* 278. Suarez *tract de charitate disput.* 13. *sect.* 6. *num.* 11. *&* 12. & Tanner. *in* 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 4. *num.* 49. qui vniuersaliter docent, quòd quiuis subditus (siue compellatur, siue non compellatur) possit in omni negotio Principi credere, si de iniustitia eius non constat; quia in dubio quilibet tenetur quemlibet præsertim Principem, bonum præsumere: hæc opinio est probabilis, sed nostra est probabilior ob rationem *suprà* dictam.

7 An autem talis exactor sit excommunicatus in Bulla Cœnæ, quando dubitatio de iustitia tributi oritur ex dubitatione de potestate tributum imponentis?

Respondetur, in opinione eorum, qui docent quod exactor in tali casu non peccat mortaliter certum est, quod non sit excommunicatus. Ratio quia excommunicatio maior supponit peccatum mortale, sicuti docent Caiet. *in summ. ver. præcepti transgressio*, Palud *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 2. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 9. Gabr. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *corol.* 2. Soto. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl* 1. Conarr. *cap. alma part.* 1. §. Auila *part.* 2. *cap.* 1. *disp.* 1. *dub.* 2. aliique communiter, & sumitur *ex cap. nemo Episcoporum, cap. nullus Sacerdotum* 11. *quæst.* 3. & Trid *sess.* 25. *cap* 3. *de reformat.* & ratio est, quia pœna debet esse commensurata culpæ, *cap. Felicis de pœnis in* 6. sed excommunicatio maior est grauissima pœna, vtpotè gladius spiritualis ac neruus Ecclesiasticæ disciplinæ teste Trid. *cit cap.* 3. ergo grauem, seu mortalem culpam necessariò supponit.

8 Idem etiam de aliis censuris docet ex communi Ægid. *disput.* 15. *dub* 8. *num* 68. & ratio est, quia aliæ censuræ etiam (sicuti ferri solet) magnis commodis spiritualibus priuant; quapropter, vtpote pœnæ graues graue peccatum etiam requirunt; atque ita contra nonnullos docent Suar. *de censur. disput.* 4. *sect.* 4. Vasq. 1. 2. *disput.* 158. *cap.* 5. *num.* 48. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 4. *num.* 54. & alij quamplures Doctores.

9 Hinc sequitur, quòd quotiescumque aliquis ob ignorantiam, vel animi passionem, vel ob inconsiderationem vel obliuionem legis, aut præcepti (ignorantia enim, inconsideratio, & obliuio æquiparantur, cum æquè tollant voluntarium, saltem perfectum) à grauitate mortalis culpæ excusatur, à censura etiam excommunicationis, suspensionis & personalis interdicti, saltem totalis, excusari debet; nec non, & probabiliter ab irregularitate ex delicto etiam propter eamdem rationem, vt inter alios docuit Sanchez, *lib.* 9. *disput.* 32. *num.* 17.

In opinione autem eorum, qui docent quòd exactor mortaliter peccat, adhuc dicendum est, quòd non sit excommunicatus, nisi à parte rei is, qui imposuit deprehendatur potestate caruisse. Ratio, quia Ecclesia sub censura non punit peccatum putatiuum, seu ex conscientia erronea, sed peccatum quod sit reale, tam quoad formale, quàm quoad materiale ipsius peccati. 10

Quod, si is qui imposuit, verè caruit potestate, exactor cum dubio exigens ab initio excommunicatus censeri debet; quia mala fide exegit, quod exigi non poterat; & ità accomodantur ipsi verba Bullæ Cœnæ, *& cap. quamquam de censibus in* 6. vide Nauarr. *cap.* 27. *num.* 61. *&* 70. 11



DVBITATIO IX.

An, si Rex non potest aliunde suæ, & Regni necessitati subuenire, ex eo quòd sua culpa, v. g. ludis, conuiuiis, profusis largitionibus, bellis inconsultis, & temerè gestis, ac tandem expensis inutilibus, siue priuatis, siue etiam publicis, ærarium exhauserit, & in egestatem inciderit, donatiuum, vel tributum à Vassallis petere possit?

SVMMARIVM.

1. *Rex etiam si sua culpa ærarium exhauserit, & in egestatem inciderit potest donatiuum, vel tributum à Vassallis petere, si alia ratione non potest publicum malum auertere.*
2. *Rex, quod sua culpa in egestatem inciderit, non obstat dummodo per donatiua, vel tributa, quæ de nouo exigit, vel iam imposita auget, prouideat bono publico, quod ne ruat hic, & nunc ita exigit.*
3. *Rex imputare debet suam propriam egestatem quoad culpam, non autem quoad pœnam.*
4. *Prædicta vt locum habeant debent verificari dicta in præcedenti dubitatione.*
5. *Item requiritur quod verè Rex suæ, & Regni necessitati aliunde non possit subuenire de suo.*
6. *Rex propter bellum faciendum, & propter similia negotia publica exercenda si non habet de suo, quod sufficiat, potest recipere à subditis, & quando periculum est in mora etiam ab vna Ciuitate, quin & à particulari persona, & postea diuidere per Prouincias.*
7. *Rex quando proprium marsupium non sufficit ad dictum effectum, potest collectas imponere.*
8. *Rex, vt differat à Tyranno debet esse propter Regnum, & non è contra.*

9. *Item requiritur quod Rex cum ad meliorem fortunam redierit, compenset Vassallis damnum extraordinarium istud, quod ex tali impositione est iis illatum, quia culpa sua istud intulit.*

1 Respondetur affirmatiuè, si Rex alia ratione non potest publicum malum auertere. Ratio, quia hic, & nunc sic exigit bonum commune; & subditi in publica necessitate tenentur Regi subuenire, quia inopia Regis tenderet in perniciem Regni; quare, vt vrgenti necessitati possit Rex prouidere poterit *ex dictis*, hic, & nunc donatiunm, seu tributum petere, vel vetus impositum augere.

2 Nec obstat, quòd Rex culpa sua in egestatem inciderit; dummodò per donatiua, vel tributa, quæ de nouo exigit, vel iam imposita auget, prouideat bono publico, quod, ne ruat, hic, & nunc ita exigit; atque sic contra Gabrielem *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 5. *art.* 5. *conclus.* 2. S. Antoninum *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 13. §. 2. Medinam *Cod. de restitut. quæst.* 13. docent communiter Doctores; Molin. *de iust. & iur. tract.* 2. *quæst.* 667. Vasq. *opuscul. de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. *num.* 24. Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6. *num.* 48. Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *disput.* 44. *dub.* 2. *num.* 5. Molfes *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 72. Malder. 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 4. Rastellius *de regimin. Princip. pag.* 131. Bartholom. à S. Fausto *in specul. Confess. disput.* 33. *quæst.* 11. & alij passim.

3 Obiicies: Rex in tali casu sibi imputare debet suam propriam egestatem, ergo.

Confirmatur; quia subditi non tenentur sustinere onera ob regimen malum Regis, sed tenentur solùm, quando Rex donatiuis, vel tributis indiget, ob publicam vtilitatem, vel necessitatem.

Respondetur, distinguendo antecedens, Rex in tali casu sibi imputare debet suam propriam egestatem, quoad culpam, concedo; quoad pœnam etiam nego: damnum enim inde sequeretur toti communitati.

Ad confirmationem respondetur, quod hic, & nunc (consequenter scilicet ad culpam commissam à Rege) verè Rex indiget donatiuis, vel tributis, ob publicam vtilitatem, cui semper *ex dictis* tenentur subditi subuenire in tali casu.

4 Vt autem, quæ dixi, locum habeant.

Requiritur primò, quòd verificentur requisita, quæ in *præcedenti dubitatione sect.* 1. dicebantur.

5 Requiritur secundò, quòd verè Rex suæ, & Regni necessitati aliundè non possit subuenire de suo; sicuti *dub.* 3. dicebam, & præter Theologos ibi citatos cum S. Thoma *in opusculo ad*

6 *Ducissam Brabantiæ*, docet Cyn. *in l. neminem, Cod. de sacrosanct. Eccles.* vbi subdit, quòd Rex propter bellum faciendum, & propter similia negotia publica exercenda, si non habet de suo, quod sufficiat, potest recipere à subditis, & (quando periculum est in mora) etiam ab vna Ciuitate, quin & à particulari persona, & postea diuidere per Prouincias, idemque docet Bald. *in cap. conquerente in fin. de offic. ordin. & in dict. leg. neminem*, vbi ait, quod quando proprium Regis marsupium non sufficit ad 7
dictum effectum, potest Rex collectas imponere; idem docent *ibidem* Salic. & Innoc. idemque docent etiam Doctores *in cap. innouamus de censibus.* Capic. *in* §. *firmiter de prohib. feud. alien.* per Fred. Afflict. *in rubr. quæ sint regalia num.* 90. *& in decis.* 201. *& ibi* Addentes; secus, si Rex potest de suo; quia tunc Rex re vera 8
non est in necessitate; tum, quia, vt differat à tyranno, debet ipse esse propter Regnum, & non è contra; vt omittam, quod bonum Regni redundat in bonum Regis, sicut & destructio Regni redundat in destructionem Regis: vires enim Regis non insident, nisi in viribus Regni; vt *alibi* dicebam.

Requiritur tertiò, quòd Rex, cum ad melio- 9
rem fortunam redierit, compenset Vassallis damnum extraordinarium istud, quod ex tali impositione est iis illatum. Ratio, quia culpa sua illud intulit; atque ita docent S. Anton. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13. §. 2. Med. *Cod. de restit. quæst.* 13. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6. Molin. *tract.* 2. *tom.* 3. *disput.* 667. Vasq. *in opusc. de restit. cap.* 6. §. 1. *num.* 24. Molfes. *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 72. & Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 3. vide, quæ dicebantur *Dubitat.* 8. præcedenti.



DVBITATIO X.

An Rex, si non potest aliunde suæ, & Regni necessitati subuenire, etiam ex eo, quod culpa sua (vt ludis, conuiuiis, &c.) in egestatem inciderit, possit à Vassallis mutuum exigere, vel iis debitas solutiones differre?

SVMMARIVM.

1. *Rex si non potest aliunde suæ, & Regni necessitati subuenire etiam ex eo quod culpa sua in egestatem inciderit, potest à Vassallis mutuum exigere, vel iis debitas solutiones differre.*
2. *Princeps ob publicas necessitates non solum potest ad mutuandum cogere subditos; sed etiam ad mutuandum potest Ciuitas cogere Ciues; quia in publicis necessitatibus attendi debet bonum commune.*
3. *Rex potest in casu necessitatis sumere de Prouincia, quin & de Ciuitate, & deinde grauamen istud ad compensationem faciendam diuidere per Regnum.*
4. *Rex in casu necessitatis potest sumere bona*

subditos particularium, & deinde cum habebit illis soluere pretium.

5. *Rex in casu necessitatis potest etiam sumere bona Ecclesiæ, soluto tamen pretio, cum in bono communi Reipublicæ includatur etiam bonum Ecclesiæ; & è contra.*

6. *Rex in casu necessitatis potest augere valorem pecuniæ, illamque cudere de vili materia, vt de ferro, corio, &c. debet tamen necessitate cessante damnum subditorum compensare.*

7. *Pecuniæ restituendæ valor attendi debet de tempore contractus, non de tempore restitutionis.*

8. *Rex pro ornatu Ciuitatis, pro viis ampliandis, pro porticu facienda, potest priuatorum domus diruere, ædificia impedire, & similia præstare; debet tamen imponere collectam soluendam per eos, qui commodum ex iis reportant.*

9. *Rex in casu necessitatis potest cogere homines vt seruiant mediante salario, in Regiis Triremibus pro Rimeriis, &c.*

10. *Capitulum tertium concessum Ciuitati Neapolis anno 1554. per Carolum V. ne pendente appellatione ad Sacrum Concilium detenti in carcere ad triremes interim transmittantur, non est seruatum in praxi ex causa publicæ necessitatis.*

11. *Homines qui in casu publicæ necessitatis compelluntur, vt mediante salario inseruiant pro Rimeriis, vel pro fodiatoribus, debent esse facinerosi, vel saltem Vagi, & inutiles, non autem bibulci, & similes.*

12. *Recensentur plures causæ necessariæ, vt Rex, quæ modo dicta sunt facere possit.*

13. *Rex si concedat aliquibus immunitatem à soluendis tributis, vnde alij plus grauentur, iniqua est ista concessio.*

14. *Rex, si subditis imponat tributum, quod æquè pauperes, ac diuites soluere debeant, iniustum est tributum istud.*

15. *Rex si taxet pretium frumenti, vel vini, & similium, ita vt vna pars Ciuitatis, v.g. taxam seruare debeat, & non alia; iniqua est etiam ista taxatio; nisi iusta aliqua causa huiusmodi discrimen postularet.*

16. *Rex vt compenset damnum subditis illatum neruos omnes intendere debet, vel de proprio si redierit ad meliorem fortunam, vel de communi imponendo postea cum potuerit grauamen vniuersale super omnes & singulos.*

1 Respondetur affirmatiuè; atque ita docent ex communi Maior. *in 4. d. 15. quæst. 34.* Layman. *lib. 3. tract. 3. cap. 3. num. 2.* & ex Iuristis Luc. de Pen. *in leg. 1. Cod. vt rust. ad null. obseq.* Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit. 4. de regal. impositione. & tit. 2. num. 6. vbi (* authoritate Angeli, & aliorum, vt Auend. *in tract. de exequut. mandat. reg cap. 14. vers. quartus casus, lib. 2. & cap. 19. num. 34. lib. 1.* & Iacobi *in tit. de homag. num. 35.* & Recentiorum Adden. ad Andr. *in tit. quæ sint regalia, in verb. & extraordinaria collatio, vers. manus suas ad iniquitatem in fin.)* docet. quod ob publicas necessitates,
2 non solùm potest Princeps ad mutuandum cogere subditos, sed etiam ad mutuandum potest Ciuitas cogere Ciues; & ratio est, quia in publica necessitate (vti *suprà* dicebam) non attendi debet bonum, vel damnum particulare; sed beneficium commune, quod multo magis refert; præsertim cum in beneficio communi includatur beneficium particulare. Vide Pasqualigum *in suis decisionibus, decis.* 425.

Confirmatur, quia in casu necessitatis (vti dicebam *dubit. præcedenti, & dub. 4* & docent Cyn. *in l. neminem, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & Regens de Ponte *loco citato num. 3.*) potest 3
Rex sumere de Prouincia, quin & de Ciuitate, & deinde grauamen istud ad compensationem faciendam diuidere per Regnum.

Confirmatur secundò, quia & in casu ne- 4
cessitatis (vti dicebam *cit. dubit. 4. & ex* Isern. docet Regens de Ponte *loco suprà cit. num 38.*) potest Rex sumere bona subditorum particularium, & deinde cum habebit illis soluere pretium.

Confirmatur tertiò, quia & in casu necessi- 5
tatis (vti docent nonnulli Doctores) potest Rex sumere, etiam bona Ecclesiæ, soluto tamen pretio; cum in bono communi Reipublicæ includatur etiam bonum Ecclesiæ; sicut & in damno communi Reipublicæ includitur etiam damnum eiusdem Ecclesiæ.

Confirmatur quartò quia & in casu neces- 6
sitatis (vti docebam eadem *dub. 4.* & docent Innoc. Ioan. Andr cœterique Doctores *in cap. quanto de iureiur.* Item & Andr. *in verb. vectigalia, num. 23. quæ sint regal.* & Regens de Ponte vbi *suprà num. 36.*) potest Rex augere valorem pecuniæ: illamque cudere de vili materia, vt de ferro, corio, &c. & statuere vt tanquam bona, expendatur; quamuis inde priuatis magnum damnum sequatur, quod tamen postea, necessitate cessante, debet Rex illis compensare. Vbi aduerte, quòd in casu quòd 7
sit auctus valor pecuniæ & fiat postea restitutio creditori pecuniæ creditæ, attendi debet valor pecuniæ, prout erat tempore contractus; non autem, prout est tempore restitutionis: qua de re vide *cit. dub. 4.*

Confirmatur quintò, quia & pro ornatu 8
Ciuitatis, vt pro viis ampliandis pro porticu facienda, & similibus (vt dicebam *eadem dub.* 4. & docet ex Lanario Regens de Ponte *loco cit. num. 66.*) potest Rex priuatorum domus diruere, ædificia impedire, & similia præstare: Vbi aduerte, quòd in tali casu debet Rex imponere collectam soluendam proportionaliter ab iis, qui inde commodum reportant, sicuti rectè præter alios notauit Regens de Ponte *in loco suprà cit.*

Confirmatur sextò, quia in casu necessitatis 9
(vti dicebam *cit. dub. 4.* & docent Ripa *tit. de remed. prætcr. num. 217* & Regens de Ponte *loco citato, num. 49.*) potest Rex cogere homines, vt seruiant, mediante salario, in Regiis Triremibus pro rimeriis, & in transmittendo exercitu contra hostes pro fodiatoribus, &c. quod inde magis probatur, quia per Regias constitutiones, capitula, & Pragmaticas Regni tenentur Baronales Vassalli inseruire Baronibus pro seruitiis necessariis; ergo multò magis

id concedendum est Regi; & in specie ita habetur *in constit. Reg. incip. quia frequenter*, vbi Afflict. & Frecc. *lib.* 2. 24. author. Baron. & *in capitulis Regni ad regale fastigium, & in cap. finis præcepti charitas in fin.* & ratio est, quia id fit in Regni necessariam defensionem, propter publicam vtilitatem, cui postponi debet priuata; quapropter capitulum tertium concessum
10 Ciuitati Neapolis anno 1554. per Carolum V. *in lib. Capitulorum Ciuitatis, fol.* 153. ne, pendente appellatione ad Sacrum Concilium, detenti in carcere ad triremes interim transmittantur, non est seruatum in praxi ex causa publicæ necessitatis, sicuti testatur Regens de Ponte *loco suprà cit. num.* 55.

11 Vbi aduerte, quod homines, qui in casu publicæ necessitatis compelluntur, vt mediante salario inseruiant pro rimeriis, vel pro fodiatoribus, debent esse facinorosi, vel saltem vagi, & inutiles, non autem bibulci, vel similes, qui vacant agriculturæ, vt rectè notarunt Ripa, & Regens de Ponte *locu supra cit.* & ratio est, quia alioquin impediretur annona, quæ quamplurimùm facit ad bonum commune.

Sed de hac materia, quid scilicet possit facere Rex in casu publicæ necessitatis, vide *cit. dubitationem quartam per totam.*

Vt autem, quæ modo dicta sunt, locum habeant.

12 Requiritur primò, quod Rex obseruet priùs, quæ dicebantur dubitatione octaua & nona, nempe, quod non insumat, quod exegit à Vassallis, in alienos, & inutiles vsus. Secundò quod causam petendi euidenter, vel satis probabiliter iustam habeat. Tertiò, quod non petat plus, qnam causa exigit. Quartò, non continuet diutiùs, quam exposcit necessitas. Quintò, quod reuerà necessitati publicæ de suo prouidere aliunde non possit. Sextò, puod restringat priùs statum suum. Septimò, quod suspendat omnes gratias, & pensiones, etiam ex causa remunerationis concessas. Octauò, quod, cum redierit ad meliorem fortunam, damnum læsis compenset, & similia, *vt ibidem dicebatur.*


Requiritur secundò, quod Rex necessitati publicæ non possit subuenire aliundè, neque de suo, neque de communi (grauando scilicet commune) siue quia instat necessitas, & periculum est in mora; siue quia commune hic & nunc est exhaustum, & sic impotens ad subueniendum Regi; alioquin enim in publica necessitate (cum publica necessitas spectet ad omnes, & singulos) non Vassallos particulares, sed omnes, & singulos grauare deberet, idque seruata æqualitate proportionis geometricæ, secundum eorum vires, & facultates; sicuti rectè docet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Syluest. *verb. lex, quæst.* 5. Vasq. *disp.* 155. *cap.* 1. Carbo *lib.* 6. *de legibus, disp.* 10. Suarez. *lib.* 1. *de legibus, cap.* 9. *num.* 14.

13 Hinc, si Rex concedit aliquibus immunitatem à soluendis tributis, vnde alij plus grauantur, iniqua est Regis ista concessio, sicuti etiam præter Doctores supra citatos, annotauit Abb. *in cap.* 2. *de immunit. Eccles. num.* 16. Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de lege pœnali capit.* 1. & *capit.* 5. *docum.* 2.

Item, si Rex subditis imponit tributum, quod æquè pauperes, ac diuites soluere debeant, v. g. singuli denos aureos, iniustum est etiam istud tributum; quia licet grauentur omnes, non tamen grauantur omnes, seruata æqualitate proportionis geometricæ, secundùm eorum vires, & facultates. 14

Item, si Rex taxat pretium frumenti, vel vini, & similium, ita vt vna pars Ciuitatis v. g. taxam seruare debeat, & non alia, iniqua est etiam ista taxatio. Excipe, nisi iusta aliqua causa (*vt suprà dicebatur*) huiusmodi discrimen postularet. 15

Requiritur tertiò, quod Rex postea compenset damnum subditis illatum, vel de proprio, si redierit ad meliorem fortunam; vel de communi, imponendo postea, cum potuerit, grauamen vniuersale super omnes, & singulos, attenta proportione geometrica, *vti suprà dicebam.* 16




DVBITATIO XI.

An assignare certam summam pecuniæ pro sustentatione Regis, vel pro regimine & defensione Regni necessariæ, spectet ad Regem, vel potiùs ad Parlamentum.

SVMMARIVM.

1. *Ad Regem spectat assignare certam summam pecuniæ pro sustentatione Regis, vel pro regimine, & defensione Regni necessariæ, non autem ad Parlamentum.*
2. *Altaris ministris de iure naturali, & diuino debetur sustentatio, quota assignatur à Pontifice, decima scilicet pars fructuum, ad quam reducta est omnis obligatio, quæ iure natural & diuino spectabat ad dictos altaris ministros sustentandos.*
3. *Regibus etiam de iure naturali, & diuino tributum debetur, hinc quota tributorum ab ipsis assignabitur.*
4. *Limita, dummodo moraliter aliud in contrarium non constet; quia semper & in omni casu præsumptio cedere debet veritati.*
5. *Rex in tantum summam iam semel taxatam potest in Regno continuare, in quantum reuera illa indiget: alioquin pro parte, arbitrio boni viri tenetur illam remittere.*
6. *Rex si de nouo indiget, de nouo potest petere; Hinc si abundet de nouo tenetur remittere; nisi ex altera parte maius immineat malum, v. g. bellum, vel simile.*
7. *Non obstat quod forsan Rex Regnum bello, atque armis vindicauerit, & sic potuerit imponere tributum exorbitans & cur.*

1 Respondetur, spectare ad Regem; atque ita docet Alphons. Castr. 1. *lib. de lege pœn. cap.* 10. & Vasquez *in opusc. de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 1. & Ratio est, quia, cum Regibus, & cœteris habentibus supremam potestatem, congrua de iure naturali (vt latissimè probat idem Alphons. Castro. *loc. suprà citat.* & ego dicebam *dub.* 8. debeatur sustentatio, quæ ad dignitatem decenter sustentandam, & ad Regnnm, vel Prouinciam ab hostibus tuendam sufficiat) videtur ex pacto tacito inter Regem, & Regnum (si ex pacto explicito tale debitum ad certam pecuniæ summam redactum non fuit) relictum arbitrio Regis, vel supremi Principis (qui illius Regni, vel Prouinciæ curam habet) iustam pecuniæ summam assignare pro iis, quæ regimini, & defensioni ipsius Regni, vel Prouinciæ necessaria sunt; idque ex consensu ipsius Regni, seu populi; cum in principio id determinare non curauerit Regnum, seu populus, ex cuius consensu electus fuit Rex, aut Princeps, &c.

2 Confirmatur, quia, cum de iure naturali, & diuino debeatur altaris ministris sustentatio, quota assignatur à Pontifice: (decima scilicet pars fructuum, ad quam reducta est omnis obligatio, quæ iure naturali, & diuino spectabat ad dictos altaris ministros sustentandos)

3 ergo cum de iure naturali, & diuino debeatur etiam tributum Regibus, quota in impositione tributorum assignabitur à Rege: consequentia probatur: quia vtrobique est eadem ratio, & obligatio.

4 Aduerte tamen, quod, quæ dixi, intelligenda sunt, dummodo moraliter aliud in contrarium non constet, nempè quod Rex ad fines supradictos hic & nunc euidenter moraliter superexcedentem pecuniæ summam petat: nam (vti docet Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 10. *num.* 31. & Soccin. *lib.* 2. *consil.* 164. *volum.* 5.) recedendum est, etiam ab expressa assertione Regis, cum de veritate in contrarium moraliter constat; quia semper, & in omni casu præsumptio cedere debet veritati. Vide quæ suprà dicebam *dubit.* 2. vide etiam Gloritium *in responsione pro Ciuitate Messanæ respons.* 1. *part.* 3. *num.* 13. *& seqq.*

5 Aduerte secundò, quod in tantum summam iam semel taxatam potest postea Rex in Regno continuare, in quantum reuera illa indiget: alioquin pro parte, arbitrio boni viri, tenetur illam remittere. Ratio, quia Rex (vt sit Rex, & non Tyrannus) non tantùm suam, sed & Regni, imò magis Regni tenetur necessitatem attendere; cum Rex sit propter Regnum, & non è contra.

6 Confirmatur, quia Rex, si de nouo indiget, de nouo potest petere, ergo si de nouo non indiget sed abundat, de nouo tenetur remittere: & licet taxatio illa sit antiqua, tamen, si Rex non indiget (maximè si populis est onerosa, vt sine magno eorum incommodo non possit exigi) tenetur in conscientia, prout Ratio dictauerit, illam remittere, propter rationes, quas *suprà dicebam.*

Excipe, nisi ex altera parte maius immineat malum, v. g. bellum, vel simile, cui necessarium sit prouidere; quia tunc tenentur subditi minus malum sustinere, vt huic maiori malo succurratur.

Neque obstat, quod forsan Rex Regnum 7 bello, atque armis vendicauerit, & sic potuerit imponere tributum exorbitans; nam (vt omittam, quod forsan, & subditi etiam Regi præsto fuerunt, & opem illi tulerunt in bello, & tunc cessat instantia) adhuc subditi non debent ita grauari, vt cùm detrimento magno totius Regni tributa soluant, maximè si Rex non indiget, quia hoc ipso, quod Rex est, debet potiùs bonum commune, quam proprium particulare procurare; cum in bono communi contineatur proprium particulare, & in viribus, & potentia Regni insideant vires, & potentia Regis; sicut è contra in destructione Regni insidet destructio Regis, vti pluries dicebam.



DVBITATIO XII.

An, si iam esset assignata certa pecunia summa pro sustentatione Regis, & pro regimine, & defensione Regni necessaria, ex pacto inter ipsum, & Regnum inito, possit Rex, ex aliqua iusta causa de nouo adueniente, nouum tributum, seu donatiuum petere, vel antiquum augere pro defensione eiusdem Regni, & pro sustentatione status Regij?

SVMMARIVM.

1. *Rex potest ex aliqua iusta causa de nouo adueniente, nouum tributum, seu donatiuum petere, vel antiquum augere pro defensione eiusdem Regni, vel pro sustentatione status Regij, etiam si iam pro his assignata fuerit certa pecuniæ summa.*
2. *Rex, & quicunque alius Princeps supremus potest vltra possessiones, & redditus sibi assignatos, etiam ex pacto cum Vassallis à se, vel à suis antecessoribus inito, noua tributa imponere, vel antiqua augere, quotiescumque patrimonium sibi assignatum hic & nunc sufficiens non esset suæ congruæ substentationi, secundum Regiam dignitatem, vel secundum necessitates publicas Regni.*
3. *Rex pro temporum necessitate potest imponere tributa, vel imposita augere prout necessitas sua, & Regni postulauerit; quia sic exigit in tali casu bonum commune.*
4. *Rex tenetur nouam operam, & industriam præstare, si Regno aduenerit noua necessitas, & è contra.*
5. *Regnum tenetur de iure naturali præstare*

Regi conuenientem sustentationem secundum dignitatem Regiam; quare si noua necessitas Regi adueniat, non noua obligatio imponitur, sed exigitur naturalis.

6. *Prædicta procedunt suppositis viribus Regni, & cæteris requisitis dictis dubit. 8. & 9.*

7. *Rex licet vendiderit, & donauerit oppida, & tributa Regia; cum id fecerit in remunerationem laboris acti in bello, si necessitas de nouo superueniat adhuc potest petere, & imponere tributum.*

8. *Rex semper manet cùm suprema potestate, & cura illius oppidi, quod vendit, aut donat, cum ille, cui venditur, aut donatur, maneat semper Regi subiectus.*

9. *Rex tempore Belli debet defendere loca etiam à se vendita, seu donata; quamuis Baro etiam onus defensionis pro parte sua subire debeat.*

10. *Rex in illis Oppidis, quæ vendidit, aut donauit, si conueniens eius sustentatio ita postulat, potest imponere noua tributa, quæ ipsi vt supremo Domino, habenti merum & mixtum imperium semper debentur propter curam, quam adhuc habet in iustitia illis administranda.*

11. *Baro tantum in eo statu, & iure, quo venditum, vel donatum sibi oppidum fuit, tributa exigere potest, nihil autem de nouo imponere, vel augere, quia supremam potestatem non habet, & ad ipsum cura de communi non spectat.*

12. *Oppida, & tributa Regia ex iusta causa, & rationabili necessitate arbitrio boni viri, vendi, & donari possunt licite, etiam si Regium patrimonium lædatur, & in hoc rationabiliter inuiti non sunt Regis successores.*

1 RΕspondetur affirmatiuè; atque ita docet Gabriel *in 4. dist. 15. quæst. 5. art. 2. concl. 3.* Molfes *in summa tom. 2. tract. 12. cap. 22. num. 70.* Turrian. *2. 2. tom. 2. disput. 45. dub. 2. num.*
2 8. qui omnes docent, posse Regem aut quemcumque alium supremum Principem, vltra possessiones, & redditus sibi assignatos, etiam ex pacto cum Vassallis à se, vel à suis antecessoribus inito, noua tributa imponere, vel antiqua augere, quotiescumque patrimonium sibi assignatum hic & nunc sufficiens non esset suæ congruæ sustentationi secundùm Regiam dignitatem, vel secundùm necessitates publicas Regni, idque propter multa, quæ solent accidere, in quibus de nouo tenentur Vassalli Regi prouidere, vt bene aduertit Gabriel. vbi *suprà*, & S. Antonin. 2. *part. cap.* 13. §. 11. *tamen.* ex S. Thom. *ad Ducissam Brabantiæ*; Idem docet Vasq. *de restitut cap. 6. §. 1. dub. 1. num.*
3 18. vbi ait, quod Rex pro emptorum necessitate potest imponere tributa, vel imposita augere, prout necessitas sua, & Regni postulauerit. Idem etiam docet Regens de Ponte *de test. Proreg. tit.* 5. *num.* 29. qui citat Frecciam, & alios; Et ratio, quoad necessitatem Regni, est clara; quia sic exigit in tali casu bonum commune, qua de re vide, quæ dicebatur *dub.* 8. Quoad necessitatem autem Regis, etiam est clara; quia, quod Rex habeat conuenientem statui suo sustentationem; etiam spectat ad bonum commune, vt *citat. dub.* 8. dicebamus.

Confirmatur, quia si Regno aduenit noua 4
necessitas, tenetur Rex nouam operam, & industriam præstare, ergo è contra, si Regi aduenit pro persona sua noua necessitas, tenetur Regnum nouum subsidium, & stipendium etiam præstare.

Confirmatur secundò, quia (cum Regnum 5
teneatur de iure naturali præstare Regi conuenientem sustentationem secundùm dignitatem Regiam) si Rex pro necessitate sua de nouo adueniente nouum subsidium petit, non nouam obligationem Regno imponit, sed exigit antiquam naturalem, qua tenetur omne Regnum Regi suo conuenientem sustentationem præbere, iuxta statum dignitatis regiæ.

Hæc autem intelligo, suppositis viribus Re- 6
gni, & cœteris requisitis, quæ *dubit.* 8. & 9. dicebantur.

Obiicies, saltem ad id non tenetur Regnum in casu, quod Rex oppida, vel tributa Regia vendidit, aut donauit alioquin si Rex in tali casu petere potest, poterit & quilibet Baro (si de nouo indigeat) nouum tributum petere.

Respondeo, disparitas est, quia, cum 7
Rex vendendo, vel donando oppida, & tributa Regia quæ habet, iure id faciat, nempe in remunerationem laboris in bello, vel alia iusta de causa, vel quia ex iis venditis pecuniam accipiens, prouidet instanti necessitati suæ, vel Regni fit, quod meritò propter necessitatem de nouo postea aduenientem nouum subsidium petat, & quod etiam merito Regia tributa exigat is, cui Rex illa concessit, quia manet idem finis tributorum, scilicet bonum commune, propter quod opus fuit, vendi tributa & oppida Regia, vel aliquando donari. Adde quod Rex semper manet cum suprema 8
potestate, & cura illius oppidi, quod vendit, aut donat (cum ille, cui venditur, aut donatur, maneat semper Regi subiectus; vnde 9
tempore Belli Rex debet defendere, quamuis Baro etiam onus defensionis pro parte sua subire debeat) consequenter, si communis necessitas, vel vtilitas, (quo spectat, & Regis conueniens sustentatio, vt *dub.* 8. dicebam) ità 10
postulat, potest adhuc Rex in ijs oppidis, quæ vendidit, aut donauit, imponere noua tributa, quæ ipsi, vt supremo Domino, habenti merum, & mixtum imperium, semper debentur propter curam, quam adhuc habet in iustitia illis administranda, & in ipsis (quando oportuerit) defendendis; quæ omnia in Barone locum non habent; vnde non mirum, si Baro 11
tantum in eo statu, & iure, quo venditum, vel donatum sibi oppidum fuit, tributa exigere potest, nihil autem de nouo imponere, vel augere, quia supremam potestatem non habet, & ad ipsum cura de communi non spectat. Vide quæ dicebam *cit. dub.* 8. vbi reddebam rationem, quare vectigalis, & tributi impositio inter regalia numeretur, & solum ad supremos Principes spectet.

Cœterùm, quod ex iusta causa, & rationa- 12

bili necessitate, arbitrio boni viri (etiamsi Regium patrimonium lædatur) licitè à Rege vendi, vel etiam donari aliquando possint oppida, & tributa Regia, quodque in hoc rationabiliter inuiti non sint Regis successores, docent propter rationes iam dictas Mol. *de iust. & iur. tom. 3. prior. disp.* 673. Bertachinus 1 *part. de gabellis quæst.* 9. & Vasq. *in opusc. de restit. cap.* 6. §. 1. *dub.* 1. *num.* 15. quamuis quamplures Iuristæ oppositum sentiant, sicuti *dub.* 7. notabam.

At quid dicendum, si Rex vendendo, vel donando oppida, aut tributa regia, & similia, fuerit in culpa, ità vt culpa propria in necessitatem inciderit. Respondetur ideo sit.



DVBITATIO XIII.

An si, iam assignata ex pacto inter Regnum, & Regem inito certa pecuniæ summa pro Regno, & sustentatione Regis necessaria, culpa propria Rex patrimonium Regium exhauriendo, in egestatem inciderit, possit de nouo ex noua causa iusta adueniente tributum, seu donatiuum à Vassallis petere, vel antiquum augere?

SVMMARIVM.

1. *Rex etiam si culpa propria patrimonium Regium exhauriendo in egestatem inciderit, potest de nouo ex noua causa iusta adueniente, tributum, seu donatiuum à Vassallis petere, vel antiquum augere etiam assignato ex pacto eidem præstimonio contra nonnullos oppositum affirmantes.*
2. *Auctoris ratio pro parte affirmatiua est bonum publicum, quia sic hic, & nunc exigit, cum Regis inopia euidenter tendat in perniciem Regni; vnde vt imminenti ex sua inopia malo prouideat, erit ei licitum de nouo imponere, vel imposita augere tributa.*
3. *Prodigalitas Regis quomodo coercenda.*
4. *Rex etiam culpa sua captus ab hostibus, expediens est reipublicæ vt redimatur contra Medinam, Gabrielem, & Sanctum Antoninum.*
5. *Reijcitur Doctrina Gabrielis affirmantis Sanctum Thomam stare pro sua sententia, cum ibi tantum dicat non posse Regem tributa imponere pro sola libidine, vel pro iniusto bello gerendo; quia ad hunc finem non debentur tributa Regi.*
6. *Episcopus potest de nouo exigere subsidium charitatiuum si Ecclesiæ publica necessitas, aut magna vtilitas id requirat, & qualis sit ista necessitas.*
7. *Episcopus potest de nouo exigere subsidium charitatiuum moderatum tamen vt Ecclesia, & Clerici non nimis grauentur, & commensuratum ad necessitatem instantem.*
8. *Episcopus, si Clerici recusent præstare eidem subsidium charitatiuum, potest ad id eos excommunicationis censura compellere.*
9. *Si deficit charitas valere debet potestas.*
10. *Episcopus in tali casu pro his necessitatibus potest sibi retinere fructus.*
11. *Doctrina Bellincini, & Bellugæ asserentium quod si Episcopus propria culpa in necessitatem inciderit, non sit à Clero illi contribuendum, limitatur vt non tam facile illi contribuatur si exigat pro mera priuata sua necessitate; secus si pro necessitate Ecclesiæ.*
12. *In dubio inter Episcopum & Clerum de causæ æquitate ad superiorem recurrendum est.*

Respondetur affirmatiuè; atque ita 1 docent Vasq. *in opusc. de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. Molfes. *in summa, tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 70. & Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 45. *dub.* 2. *num.* 8. contra Medinam *quæst.* 5. *art.* 1. *concl.* 2. *casu* 3. & S. Anton. 2. *part. cap.* 13. §. 2. (qui docent, quòd si Rex in tali casu tributa noua imposuerit, vel imposita auxerit, teneatur quod de nouo imposuit, vel auxit, restituere; & subdunt, id adeò esse verum, quod si Rex in bello ex parte sua iniusto ab hostibus capiatur, neque etiam possit pro sua ipsius redemptione noua tributa imponere vel imposita augere, absque eo, quod ad restitutionem similiter teneatur.)

Ratio autem responsionis nostræ affirmatiuæ contra hos Doctores (quod scilicet, licet Rex patrimonium consumpserit, & debita contraxerit iniustè, v. g. bello inutili, & iniusto vel libidini, & desiderio dominandi inseruiens, &c. adhuc tamen non prohibetur noua tributa imponere, vel imposita augere est, quia sic hic, & nunc exigit publicum bonum; cum 2 Regis inopia euidenter, tendat in perniciem Regni; vnde vt imminenti ex sua inopia malo prouideat erit Regi licitum de nouo imponere, vel imposita augere tributa, quæ sufficiant conseruationi Regni in futurum: nam cum hostes (præcipuè potentes) meritò timeantur, oportet; vt Rex vim eorum possit reprimere, & sic habere Thesaurum, & redditus, quibus milites conducat, & bellum gerat, sicuti rectè notauit Gabriel *loco suprà cit.* Neque refert, quod Rex in inopiam inciderit culpa sua; modo tributis de nouo impositis, vel de nouo auctis re vera prouideat bono communi, quod alioquin rueret, & destrueretur in damnum singulorum.

Differentiam tamen hîc ponunt aliqui; 3 nempe, quòd si Rex absque culpa sua, sed propter bonum publicum in inopiam incidit, possit toties quoties imponere, vel augere tributa, quæ sufficiant necessitati publicæ & etiam suæ, nempe decentiæ status; quod si autem culpa sua, & non ob bonum publicum, semel, ac iterum in inopiam incidit possit ipsi Regnum meritò (præsertim si decentiæ status Regis solùm deseruiant) tributa negare, & ipsius Regni negotia, si de Regis prodigalitate ti-

meatur, per Ducem, qui fideliter ea administret, exercere; quod tamen ego non admitto, nisi solùm in casu, quòd certò de Regis prodigalitate in damnum commune constaret.


4 Similiter nec admitto, quod Medina, Gabriel, & S. Antonin. *suprà* docebant, scilicet non posse pro redemptione Regis, si ab hostibus captus fuerit, tributa imponi, vel imposita augeri: nam, si Rex captus sit ab hostibus, expediatque bono publico, vt redimatur (quod vt plurimùm sic expedire videtur, etiamsi ille sua culpa, & in bello iniusto ex parte sua, captus fuerit) absque dubio noua tributa imponi, vel imposita augeri ob eandem rationem, quam supra afferebam, debebunt.

5 Nec oppositum (vt existimat Gabriel) docet S. Thom. *in epist. ad Ducissam Brabantiæ*: ille enim ibi tantùm dicit, non posse Regem tributa imponere pro sola libidine, vel pro iniusto bello gerendo, quia ob hunc finem non debentur tributa Regi, quod nemo negauerit; At alia ratio est in casu nostro, etiamsi culpa sua Rex in id inciderit; cum in tali casu (sicuti dicebam) militet alia ratio, quod scilicet sic hìc & nunc exigit bonum commune, quod alioquin rueret, & destrueretur in damnum singulorum.

6 Confirmatur à pari: nam si Ecclesiæ publica necessitas, aut magna vtilitas (qualis est, v. g. vt grauia eius debita soluantur; vt contra hostes defendatur; item si multis sumptibus opus sit pro Ecclesiæ fabrica, vel lite, aut profectione ad Concilium, Papam, vel Imperatorem, &c. qua de re Remig. Gonius *de charit. subsidio, quæst.* 5. Barthol. Bellincin. *quæst.* 16. & Azor. *tom.* 2. *lib* 9. *cap.* 14. *quæst.* 4. exigit de nouo vt subueniatur Episcopo, potest de nouo Episcopus exigere à Clero subsidium
7 charitatiuum (moderatum tamen, vt Ecclesiæ, & Clerici non nimis grauentur; & commensuratum ad necessitatē instantem, *c. conquerente*
8 *de offic. ordin. & ibi* Anton. de Butrio) itavt, si in tali casu Clerici præstare illud recusent, possit ad id Episcopus eos excommunicationis censura compellere, sicuti colligitur *ex cap. cùm Apostolus, de censibus*, §. *prohibemus*, & *ex cap. conquerente*, *de officio ordinarij*, & docet Innoc. *in cit. cap. cum Apostolus*, & *ibi* Anton. de Butrio, Belle. *quæst.* 15. Gonnius *quæst.* 8. & Azor. *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 2. &
9 ratio est, quia in tali casu (aiunt illi) si deficit charitas, valere debet potestas (quapropter in
10 tali, & simili omni alio casu potest Episcopus pro suis necessitatibus fructus retinere, *cap. vno, in fin.* & Clement. *frequens, de exces. Prælat.* nedum in subsidium compellere) ergo sic in casu nostro; atque ita in terminis nostri casus Ioannes Andr. *in nouella super verbo, necessitatibus* cum Belluga *de donat. rubr.* 46. *in vers. sunt*, & *alia munera*, trahit hinc argumentum quòd Domini subditorum possint pro suis necessitatibus subditos collectitare.

11 Quod verò Bellincinus, & Belluga *in loc. suprà cit.* aiunt, si Episcopus propria culpa in necessitatem, v. g. in grauia debita inciderit, non esse à Clero illi contribuendum, ex eo, quia culpę suæ Episcopus in tali casu debet imputare, *cap.* 1. *de ætate*, & *qualitate*, & *cap. ex parte, de consuetud.* id ego intelligo, vt non tam facile illi contribuatur; vel, si quod exigit Episcopus, exigat, vt subueniatur meræ priuatæ suæ, & non publicæ vtilitati: nam, si sit Ecclesiæ grauis, & manifesta necessitas, omninò debent Clerici Episcopo subuenire, sicuti de Laicis in ordine ad Principem suum supra dicebam; quod tamen intelligo, suppositis viribus Regni cæterisque requisitis, quæ *suprà dubit* 8 & 9. dicebantur.

Aduerte tamen hìc, quod, si dubium est inter Episcopum, & Clerum de causæ æquitate, ad superiorem (quoniam Episcopus, & Clerus superiorem habent) recurrendum est (sicuti docet Gloss. *in cit. cap cum Apostolus, verb. rationabilis*) vel arbitri consensu partium statuendi sunt sicuti docent Bellincinus *quæst.* 17. & Azor *tom.* 2. *lib.* 9. *c.* 14. *quæst.* 4. quæ in casu nostro de Rege in ordine ad Regnum, cum is superiorem non habeat, locum non habent. 12



DVBITATIO XIV.

An possit Rex propter bella, & sumptus quos, sustinet in vno Regno, grauare cætera Regna, petendo ab his donatiuum, vel tributum?

SVMMARIVM.

1. *Rex potest propter bella, & sumptus, quos sustinet in vno Regno, grauare cætera Regna, petendo ab his donatiuum, vel tributum.*
2. *Primo quia id cedit in bonum, & excellentiam Regis, cuius bonum & excellentiam Vassalli debent procurare tributis si commodè possunt.*
3. *Secundò quia id cedit in bonum totius, cuius bonum naturaliter appetit pars.*
4. *Tertiò quia id cedit etiam in bonum ipsius Regni tanquam partis; nam expedit Regno habere Regem potentem.*
5. *Quartò quia expedit Regno Regem arcere hostes ab ipso Regno, gerendo bellum in partibus longinquis ab ipso Regno.*
6. *Rex vbi est cum exercitu irruens in hostes, ibi est Territorium Regis, & sic tenentur Vassalli seruire, ac armis præsto adesse Regi, etiam progrediendo fines Regni, præsertim si timeatur incursus hostium, & hostes arceri in remotissimas partes necessarium sit Regno.*
7. *Dicta superius locum habent si Rex gerit bellum contra infideles, vel hæreticos: nam tunc cedit etiam in bonum fidei, & Christianæ Religionis.*
8. *Nec Hispaniarum Regi, nec Regiæ Monarchiæ expedit relinquere Flandriam, & deserere Italiam, & cur.*

1 RESpondetur, affirmatiuè, atque ita sentiunt ex Theologis Vasq. *in opusc. de restit. cap. 6. §. 3. dub. num. 7.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disput. 46. dub. 1, num. 5. & 6.* & ex Iuristis Curtellus *de immunit. Eccles. lib. 2. quæst. 29.* & Baldus, Andreas, Capycius, & Lucas de Penna apud Regentem de Ponte *de potest. Proregis tit. 4. num. 47.* & probatur.

2 Primò, quia id cedit in bonum, & excellentiam Regis, cuius bonum, & excellentiam Vasalli debent procurare tributis, si (vt 8. & 9. *dubit.* notabam) commodè possunt; imo etiam (vt cum Luc. de Pen. *in leg. 1. Cod. vt rust. ad null. obseq.* dicebam *dub. 4. sect. 10.*) propriis sumptibus, in casu, quod redditus Regni non sufficiant; quia iura Regni non patiuntur, vt Rex cum magno suo dedecore relinquat Regna, quæ, vel iure hæreditario, vel bello iusto capta, ad ipsum spectant.

3 Secundò, quia id cedit in bonum totius, cuius bonum naturaliter appetit pars; cum bonum totius redundet in partem.


4 Tertiò, quia id cedit etiam in bonum ipsius Regni, tanquam partis? nam expedit Regno, habere Regem potentem cum multis Regnis: sic enim Rex magis timetur ab hostibus, & consequenter faciliùs seruat pacem, & tranquillitatem in Regno.

5 Quartò, quia expedit Regno, Regem arcere hostes ab ipso Regno, gerendo bellum in partibus longinquis ab ipso Regno, vt rectè dixit Andr. *in cap. 1. §. sed nec est alia iustior. num 40. vers. quid ergo, quæ sit prim. caus. benef. amittit.* & Curtellus *loco suprà cit.*

6 Vide text. *in cap. 1. §. si verò contigerit, de nou. for. fidel.* & Baldum *in cap. 1. quibus caus. feud. amitt.* qui rectè subdit, quod, vbi est Rex cum exercitu irruens in hostes, ibi sit territorium Regis, & sic teneantur Vassalli seruire; ac armis præstò adesse Regi, etiam progrediendo fines Regni, præsertim si timeatur incursus hostium, & hostes arceri in remotissimas partes, necessarium sit Regno, sicuti notauit Camerarius *in l. imperialem fol. 64. de prohib. feud. alien.* Andreas de Georg. *de feud. lib. 1. cap. 57.* Iassonus *de antef. fol. 228. num. 237. & fol. 294. num. 21.* & Curtellius *loco suprà cit. & in Cod. Siculo ad leg. 4. Iacobi not. 52. fol. 76.* Vide etiam Luc. de Pen. *cit. leg. 1. Cod. rust.*

7 *ad null. obseq.* Quæ omnia magis locum habent, si Rex gerit bellum contra infideles, vel hæreticos: nam tunc id cedit etiam in bonum fidei, & christianæ religionis, quæ est in superiori ordine ad omnia temporalia.

8 Hinc patet ad illud, quod nonnulli obijciunt: relinquat Rex Flandriam, deserat Italiam, &c. vno suo antiquo Regno contentus; quod & sibi, & Vassallis maioris vtilitati erit: nam respondetur ex dictis, id non expedire Regi, nec Regis Monarchiæ nec fidei, & religioni Christianæ, nec etiam ipsi Regno, etsi propter defensionem alterius Regni grauetur.



DVBITATIO XV.

An Rex cum possit propter bella, & sumptus, quos sustinet in vno Regno, grauare alia Regna, possit etiam grauare Regnum Neapolis, petendo ab hoc donatiuum, vel tributum?

SVMMARIVM.

1. *Capitula quædam intercesserunt inter Papam Honorium, & Federicum Imperatorem ad euitandam iniquitatem impositionum, quas immanis ille in his Regnis vtriusque Siciliæ imposuerat.*
2. *Rex Hispaniarum habet hoc Regnum vtriusque Siciliæ in feudum ab Ecclesia, sicuti patet ex tributo, quod in vigilia Apostolorũ Principum singulis annis summo Pontifici solemniter, & publicè præstat.*
3. *Rex solum vigore dictorum Capitulorum in quatuor casibus potest gabellas imponere; in aliis vero non sine consensu summi Pontificis.*
4. *Primus casus est pro defensione Regni, si contingat inuadi Regnum defensione notabili siue graui, non procurata &c. aut si contingat in eodem Regno grauis rebellio.*
5. *Secundus est pro Regis persona redimenda.*
6. *Tertius est pro Militia sua, vel fratris sui consanguinei, aut vterini, vel alterius consanguinei &c.*
7. *Quartus est pro maritanda sorore simili coniunctione sibi coniuncta, vel aliqua ex filiabus, vel Neptibus suis &c.*
8. *Quantitas vltra quam Regi non licet progredi imponendo, & exigendo tributa recensetur in eodem Regno tam vltra quam citra farum, & concurrentibus in vno eodemque anno pluribus ex quatuor dictis casibus, vna tantum in vno eodemque anno collecta imponi potest.*
9. *Publica necessitas requiritur in omnibus recensitis quatuor casibus, vel pietas erga proprium Principem, & qualis sit ista publica necessitas.*
10. *Capitula Papæ Honorij seruari consueuerunt in quantum sunt rationabilia, & allegentur ad id quod est rationabile contra nonnullos asserentes ea non esse in vsu.*
11. *Regnum Neapolis non tenetur subministrare Regi, vt ipsi defendantur cætera Regna, vbi recensentur priuilegia, & Capitula diuersa.*
12. *Priuilegia, & Capitula prædicta cum Regno constent ingenti sanguine, ne dum ingenti pecunia, sicque cum sint remuneratoria, atque adeo per modum contractus ad inuicem obligantis habita, toties que iurata, de vigore in-*

stitiæ seruanda sunt. Aliàs tenentur restituere donatiua olim accepta.

13. *Conditione ruente, ruit & ipse actus, qui sub conditione gestus est.*

14. *Rex licet propter bella possit grauare cætera Regna, non tamen potest grauare Regnum Neapolis.*

15. *Rex quod grauet Regnum Neapolis vt defendat cætera Regna non est consuetudo, neque tolerantia approbatiua; sed potius permissiua; præsertim quia Papa singulis annis in Bulla cœnæ expresse reclamat,*

1 RESpondetur: de hac re vide Capycium in sua inuestit. *in cap. feudorum clausulæ in verb. irrogatur autem, pag. mihi* 118. Andr. *in tit. quæ sint regal. in verb. extraordinaria collatio num.* 62. Regentem de Curtis *in* 2. *part. diuersor. iuris feud. cap.* 3. *num.* 148. & Molfes *in summa tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 63. qui tradunt, quod ad euitandam iniquitatem impositionum, quas immanis ille Federicus Imperator in his Regnis vtriusque Siciliæ imposuerat, intercessit inter Papam Honorium (cum Regna hæc sint patrimonium B. Petri, & sedis Apostolicæ; vt post alios docet Molfes. *tom.* 2. *ad consuetud. Neap. in proemio quæst.* 3. *num.* 25. Azorius *part.* 2. *moral. lib.* 11. *cap.* 5. *quæst.* 4. Restaur. Castald. *in tract. de Imperat. quæst.* 53. *num.* 18. & Regens de Ponte *de potest. Proreg.*
2 *tit.* 11. *num.* 20. Subdentes, quod, cum Rex Regnum hoc habeat in feudum ab Ecclesia, sicuti patet ex tributo, quod in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli singulis annis summo Pontifici solenniter, & publicè præstat, nullo modo subsit Imperio) & Regem huius Regni
3 capitulatio, quod solùm in quatuor casibus sequentibus possit Rex gabellas imponere; in aliis verò non, sine consensu summi Pontificis, directi Domini, qui Regnum concessit.

4 Primus casus est pro defensione Regni, si contingat, inuadi Regnum inuasione notabili, siue graui, non procurata, non simulata, non momentanea, siue facilè transitoria, sed permanente, sicuti *dubit. seq.* dicetur. Aut si contingat in eodem Regno notabilis, siue grauis rebellio, quæ similiter non sit simulata, non procurata, non momentanea, siue facilè transitoria, sed permanens.

5 Secundus est pro Regis persona redimenda, si eam ab hostibus captiuari contingat.

6 Tertius est pro militia sua, vel fratris sui consanguinei, aut vterini, vel alterius consanguinei, vel alicuius ex liberis suis, cum se, vel huiusmodi fratrem suum, vel aliquem ex liberis, &c. decorabit cingulo militari.

7 Quartus est pro maritanda sorore, simili coniunctione sibi coniuncta, vel aliqua ex filiabus, aut neptibus suis, seu qualibet alia ex genere suo, ab eo per rectam lineam descendente, quam ipse dotabit.

8 In his itaque quatuor casibus, prout casus imminentis qualitas tunc exiget, licebit Regi collectam imponere; dummodò tamen pro defensione, inuasione, seu rebellione, aut ipsius Regis redemptione 50. millium, pro militia 12. millium, pro Maritagio verò 15. millium vnciarum auri summam collectæ vniuersalis per totum Regnum, tam vltra, quam citra farum, quantitas non excedat, & concurrentibus in vno, eodemque anno pluribus ex quatuor dictis casibus, vna tantùm in vno, eodemque anno collecta imponi possit.

In eadem capitulatione subduntur hæc alia verba: *sicut autem collectæ quantitatem prædictas summas in suis casibus limitatas excedere (vt præmittitur) prohibemus, sic non permittimus indistinctè ad ipsas extendi, sed tunc tantùm, cùm casus instantis qualitas id exposcit; & vt in prædictis etiam casibus possit Rex, qui pro tempore fuerit, eo cōmodius vitare grauamina subditorum, quo vberiores fuerint redditus, & obuentiones ipsius, eum à donatione domaniorum volumus abstinere, id sibi consultius suadentes, &c.* sic in capitulis Papæ Honorij.

Vbi aduerte, quod omnes prædicti quatuor 9 casus respiciunt publicam necessitatem, vel pietatem erga proprium Principem: licet enim de iure communi non sit præscripta causa, nec quantitas imponendi gabellas, omnes tamen hæ requirunt causam publicam (*vt suo loco dicetur*) v. g. quod imponantur pro bello contra infideles, hæreticos, vel schismaticos; pro defensione regni, pro redemptione Regis, vel filiorum eius, si in bello capti fuerint; pro aduentu Regis in Regnum; pro maritanda filia, vel nepti; pro constructione, vel refectione viarum, pontium, fontium, aut mœnium, & similium; pro custodiendis pascuis communibus, vel similibus aliis publicis necessitatibus. Vide S. Thom. *in epist. ad Ducissam Brabantiæ*, S. Anton. Caiet. Sylu. quos refert, & sequitur Megalius 1. 2. *instit. confess. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 39. Azor. *part.* 3. *instit. Moral. lib.* 5. *cap.* 23. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 41. & 42. Vasquez *in opusc. de restit. cap.* 6. §. 1. *num.* 23. & *seqq.* & Suar. *disput.* 21. *de censur. sect.* 2. *num.* 36. & 37.

Dices, Capitula Papæ Honorij abrogata esse 10 per consuetudinem in contrarium.

Respondetur; nego antecedens, *vt infrà in Responsione ad tertium.* Adde, quod Andr. *in cap.* 1. §. *sed ne est alia iustior, quæ sit prima caus. benef. amitt.* expresse habet, quod Capitula Papæ Honorij seruari consueuerint (in quantum sunt rationabilia) & allegentur ad id, quod est rationabile, vt ibi per eum *in* 1. *addit. col. fin. in princip.* quem allegat, & sequitur Camer. *pag. mihi* 84. *lit. F.* & Capycius *in sua inuest. ver. feuda pro dote vers.* nec est omittendum; Et in eadem sua inuest. *in cap. feudorum clausulæ, ver. irrogatur autem*, dicit, quod casus collectandi in Regno sunt limitati per Capitula Papæ Honorij, & extra illos non potest Regnum aliquo modo collectari; idemque docet Andr. *in tit. quæ sint regal. verb. extraordinaria collatio num.* 26. vbi etiam dicit, quod Capitula Papæ Honorij fuerunt condita ad tollendos malos abusus, & iniquas leges Federici Imperatoris, & ad releuamen Regni, sicque in bonum etiam Regnantis; quia bonum Regni redundat in bonum Regnantis; sicut & malum Regni redundat in malum Regnantis:

destruere

destruere enim Regnum est Regem ipsum destruere, cum vires Regis non insideant, nisi iis viribus Regni, sicuti *suprà* dicebam.

11 Adde primò, quod extat apud Regentem Moles decisio Cameræ, eaque confirmata, tanquam vera, & iuridica, à Catholico Philippo II. quod non teneatur Regnum Neapolis, vtpote diuisum ab aliis Regnis, quæ Rex noster habet, subministrare Regi, vt ipsi defendantur cœtera Regna.

Adde secundò, quod quantum spectat ad Ciuitatem, extant Capitulationes, & priuilegia concessa à magno Capitanio *in capit.* 27. & confirmata à Rege Catholico Ferdinando *in cap.* 32. sub ista forma *che la Città di Napoli per qualsiuoglia causa non possa esser astretta à pagamento alcuno de noua impositione, de impronto, donatiuo, ò pagamento, simponesse per il Re, vicere, locotenente, capitaneo seu Officiale suo ex quacumque causa vrgente, & vrgentissima, etiam si fuisse pro statu Reipublicæ, & totius Regni conseruatione atteso la sua grande inopia, & pouertà:* idem habetur *in cap. Regn. incip.* statuimus, mandamus, & volumus *in fin.* vide Regentem de Ponte *tit.* 2. *num.* 7. & 8. *fol. mihi* 48. vbi affert aliud capitulum concessum per Regem Ferdinandum primum; quòd scilicet Ciuitas non possit obstringi, non solùm ad donandum, sed nec etiam ad mutuandum, sub istis verbis: *che sua Maestà prometta non Sforzare, ò vero astringere alcun Cittadino della detta Città per via d'impronto, ò qualcunque essattione, & in tit.* 4. *de regal. impositION. num.* 33. docet, quod ideò licèt Ciuitas interueniat in Parlamento, tamen dum tractatur de donatione facienda Regi, non interuenit, nec habet votum; quia ipsa non donat; & est immunis ex vi suorum priuilegiorum, sicque seruatur in praxi.

12 Hæc autem priuilegia, & capitula, cum Regno constent ingenti sanguine ne dum ingenti pecunia, sicque cum sint remuneratoria, atque adeo per modum contractus ad inuicem obligantis habita, totiesque iurata, de rigore iustitiæ seruanda sunt; præsertim quia Reges in quam plurimis donatiuis acceptis priuilegia illa seruare promiserunt; quapropter si modo non seruant, restituere donatiua illa in conscientia tenentur, sicuti rectè dixit Molina *de iust. & iur. tom.* 3. *disp.* 667. *num.* 7. præsertim, quia donatiua prædicta sub ista conditio-

13 ne facta fuere; & de ratione actus conditionalis est, vt conditione ruente, ruat & ipse actus, qui sub conditione gestus est.

14 Obiicies primò, potest rex propter bella, & sumptus, quos sustinet in vno Regno, grauare alia Regna, *vt dubitatione antecedenti* dicebam: ergo & Regnum Neapolis.


Respondetur: nego consequentiam, & disparitas patet ex dictis.

Obiicies secundò: contingere potest, quod Rex, vt defendat aliquod Regnum, re vera indigeat, & sic opus habeat grauare Regnum Neapolis: ergo saltem in tali casu poterit illud grauare.

Respondetur: nego etiam Consequentiam: nam ex dictis potiùs in tali casu grauare debet alia Regna, quæ habet, & non Regnum Neapolis: Quod si in dicto casu Regna illa vires sufficientes forsan non habent, & Regnum Neapolis ex alia parte abundat, recurrat Rex ad Papam directum Dominum, qui talem licentiam concedat.

Obijcies tertiò, quod Rex, vt defendat cœtera Regna, grauet etiam Regnum Neapolis, est consuetudo longa, & antiqua, quam summus Pontifex scit, & tolerat, ergo saltem implicitè Pontifex consentit in illam. 15

Respondetur: distinguo Antecedens, tolerat tolerantia approbatiua, nego, tolerantia permissiua, ad euitanda scilicet maiora mala, & inconuenientia, concedo: ergo implicitè consentit in illam, nego consequentiam; præsertim quia singulis quibusque annis in Bulla Cœnæ expressè reclamat, annullando omnia priuilegia, consuetudines, & præscriptiones, tanquam corruptelas quasdam, contra Ecclesiam introductas, atque ita habet Rota in antiquis *decis.* 10. *de consuet.* Surdus *tom.* 3. *cons.* 301. *num.* 58. Peregr. *de immunit. Eccles. cap.* 2. *num.* 34. Castrus Palaus *tom.* 1. *disp. vnica de immunit. Eccles. punct.* 12. *num.* 3. Lotherius *de re beneficiaria, lib.* 3. *quæst.* 33. *num.* 19. Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 32. *num.* 11. Duard. in Bulla Cœnæ, *lib.* 2. *can.* 19. *quæst.* 8. *num.* 25. Fagnanus *in respons. pro cens. Pauli V. fol.* 119. cum de Ponte *in respons. pro cens. Pauli V. fol.* 11. & 45. Anton. Bouius *in respons. pro cens. Pauli V. part.* 4. *ad arg.* 11. & 12. Cochier *de libertate Eccles. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. & Collegium Bononiense *in respons. pro libertate Eccles. num.* 57. Vide etiam Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum, à quibuscumque præiudicialibus, quæ incipit: *Romanus Pontifex.*



DVBITATIO XVI.

An Rex, cum possit propter bella, & sumptus, quos sustinet in vno Regno, grauare alia Regna, possit in tali casu grauare Regnum Siciliæ, petendo ab illo donatiuum, vel tributum.

SVMMARIVM.

1. *Rex in aliquibus certis casibus solum potest imponere Siculis tributa.*
2. *Potest dari casus, quo Rex iustè possit imponere tributa in aliis Regnis, & non in Regno Siciliæ, ex iure scilicet municipali talis Regni.*
3. *Rex sp otest imponere siculis tributa, iuxta terminos iuris communis, concessio illa Regis*

Iacobi, & aliorum Regum nullam tribueret Siculis immunitatem contra dictorum Regni capitulorum mentem.

4. *Recensentur quatuor casus in dictis capitulis, inter quos est quod possit imponere Siculis tributa pro defensione Regni, in aliis autem casibus est interdicta in Regno Siciliæ indictio noui vectigalis pro quacumque causa etiam vrgentissima.*

5. *Rex licet in casu de inuasione actiua possit iustè imponere tributa in aliis Regnis, non tamen potest iustè in Regno Siciliæ propter priuilegia in supradictis Capitulis illi concessa.*

6. *Excipe nisi periculum proximum immineat, vt Regnum inuadatur; quia, cum periculum proximum imminens habeatur pro præsenti est tunc inuasio Regni passiua, si non actualis saltem, potentialis proxima & non remota.*

7. *Bellum prauentiuum, quando probabiliter timetur aggressio, non solum est licitum quomodocumque; sed etiam est licitum vt defensiuum naturale; cum præuentio reducatur ad defensionem naturalem, quando id fit ne hostes in nos, & nostra cum maiori periculo irruant.*

8. *Non debet quis expectare offensam; sed potest se præparare, & offendere, ne offendatur.*

9. *Satius est vulneris causam præueniendo auertere, quam iam illato medelam adhibere.*

10. *Rex debet stare promissis, alias nemo amplius pactitaret cum rege præsertim in comitiis, seu Parlamentis generalibus.*

11. *Rex quamuis solutus sit iure positiuo; non tamen solutus est iure naturali.*

12. *Regnum Siciliæ non est bello, impensis, & industria Regis, sicut cætera Regna, vindicatum ex inimicis; sed sponte, & voluntariè Serenissimo Regi Domino Petro in potestatem se tradidit.*

1 RESpondetur: de hac re vide, quæ
præcedenti dubitatione dicebantur;
vide etiam *cap. 3. & seq. Regis Ia-*
cobi, vbi dicitur, quod Rex in ali-
quibus certis casibus solùm possit imponere Si-
2 culis tributa: vnde dari potest casus, quod pos-
sit iustè Rex imponere tributa in aliis Regnis,
& non possit in Regno Siciliæ, ex iure scilicet
3 municipali talis Regni: nam si posset Rex (vt
rectè notauit Loritius *respons. 1. part. 3. num.*
34. imponere Siculis tributa, iuxta terminos
iuris communis, concessio illa Regis Iacobi,
& aliorum Regum, nullam tribueret Siculis
immunitatem contra dictorum Regni Capitu-
lorum mentem, & rationem finalem, quæ fuit
propter bene merita alleuare Siculos ab onere
noui tributi, exceptis quatuor casibus, qui in
4 prædictis Capitulis enumerantur: inter quos
est, quod possit Rex imponere Siculis tributa
pro defensione Regni, si contingat illud inua-
di inuasione notabili, siue graui, non tamen
simulata, nec procurata, vel transitoria, quod
rectè Gloritius *in loco suprà cit.* explicat in casu
inuasionis, non solùm actualis, sed etiam po-
tentialis, quamuis proximæ, non remotæ, iux-
ta ea, quæ mox infrà dicentur; In aliis autem
casibus est interdicta in Regno Siciliæ indi-
ctio noui vectigalis, pro quacumque causa,
etiam vrgentissima.

Vbi aduerte, quod (quamuis Regens de
Neapoli *in allegat. pro vectigal. serico, fol. mihi*
55. & Consultor de Matuta *in respons. pro su-*
prà dicta gabella fol. 17. & 18. explicent contra
Gloritium verba illa Regis Iacobi magis am-
plè) tamen quidquid sit de ista explicatione,
an sit vera, illud vtique dicendum est, quod
minus rectè Marius Muta *in exposit suprà dicti*
cap. Regis Iacobi, num. 6. extendit verba illa
ad inuasionem, non solùm passiuam, sed etiam
actiuam, si scilicet Rex iustè moueret bellum
contra alium Regem: nam talis extensio est
contra mentem, & verba Regis Iacobi; con-
sequenter destruit priuilegium ipsum Iacobi; 5
vnde dicendum, quod licèt in casu de inua-
sione actiua possit Rex iustè imponere tributa
in aliis Regnis, non tamen potest iustè in Re-
gno Siciliæ, propter priuilegia in suprà dictis
Capitulis illi concessa. Excipe, nisi pericu- 6
lum proximum immineat, vt Regnum inuada-
tur; quia, cum periculum proximum imminens
habeatur pro præsenti (sicuti docent Doctores,
quos citat & sequitur Molfes. *in summ. tom.*
2. tract. 12. cap. 22. num. 64. & Curtellius
de Immunit. Eccles. lib. 2. quæst. 29 num. 16.)
est tunc inuasio Regni) passiua, si non actua-
lis, saltem potentialis proxima, & non re-
mota.

Accedit, quod bellum præuentiuum, quan- 7
do probabiliter timetur aggressio non solùm
est licitum quomodocumque (sicuti rectè do-
cent Victor de iure belli *quæst. 1.* Adam Cont-
zem. *in Polit. lib. 10. cap. 6. part. 3* Cur-
tellius *cit. quæst. 79. num 9.* Ayla de iure belli,
lib. 1. cap. 7. Alberic Gentilis *eodem. tract. lib.*
1. cap. 14. & Modernus *lib. 2. cap. 1. num. 2.*)
sed etiam est licitum, vt defensiuum naturale;
cum præuentio reducatur ad defensionem na-
turalem, quando id fit, ne hostes in nos, &
nostra cum maiori periculo irruant; quia non 8
debet quis expectare offensam, sed potest se
præparare, & offendere, ne offendatur, ex re-
gulis traditis à Salomonio *in l. vlt. vt vim, de*
iust. & iur. & à Farinacio *quæst. 125. num. 74.*
cum satius sit, vulneris causam præueniendo 9
auertere, quàm iam illato medelam adhibere.
l. fin. Cod. in quib. caus. integr. restit. non est ne-
cessar. & l. 1. Cod. quin liceat vnicuique sine iu-
dic. se vindic. & tradunt Curtellius *loc. suprà cit.*
& Aluarez *in Thesaur. Christ. Relig. cap. 41. de*
bello iusto, & iniusto num. 30. At secus dicen-
dum, si periculum tale non immineat, sed sit
remotum, vt patet *ex dictis.*


Dices cum sanctoro Baua *in resol. pro tract.* 10
Salis fol. 12. & 14. stare Regem in quasi pos-
sessione recedendi quandocumque à promissis,
& pactitatis in Capitulis Regni.

Respondetur hoc omninò dicendum non est;
quia sic nemo ampliùs pactitaret cum Rege,
præsertim in comitiis, seu Parlamentis Gene-
ralibus. Adde, quod id cederet in magnum de-
decus Regis, & præterea est contra dictamen
rationis naturalis; quamuis autem Rex so- 11
lutus sit à iure positiuo, non tamen solutus est
à iure naturali. Vide quæ dicebantur *dubita-*
tione quarta, sect. 2. Vide etiam Bellugam in

secul. Principum, *rubr.* 11. *num.* 15. & Ramonij *part.* 1. *cons.* 24. *num.* 81.

12 Confirmantur, quæ suprà dicebam, quia Regnum Siciliæ non est bello, impensis, & industria Regis (sicut cœtera Regna) vindicatum ex inimicis, sed sponte, & voluntariè Serenissimo Regi D. Petro in Potestatem se tradidit (vti docet Valdesius *de dignit. Reg. Hispan. cap.* 17. *num.* 7. *in fin.*) ergo non est, sicut cœtera Regna, vectigalibus onerandum. Vide Caputum *in tract. de regim. Reipubl. cap.* 7. §. 27. *num.* 2. & Vasquez *de restitut. cap.* 6. § 3. *dub.* 1. *num.* 9. vbi loquens de aliquibus Hispaniarum Regnis, quæ vectigalibus sunt valde grauata, sic ait: *animaduertendum est, Regna hæc labore, & industria Regum ab inimicis fidei in libertatem fuisse olim vindicata: propter quod, & maiorem tenemur gratiam rependere eis, quorum progenitores inimicos nostros profligarunt*: hæc Vasquez quæ de Regno Siciliæ dici non possunt, sed contraria ergo, &c.

Difficultates, quæ hic fieri possent, tactæ sunt *in dub. præcedenti*.



DVBITATIO XVII.

An possit Rex (præciso iure municipali) ex iusta, & rationabili causa imponere tributum in Regno sine consensu Regni, & sic non conuocato Regno per procuratores?

SVMMARIVM.

1. *Rex potest, præciso iure municipali, ex iusta causa imponere tributum in Regno sine consensu Regni, & sic eo non conuocato per Procuratores.*
2. *Regnorum constitutio, & potestas Regum non est immediate de iure naturali, sed mediante concessione populorum.*
3. *Potestas ad imponendum tributum intra limites iustitiæ, quod resideat in solo Principe non est intrinsece malum, aut contra bonos mores; nec quod requiratur consensus Populi est per se necessarium ad iustitiam tributi.*
4. *Necessitas præcepti naturalis non bene colligitur ex conuenientia.*
5. *Monarchia potest vtroque modo constitui, vel ita vt Princeps in condendis legibus pendeat à consensu Populi, aut Senatus tanquam ab habentibus suffragium definitiuum, vel ita vt potestas simpliciter sit in solo Principe, licet vti debeat consilio suorum.*
6. *Princeps supremus non indiget consensu Populi ad indicendum bellum, neque ad reficiendos Pontes, vias, castra, mœnia.*
7. *Monarchia integra, & perfecta non est contra ius naturæ, & Monarchia integra, & perfecta non est nisi habeat potestatem plenam ad imperanda tributa iusta.*
8. *Regum creatio, & potestas eorum non est de iure gentium. sed est potius de iure Ciuili, vel nationali vniuscuiusque Regni.*
9. *Potestas imponendi tributum tam in iure Canonico quam in ciuili conceditur simpliciter Imperatoribus, Regibus & Principibus supremis, qui illis æquiparantur absque vlla limitatione, neque Regni consensus expostulatur.*
10. *Episcopus potest ex iusta, & rationabili causa petere subsidium charitatiuum à Clericis independenter à consensu eorum.*
11. *Incommoda quæ inueniri solent, si Princeps sine Populi consensu imponere possit tributa, non sunt defectu Monarchiæ, & Principatus supremi, sed Regentis, & ideo per accidens.*

Respondetur affirmatiue; atque ita 1 docent communiter Doctores contra nonnullos, vt infrà.

Probatur, quia si qua ratio esset, quare consensus Regni requiratur ad hoc, vt tributum sit iustum, illa est; quia sic exigit ius naturale, vel gentium, vel positiuum, sed nullum horum dici potest, ergo. Maior patet: Minor quoad primam partem probatur, quia constitutio Regnorum, & potestas regum non est immediatè de iure naturali; sed mediante 2 concessione populorum, vt per se patet; ergo amplitudo, vel restrictio potestatis circa ea, quæ per se mala, vel iniusta non sunt, non potest esse de iure naturali sed pendet ex arbitrio hominum, & ex antiqua conuentione inter Regem, & Regnum; at potestatem ad 3 imponendum tributum intra limites iustitiæ residere in solo Principe, non est intrinsece malum, aut contra bonos mores; nec quod requiratur consensus populi, est per se necessarium ad iustitiam tributi; ergo neque illud prius est contra ius naturæ, neque hoc posterius est de iure naturæ.

Dices hoc esse magis conuiens populis, & Regno, ergo.

Respondetur: primò: transeat Antecedens, 4 at nego consequentiam; quia ex maiori conuenientia non benè colligitur necessitas præcepti naturalis.

Respondetur secundò, quod assumitur non esse certum: nam si coniecturis, & congruentiis vtimur, possunt facilè pro vtraque parte coniecturæ, & congruentiæ afferi: Monarchia 5 etenim potest vtroque modo constitui, vel ita, vt Princeps in condendis legibus pendeat à consensu populi, aut Senatus, tanquam ab habentibus suffragium definitiuum: vel ita, vt potestas simpliciter sit in solo Principe, licet vti debeat consilio suorum; qui modus est magis consentaneus regimini Monarchiæ, & magis vsitatus, satisque consonus prudentiæ, & iustitiæ, & conuenienti regimini, & obedientiæ subditorum (vt communiter Doctores in materia de legibus) ergò si hæc potestas dari potest solis Regibus in aliis legibus ferendis, etiamsi grauissimæ illæ sint, dari etiam poterit

in legibus tributorum; atque adeò iuri naturæ non repugnabit.

6 Confirmatur, quia Princeps supremus non indiget consensu populi ad indicendum bellum, neque ad reficiendos pontes, vias, castra, mœnia, &c. ergò ex natura rei non est necessaria populorum acceptatio in tributorum impositione; quia hæc propter has causas præcipuè fieri consueuit.

7 Confirmatur secundò, quia Monarchia integra, & perfecta, non est (vt per se patet) contra ius naturæ; sed Monarchia integra, & perfecta non est, nisi habeat potestatem plenam ad imperanda tributa iusta; quia quantum pendet in hoc à consensu Regni, tantum deficit à perfecta Monarchia; tum quia, si in hoc pendet à consensu Regni, consequens est, vt etiam pendeat in omnibus aliis, quæ fieri non possunt sine tributis; ergo Monarchia cum tali potestate non potest esse contra ius naturæ; ac proinde neque illa conditio, seu dependentia Regis à consensu Regni in imponendis tributis, potest esse de iure naturæ.

8 Quoad secundam partem probatur per easdes rationes; quia eædem rationes idem conuincunt de iure gentium, & eo magis, quia creatio Regum, & potestas eorum non est de iure gentium: sed est potiùs de iure ciuili, vel rationali vniuscuiusque Regni, vel Prouinciæ; Vnde licet in communi dici possit esse de iure gentium diuisio Regnorum, Ciuitatum, & Magistratuum, aut regiminum, modus tamen constituendi regimen (vt per plures, vel pauciores, aut per vnum; cum tanta, vel maiori potestate, & cum his, vel illis conditionibus) non est de iure gentium, sed potius de iure proprio singulari Communitatum; & à principio introductus fuit, aut ex pacto voluntario, aut ex iusto bello, aut ex consuetudine; ergo non potest hæc necessitas fundari in iure gentium.

9 Quoad tertiam partem probatur; quia potestas imponendi tributa, tam in iure canonico, quàm in ciuili, conceditur simpliciter Imperatoribus, Regibus, & Principibus supremis, qui illis æquiparantur, & nulla limitatio additur, neque Regni consensus expostulatur, ergo illa conditio non solùm potest fundari in iure positiuo communi, sed potiùs illi repugnat; quia prædictum ius simpliciter loquitur, & ius, nisi iure alio, vel ratione cogente, limitari non debet, hinc Doctores, qui illa iura interpretantur, absolutè docent, esse in Principe hanc potestatem, nulla facta mentione consensus populi; sic Innoc. & Panormit. *in cap. super quibusdam, de verbor. significat. & in cap. innouamus, de censibus* Bartol. & alij Ciuilistæ *in l. vectigalia, ff. de public. & vectigal. in l. 1. & 2. Cod. noua vectigal &c. & in l. vnic. ff. ad legem Iuliam. de ambitu.* sic etiam ex Theologis Medina *Cod. de restitut. quæst.* 13. Alphonsus à Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap.* 9. Lessius *lib. 2. cap. 33. dub.* 1. Layman. *lib. 3. tract. 3. part. 1. cap.* 3. Basilius Pontius *in tract. de impediment. matrimonij, causa* 31. *quæst. 2. §. 11. & in 1. part. variarum. disput. relect.* 1. & alij passim.

10 Confirmatur à pari, quia (vt *Dubitatione* 13. dicebatur) potest Episcopus ex iusta, & rationabili causa petere subsidium charitatiuum à Clericis independenter à consensu eorum, ergo sic, &c. in casu nostro.

Obijcies: si potestas imponendi tributa non esset in Regibus restricta, ita vt illi tributa imponere non possint sine consensu Regni; facile potestas Regum vergeret in Tyrannidem, vel certe in notabile incommodum, & grauamen populorum, ergo. Antecedens probatur, quia Reges valde propensi sunt ad imponendas subditis huiusmodi exactiones; vnde si sua sola potestate tributa possent imponere sine consensu Regni, plus iusto populos grauarent.

Respondetur, quod prædicta incommoda, si, quando sequuntur, sequantur, non ex defectu modi regiminis perfectè Monarchici, qui per se est satis expediens, satisque consonus prudentiæ, & iustitiæ & conuenienti gubernationi, & obedientiæ subditorum, vt suprà dicebatur, sed potius ex defectu regentis; quod est totùm per accidens. 11

Dicendum itaque est quod Rex ex iusta, & rationabili causa possit, iurè municipali præciso, imponere tributum super Regnum, sine consensu ipsius Regni, & sic non conuocato per Procuratores ad conclusionem tributi ipso Regno: Quod tamen intellige suppositis viribus Regni, cæterisque requisitis, quæ *octaua, & nona Dubitatione* dicebantur.



DVBITATIO XVIII.

An si adsit iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum, & Vassalli, vel Parlamentarij præbere recusent, possit Rex, vel etiam Prorex per vim, & metum illud ab eis extorquere?

SVMMARIVM.

1. *Rex, vel etiam Prorex per vim, & metum exigere potest donatiuum, si adsit iusta causa, & Vassalli, vel Parlamentarij præbere recusent.*
2. *Tributum, seu donatiuum imponendi iusta causa est necessitas publica, cui aliter commode succurri non potest.*
3. *Principis sicut est Populum regere, ius dicere, hostes arcere, tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare, ita vicissim Populi est, sumptus necessarios ad hæc subministrare, & ob id poterit à Principe populus ad id cogi.*
4. *Non est in arbitrio Procuratorum suum consensum non præstare, si iustitia tributi, eiusque necessitas nota sit, tunc enim consentire tenentur; sicut è contra tenentur resistere quando iniustitia tributi est manifesta, &c.*

5. *Concessio vectigalium, aut noui tributi, quæ comitiis coactis fieri solet, etiamsi extorqueatur metu reuerentiæ, aut metu quouis alio graui, valet in conscientia, nec Princeps est obnoxius restitutioni.*

6. *Princeps si causæ exigendi tributum sint iustæ, non peccat inferendo vim Procuratoribus Regni, non enim ea vis, aut metus iniustus esse potest, si causæ exigendi tributa iustæ sint.*

7. *Prædicta vera esse dicuntur si causa exigendi donatiuum, vel tributum iusta sit non solum in ordine ad necessitatem Regis, sed etiam in ordine ad vires Regni.*

8. *Episcopus, si adsit iusta causa exigendi subsidium charitatiuum à Clericis, si illi recusent, potest eos compellere per censuram excommunicationis.*

1 Espondetur affirmatiue; & ratio est, quia in tali casu sic exigit bonum commune, quod semper attendendum est & præferendum bono particulari, præsertim cùm particulare bonum includatur in communi: quapropter si in tali casu Vassalli, vel Parlamentarij donatiuum, aut tributum Principi dare recusent, irrationabilitet sunt iniuiti, ac proinde ad illud præbendum à Rege, vel prorege merito cogi poterunt; atque ita docet Less. *lib. 2. de iust. & iur. cap. 33. dub.*
2 *6.* vbi ait, quod iusta, & legitima, causa imponendi tributum, vel vectigal, est necessitas publica, cui aliter commodè succurri non potest, vt si quid, v. g. necessarium sit ad stipendia militaria, ad reparationes Vrbium, &c. vel aliter ad bonum publicum sit valde expediens quo etiam spectat status Principis sustentatio: nam & hæc ad bonum publicum pertinet) ratio autem, subdit idem author,
3 horum omnium illa est, quia sicut Principis est populum regere, ius dicere, hostes arcere tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare, ità vicissim populi est, sumptus necessarios ad hæc subministrare; quapropter poterit à Principe ad id populus cogi. Ita etiam docet Suarez *lib. 5. de*
4 *legibus cap.* 17. vbi ait, quod non est in arbitrio Procuratorum suum consensum non præstare, si iustitia tributi, eiusque necessitas nota sit; tunc enim consentire tenentur; sicut è contra tenentur resistere, quando iniustitia tributi est manifesta, vel quando ex multitudine tributorum tam grauiter onerantur populi, vt tributum iusti stipendij, & auxilij Principi debiti æquitatem excedat; Ita etiam docet Pontius *in tract. de impedim. matrimonij,*
5 *casu 31. quæst. 2. §. 11.* vbi asserit, concessionem vectigalium, aut noui tributi, quæ comitiis coactis fieri solet, etiamsi extorqueatur metu reuerentiæ, aut metu quouis alio graui, valere in conscientia, nec Principem obnoxium esse restitutioni: illa enim concessio non pertinet ad liberalem donationem, atque deo non exigit plenum voluntarium; quia huiusmodi tributa Regi conceduntur, vt Regnum tueatur & Regni hostes debellet, aliisque publicis necessitatibus subueniat; Vnde etiam fit, quod neque iure positiuo sit ea concessio irrita, imo si causæ quæ ad exigendum tributum requiruntur, sunt verè iustæ, & aliter illis necessitatibus commodè subueniri non 6
potest, non peccat Princeps vim inferendo Procuratoribus Regni: non enim ea vis, aut metus iniustus esse potest, si causæ exigendi tributa iustæ sunt: quod multò magis locum habet, si vectigalium impositio non pendeat ex populi consensu, vt aliqui arbitrantur, & nos *præcedenti dubitatione* aduertebamus.

Hæc tamen, quæ modò dicebam, vera 7
sunt, si causa exigendi donatiuum, vel tributum iusta sit, non solùm in ordine ad necessitatem Regis, sed etiam in ordine ad vires Regni, vt toties *in præcedentibus dubitationibus* dictum est: necessitas enim Regis (vt rectè aduertit Vasq. *in opusc. de re[...] cap. 6. §. 1. dub. 2. num. 18.*) attendi semper debet in ordine ad vires Regni, quia Rex est propter Regnum, & non è contra, ad differentiam Tyranni, vt alibi dicebam.

Confirmatur à pari, quia, si adsit iusta cau- 8
sa præbendi subsidium charitatiuum, & Clerici præstare recusent, potest Episcopus illos ad illud compellere per censuram excommunicationis (sicuti *dubitatione* 13 dicebatur) ergo & sic in casu nostro: vtrobique enim militat eadem ratio.



DVBITATIO XIX.

An, si adsit iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum; & Parlamentarij dare illud recusent, prætextu pacti, vel priuilegij alicuius à Rege obtenti, possit Rex, vel etiam Prorex, his non obstantibus, per vim, & metum ab illis donatiuum, vel tributum extorquere?

SVMMARIVM.

1. *Rex, seu Prorex potest per vim & metum exigere donatiuum, & tributum, si adsit iusta causa, & Parlamentarij recusent vigore pacti, seu alicuius priuilegij obtenti à Rege illud soluere.*

2. *Episcopus si adsit iusta causa præbendi subsidium charitatiuum, non obstante pacto, vel priuilegio in oppositum obtento, potest Clerum ad illud præbendum per censuras compellere; quinimmo nequit tale pactum, vel priuilegium in tali casu confirmare, vel primo concedere.*

3. *Priuilegium quotiescumque cedere incipit in graue detrimentum communitatis; ideoque per rerum mutationem fieri incipit iniquum*

per se ipsum cessat, vel certe à priuilegiante potest reuocari.

4. *Decimarum priuilegium reuocatur, si postea in Ecclesiæ detrimentum vergere incipiat.*

5. *Regno etiam si concessio aliqua facta sit à Regibus, illaque moribus sit confirmata, vt tributum non imponatur sine consensu ipsius Regni, adhuc ad illud tribuendum Vassalli cogi possunt; si iustitia tributi, eiusque necessitas nota fuerit.*

6. *Princeps si causæ quæ requiruntur ad exigendum tributum sunt veræ, & iustæ, & aliter necessitatibus Regni commodè subueniri non potest, Procuratoribus Regni potest vim, & metum inferre.*

7. *Principis priuilegium licet deceat esse mansurum; prærogatiua est contrauenire, vel reuocare priuilegium concessum præsertim si sic exigat bonum commune.*

8. *Dicta superius intellige suppositis viribus Regni.*

9. *Rex si adsit iusta causa præstandi donatiuum, vel tributum, & Vassalli recusent illud præstare prætextu pacti, vel priuilegij alicuius à Rege obtenti, quod possit eos compellere per vim, & metum intelligitur in ordine ad vnum atque idem Regnum.*

10. *Rex si indiget ad defendendū aliquod Regnum, debet primò grauare illud idem Regnum; Secundò, si illud non est potens amplius grauari, debet grauare Regna, quæ ne grauentur priuilegium non habent; Tertiò si & hæc amplius grauari non possunt defectu virium, debet tamen illa, si in feudum habet, grauare cum consensu directi Domini.*

1 RESpondetur affirmatiuè: & ratio est; quia, si non obstante tali pacto, vel priuilegio à Rege obtento, adest iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum, exigit adhuc bonum commune, vt donatiuum, vel tributum à Vassallis Regi præstetur, ergo.

Confirmatur, quia cùm, non obstante tali pacto, vel priuilegio à Rege obtento, sic exigat bonum commune (quod præferri semper debet priuato) Vassalli sunt irrationabiliter inuiti.

2 Confirmatur secundò, quia, si adest iusta causa præbendi Episcopo subsidium charitatiuum, potest Episcopus, non obstante pacto, vel priuilegio in oppositum obtento, Clerum ad illud præbendum per censuras compellere, quinimò nequit Episcopus in tali casu tale pactum, vel priuilegium Clero confirmare, vel primò concedere (vti habet communis opinio Doctorum *in capit. cum venerabilis, de censibus,* Bellencini *de charit. subsidio, quæst.* 47. Azorij *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 7. & aliorum) & ratio est, quia tale pactum & priuilegium in tali casu cederet in detrimentum Ecclesiæ, ergo sic & in casu nostro.

3 Confirmatur tertiò, quia priuilegium, quotiescumque cedere incipit in graue detrimentum communitatis, ideóque per rerum mutationem fieri incipit iniquum, per seipsum cessat, vel certè à priuilegiante potest reuocari, sicuti colligitur *ex cap. suggestum, de decimis*; vbi propterea Doctores docent, reuocari priuilegium exemptionis decimarum, si postea in Ecclesiæ detrimentum vergere incipiat, sic etiam 4 colligitur *ex cap. cum ad hoc, de Clericis non residentibus*; vbi habetur, quòd si Ecclesia patiatur defectum Ministrorum, priuilegiati super non residentia compelli possunt ad redeundum, fructuum subtractione; ergo sic, & in casu nostro.

Confirmatur quartò authoritate Doctorum: 5 nam Suarez *lib.* 5. *de legibus, cap.* 17. expressè docet, quòd etiamsi Regno concessio aliqua facta sit à Regibus, illaque moribus sit confirmata, vt tributum non imponatur sine consensu ipsius Regni, adhuc ad illud tribuendum Vassalli cogi possint, si iustitia tributi, eiusque necessitas nota fuerit; & Pontius *in tract. de impedim. matrimonij, causa* 31. *quæst.* 2. §. 11. ait, quod, si causæ, quæ ad exigendum tributum requiruntur, sunt verè iustæ, & aliter ne- 6 cessitatibus Regni commodè subueniri non potest, possit Princeps Procuratoribus Regni vim, & metum inferre; quod eò magis (inquit ipse) verum est, si vectigalium impositio ex populi consensu non pendet; vbi clare insinuat, quòd possit Princeps etiam vim, & metum Regni Procuratoribus inferre in casu, quo Vectigalium impositio per concessionem priuilegij, vel per pactum à consensu populi pendeat.

Vide Bellugam *in speculo Princip. rubr.* 11. 7 §. *his igitur, num.* 5. vbi ait, quòd licet deceat, priuilegium Principis esse mansurum, Principis tamen (præsertim si sic exigit bonum commune) prærogatiua est, contrauenire, vel reuocare priuilegium concessum; & citat Gloss. *in regula, decet, de regulis iuris, lib. sexto*, idemque docet *in rubr.* 46. §. *donum appellatur, num.* 7. & *seqq. vsque ad finem.* Vide etiam Ioan. Bolognettum *consil.* 1. *per totum*, Franciscum Bursat *cons.* 16. & 19. *vol.* 1. Simonem de Pretis *cons.* 170. *volum.* 1. Roland à Valle *cons.* 100. *num.* 61. *volum.* 4.

Hæc tamen, quæ dicebam, intellige, si sup- 8 ponantur vires Regni, & cætera requisita, quæ *in* 8. & 9. *dubitation.* aduertebantur.

Obiicies, si responsio nostra esset vera, sequeretur, quòd Rex propter bella, & sumptus, quos sustinet in aliis Regnis, posset (si indiget) per vim, & metum grauare etiam Regnum Neapolis, & Siciliæ, non obstantibus iis, quæ *dubitatione* 15. & 16. dicebam, sed hoc est falsum, vt ibi; ergo, &c.

Respondetur: nego sequelam maioris: nam 9 cùm modò dixi, quòd, si adest iusta causa præstandi donatiuum, vel tributum, & Vassalli recusent illud præstare, prætextu pacti, vel priuilegij alicuius à Rege obtenti, possit Rex, non obstante hoc, per vim, & metum à Vassallis illud extorquere, intelligitur in ordine ad vnum, atque idem Regnum: Itaque breuiter dico, 10 quod Rex, si indiget ad defendendum aliquod Regnum, debet primò grauare illud idem Regnum; Secundò, si illud non est potens amplius grauari, debet grauare Regna, quæ ne grauentur, priuilegium non habent; Tertiò, si & hæc amplius grauari non possunt defectu virium (licet forsan, & Regna, quæ priuile-

gium habent, ne grauentur, grauare possit, propter ea, *quæ dub.* 14. dicebam) debet tamen illa (si in feudum habet) grauare cum consensu directi domini, saltem in casibus in quibus directus dominus, illa grauari, à principio non concessit, iuxta ea, quæ *cit. dub.* 15. & 16. dicebantur.



DVBITATIO XX.

An, si adsit iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum, & populares onus talis tributi sustinere non possint, possit Rex Regni Barones ad aliquid grauare?

SVMMARIVM.

1. *Rex licet adsit iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum, & populares onus talis tributi sustinere non possint, non potest Regni Barones ad aliquid grauare.*
2. *Regni Barones alia onera sustinent, & propterea tenentur ad seruitium militare.*
3. *Rex deberet inducere ad contribuendum suasionibus, & aliis mediis suauibus in casu, in quo ex conuenientia quadam tenentur Barones aliquid Regi contribuere.*
4. *Tributum non ideo de iniustitia est arguendum; quia nobiles etiam comprehendit: nam cum plebs reliqua potens non est tàm imodicos sumptus ferre, æquitas fert, vt Nobilium auxilio eleuetur.*

1 REspondetur de rigore negatiuè; & ratio est, quia Regni Barones (qua de re videri potest Andr. *in cap.* 1.
2 *§ fin de pac. iur. fer.*) alia onera sustinent, & præterea tenentur ad seruitium mi-
3 litare, ergo; Atque ita ex communi docet Valenzuela *conf.* 99. *num.* 63. vbi subdit, quòd suasionibus, & aliis mediis suauibus deberet Rex inducere illos ad contribuendum in tali casu; in quo ex conuenientia quadam tenentur Barones aliquid Regi contribuere, sicuti rectè notauit Sotus *lib.* 3. *de iustit. & iure, quæst.* 6.
4 *art.* 7. vbi ait, quod non ideo de iniustitia est arguendum tributum, quia nobiles etiam comprehendit: nam cum plebs reliqua potens non est tàm immodicos sumptus ferre, æquitas fert, vt Nobilium auxilio eleuetur. Vide etiam Andr. *in cap.* 1. §. *sed nec est alia iustior, num.* 40. *vers. quid ergo, quæ sit prim. caus. benef. amitt.* Baldum *in cap.* 1. *quibus caus. feud. amitt.* Luc. de Pen. *in l.* 1. *Cod. vt rust. ad null. obseq.* & Regentem de Ponte *de potest. Proreg. tit. de regalib. imposit. num.* 45. 35. & 47.



DVBITATIO XXI.

An possit Rex grauare etiam exteros?

SVMMARIVM.

1. *Rex non potest grauare exteros; quia tributum præstare est signum subiectionis.*
2. *Exteri, & non subditi indirectè, & per accidens tributum soluere solent.*
3. *Exteri, & non subditi indirectè etiam grauantur tributo; & exactione super vino, frumento, aliisque fructibus, quæ in tali regione venduntur; vt si ibi emere velint, pari cum incolis, & subditis iure vtantur, emendo scilicet secundum pretium aliis consuetum.*
4. *Exteri, qui merces ex regione euehunt, soluere coguntur vectigal, partim propter ius negotiationis, quod ipsis in aliena terra conceditur, partim propter expensas pontium, viarum, & obligationem securitatis præstandæ, quæ Domino loci incumbit.*
5. *Vectigalia prædicta necesse est esse moderata, vt iusta sint.*
6. *Assignatur discrimen inter collectam, & tributum, vectigal seu gabellam; quod collecta subditis tantum imponitur, occurrente aliquâ publica necessitate, qua cessante, collecta cessare debet, tributum autem gabella, seu vectigal, tàm ab exteris, quàm à subditis exigi solet.*
7. *qualibet ciuitas, seu communitas subiecta, & Principem recognoscens, non potest de nouo tributum, gabellam, seu vectigal sine Principis consensu imponere, aut impositum augere potest autem sine consensu Principis cui subest ob iustam necessitatem, & publicum bonum imponere collectam dummodo id fiat per comitia.*
8. *Episcopus potest cum consensu Capituli in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis collectam imponere ad reparationem Ecclesiarum, & ad necessaria Ministrorum alimenta, quando aliter his prouidere non potest.*
9. *Communitas, sicut & quilibet alius Princeps, Superiorem recognoscens, ita non potest sine consensu, seu assensu Regis, vel Proregis tributum, gabellam, seu vectigal imponere, aut augere, vt sine tali assensu impositio, aut auctio sit nulla; & imponentes, aut augentes incidant in censuram sextam Bullæ Cœnæ, in quam etiam incidunt imponi, aut augeri prohibita exigentes.*
10. *Gabella prædicta sine consensu Principis imposita, vel aucta, reuocari consueuit in Regno Neapolis per Regiam Cameram summarie, ac sacrum Collaterale Consilium, etiam ad instantiam cuiuscumque Ciuis particularis.*

11. *Assensus Principis subreptitius, vel obreptius in impositione tributi, seu gabellæ non eximit à censura Bullæ Cœnæ.*

12. *Censura Bullæ Cœnæ non contrahitur, neque etiam committitur peccatum, si per modum tallia, seu collecta, etiam sine assensu Principis impositio fiat inter solos Ciues ex aliqua iusta causa.*

13. *Requiritur tamen in tali casu quod præter iustam, & rationabilem causam imponendi dictum grauamen impositio fiat per comitia, nempe conuocato concilio Ciuium, & libere iuxta consuetudinem locorum, &c.*

14. *Requiritur secundò vt iusto modo imponatur, idest, non oneretur æquè pauper, ac diues; quia iustitia exigit, vt qui plus habet, plus ab eo exigatur per æs, & libram: item quod duret tamdiù quandiù durat finis; propter quem est illud impositum.*

15. *Requiritur tertiò, vt non exigatur ab Exteris, & Clericis.*

16. *Excipe nisi exteri habitarent in illo loco; & participarent de commodo illius loci in tali enim casu contribuere tenentur, quia in tali casu iudicantur tanquam Ciues illius loci.*

17. *Exteri in Regno Neapolis per decreta, & instructiones Regiæ Cameræ tenentur contribuere pro debitis contractis ad reparationem mœnium, viarum, fontium, vel alterius boni publici; ex eo quia participant de illo commodo publico.*

18. *Exteri non tenentur ob dictam rationem contribuere pro aliis debitis contractis, vbi nullum commodum percipiunt.*

19. *Censura Bullæ Cœnæ non contrahitur, si communitas non imponit grauamen nouum; sed reassumit illud, quod antea soluebatur, etsi per aliquod tempus illius exactio fuerit interrupta.*



1 Espondetur negatiuè; & ratio est; quia tributum præstare, est signum subiectionis (sicuti indicat Apost. *ad Rom.* 13. datur enim Principi, vt benè statum Reipublicæ tueri possit) sed hoc interest tantùm iis, qui sunt membra eiusdem Reipublicæ, ergo, &c.

Quamuis in aliquibus casibus ab exteris
2 etiam, ac non subditis, indirectè, & per accidens exactio tributi fieri soleat: nam, qui merces in regionem inuehunt, coguntur vectigal soluere; licet hæc exactio secundùm effectum, & realiter in subditos redundet; quia ipsis tantò cariùs postea merces venduntur, sicuti rectè
3 notauit Mol. *tom.* 3. *priore dispu.* 669. Secundò, si tributum, vel similis exactio imposita sit super vino, frumento, aliisque fructibus, & mercibus, quæ in tali regione venduntur, tunc extranei, seu non subditi, indirectè etiam grauantur; vt si ibi emere velint, pari cum incolis, & subditis iure vtantur, emendo scilicet secundum pretium aliis consuetum, sicuti notauit Sylu. *verb. immunitas*, 1. *in fin.* & Mol. *loc. suprà cit.*
4 Tertiò exteri, qui merces ex regione euehunt, soluere coguntur vectigal, partim propter ius negotiationis, quod ipsis in aliena terra conceditur, partim propter expensas pontium, viarum, & obligationem securitatis præstandæ; quæ domino loci incumbit, sicuti dixit Sylu. *verb. gabella* 3. *num.* 18. & 19. Mynsing. *cent.* 5. *obseruat.* 70. & Armilla *verb. gabella num.* 12. vbi rectè monet, quòd huiusmodi vectigalia 5
necesse est, moderata esse, vt iusta sint.

Hinc communiter docent Doctores, Caiet. vers. *vectigalia iniqua propè finem*, Angel. *verb. pedagium*, §. 6. Syl. *verb. gabella* 3. *num.* 16. Armilla *verb. gabella etiam num.* 3. Less *lib.* 2. 6
cap. 33. *dub.* 2. *num.* 15. discrimen esse inter collectam, & tributum vectigal seu gabellam; quòd collecta subditis tantùm imponitur, occurrente aliqua publica necessitate (qua cessante, collecta cessare debet) tributum autem, gabella, seu vectigal, tàm ab exteris, quàm à subditis exigi solet, & plerumque ordinariam, ac permanentem exactionem retinet.

Hinc etiam aliud discrimen oritur, quod 7
quælibet Ciuitas, seu communitas subiecta, & Principem recognoscens, non potest de nouo tributum, gabellam, seu vectigal sine Principis consensu imponere, aut impositum augere, potest autem sine consensu Principis, cui subest, ob iustam necessitatem, & publicum bonum (vt ad reparationem mœnium, pontium, viarum, &c.) imponere collectam: dummodo, id fiat per comitia, ad quæ omnes ciues, vel Decani à Ciuibus deputati possint conuenire nam hæ collectæ non debent esse coactæ, sed liberè Communitas debet in eas consentire, suffragiis maioris partis, vel duarum tertiarum, vel aliter, prout fuerit consuetudo locorum.

Hinc etiam potest Episcopus cum consensu 8
Capituli in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis collectam imponere ad reparationem Ecclesiarum, & ad necessaria Ministrorum alimenta, quando aliter his prouidere non potest; quia cum sit Princeps sactorum in sua Ecclesia particulari, sicut Pontifex in tota Ecclesia vniuersali, habet in temporalibus eam potestatem, quæ ad bonum spirituale in sua Ecclesia particulari conseruandum, & promouendum fuerit necessaria, nisi à Pontifice fuerit limitata, cui est subordinatus.

Aduerte tamen, quod Communitas, sicut, 9
& quilibet alius Princeps, superiorem recognoscens, ita non potest sine consensu, seu assensu Regis, vel Proregis tributum, gabellam, seu vectigal imponere, aut augere, vt sine tali assensu impositio, aut auctio sit nulla, & imponentes, aut augentes incidant in censuram sextam Bullæ Cœnæ, in quam etiam, incidunt, imponi, aut augeri prohibita exigentes, sicuti ibi videre est; quod magis locum habet, si exigant ab exteris, & Clericis, qua de re Caiet. *in verb. excommunic. cap.* 71. Sylu. *verb. gabella* 1. §. 7. Tabien. *verb. pedagium* §. 1. Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 61. Suar. *de censuris disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 41. Abbas, & alij, quos refert, & sequitur Sayr. *lib.* 3. *de* 10
censur cap. 9. quapropter similis gabella, sine consensu Principis imposita, vel aucta, reuocari consueuit in Regno Neapolis per Regiam Cameram summariè, ac sacrum collaterale Consilium, etiam ad instantiam cuiuscumque ciuis particularis.

11 Quod, si assensus Principis interueniat, quamuis subreptitius (vt quia in supplicatione non fuit expressum verum; vel fuit narratum falsum) atque adeò nullus, vtpote subreptitiè impetratus (sicuti habetur *in cap. gratiosè de rescript.* & docet Mascard. *in tract. de probat. conclus.* 846. Fab. de Ann. *cons.* 114. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disput.* 21. Couarr. 1. *resolut. cap.* 20. Guttierez *lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 2. *cap.* 15. & alij multi, quos refert, & sequitur Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22.) quamuis aliqui, inter quos Molfesius in summa *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 54. arbitrentur, quod in tali casu non contrahatur prædicta censura bullaris Cœnæ Domini; sed solùm quod imponentes peccent mortaliter cum onere restituendi, quod exegerunt; contrarium tamen ob rationem suprà tactam dicendum est: nam cum assensus subreptitiè impetratus sit nullus, vt suprà dicebatur, moraliter idem est, ac si à principio non interuenisset, ergo, &c.

12 Aduerte secundò, quod non contrahitur prædicta censura bullaris Cœnæ, nec etiam committitur peccatum, si per modum talliæ, seu collectæ (etiam sine assensu Principis) impositio fiat inter solos Ciues, ex aliqua iusta causa, vt ad reparationem pontium, viarum, mœnium, ad soluenda debita contracta, ad custodiam ciuitatis ratione belli, vel bannitorum, &c. Ratio, quia in his casibus, alioquin licitis, liberè ciues sibimetipsis grauamen imponunt; cùm quilibet sit rei suæ moderator, & arbiter; atque ita docent Doctores omnes mox infrà citandi.


13 Requiritur tamen in tali casu, quòd præter iustam, & rationabilem causam imponendi dictum grauamen, impositio fiat per comitia, nempe conuocato concilio ciuium, & liberè, (vt *suprà* dicebam) Ciues in illud consentiant; omnes scilicet, & singuli, vel saltem maior pars ciuium, iuxta consuetudinem locorum: in Comitiis enim maior pars consueuit trahere minorem, qua de re vide eosdem Doctores, quos mox *infrà* citabo.

14 Requiritur secundò, vt iusto modo imponatur, id est, non oneretur æquè pauper, ac diues; quia iustitia exigit, vt qui plus habet, plus ab eo exigatur, per æs, & libram, vt dici consueuit; item quòd duret tandiu, quandiu durat finis, propter quem est illud impositum; nisi finis alius priori æqualis successerit; atque ita docent Doctores iidem mox *infrà* citandi.

15 Requiritur tertiò, vt non exigatur ab exteris, & Clericis, vti rectè docent Caiet. *in vers. vectigalia iniqua*, §. 6. *& in verb. excommunicatio, cap.* 17. Syluest. *verb. gabella* 2. §. 5. Tabien *verb. pedagium*, §. 1. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 125. *num.* 14. Vasq. *in moralibus de iurisdict. cap.* 6. § 1. *num.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 15. *&* 16. Megalius 1. 2. *institut. confess. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 35. Tusch. *in verb. gabella, concl.* 1. *num.* 10. Capycius *decis.* 108. & alij passim, & patet ex praxi in Regno Neapolis quotidia-

16 na. Excipe, nisi exteri habitarent in illo loco, & participarent de commodo illius loci: in tali enim casu contribuere illi tenentur; quia in tali casu iudicantur, tanquam ciues illius loci; atque ita post Syluest. Abb. Tabien, Viuald. & alios docent Sayr *d. lib.* 3. *de censur. cap.* 9. *num.* 10. Suarez *d. disput.* 21. *de censur. sect.* 2. *num.* 41. Megal. *dict. num.* 35. §. *tria tamen*; quod præcipuè locum habet in Regno Neapo- 17
lis, vbi per decreta, & instructiones Regiæ Cameræ tenentur exteri contribuere pro debitis contractis ad reparationem mœnium, viarum, fontium, vel alterius boni publici; idque ex eo, quia participant de illo commodo publico; etsi è contra, propter oppositam rationem, non 18
teneantur contribuere pro aliis diuersis debitis contractis; sicque quoad illa priora, non autem quoad illa posteriora debita, se habent, veluti ciues loci, atque adeo quoad illa priora, non autem quoad ista posteriora debita licitè grauantur.

Aduerte tertiò, quòd non contrahitur præ- 19
dicta censura Bullaris Cœnæ Domini, si communitas non imponit grauamen nouum, sed reassumit illud, quod antea soluebatur, etsi per aliquod tempus illius exactio fuerit interrupta. Ratio, quia in tali casu non est de nouo grauamen imponere; atque ita docent Syluest. *verb. gabella* 3. *num.* 5. *&* 6. & Sayr. *dict. cap.* 9. *num.* 12. *in fin.* etsi de hoc satis probabiliter dubitare videatur Graff. *loc. suprà cit. num.* 25.



DVBITATIO XXII.

An possit Rex, vel etiam Prorex, vocare Episcopos, & Ecclesiasticos ad Parlamentum propter aliquod publicum negotium tractandum?

SVMMARIVM.

1. *Rex, vel etiam Prorex vocare potest Episcopos, & Ecclesiasticos ad Parlamentum propter aliquod publicum negotium tractandum, dummodo id faciat rogando, non autem præcipiendo, & multo minus sub minis, & pœnis.*
2. *Iudex sæcularis potest citare siue per edictum, siue in particulari Clericum creditorem in confectione alicuius inuentarij; dummodo non expressè Clericus citetur ad comparendum; sed cum conditione si sua interesse pu-*
3. *tauerit; quin potius est monitio quam citatio contra nonnullos oppositum sentientes.*
4. *Iudex laicus potest citare Clericum ad exhibenda iura sua coram ipso, quando Clerici debitor petit dilationem ex consensu maioris partis creditorum, vel vult bonorum cessionis be-*
5. *neficium obtinere contra nonnullos oppositum sentientes.*



Respondetur affirmatiuè; dummodo 1
Rex id faciat rogando (non autem præcipiendo) atque ita ex Iuristis docent Mastrill. *de Magistr. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 36. Oliban. *de iure*

fisci, *cap.* 10. *num.* 9. & alij, quos ipse citat; & ratio est, quia prædicto modo aliquem vocare ad Parlamentum, est vocare illum, vt Iudicem, qui in Parlamento habeat iudicare, & definire inter Regem, & Regnum; ergo per hoc non infertur præiudicium statui Ecclesiastico: Idem etiam docent ex Theologis Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. *quæst. vlt.* Bonacina *de legib. disput.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 14. *& tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 16. *sect.* 1. *punct.* 5. *num.* 13. Pesantius *tract. de immunit. Eccles. disp.* 21. vbi ait, quod Reges, & Principes sæculares ratione sui muneris, & officij non habent ius conuocandi Episcopos, & eis præcipiendi, vt hoc, vel illud faciant; quia de iure diuino sunt exempti à Principum sæcularium iurisdictione, & potestate, possunt tamen Reges pro negotiis Reipublicæ communibus rogare Episcopos, eosque (non tanquam Episcopos, sed tanquam Proceres Regni) vt ad se veniant (quia illis opus habent) vocare, non quidem præcipiendo, & multò minùs sub minis, & pœnis comminando, sed solùm monendo, vel rogando sicuti suprà dicebam.

2 Confirmatur; quia potest Iudex sæcularis (sicuti docent communiter Iuristæ quos citat, & sequitur Ceuallos *tract. de cognition. per viam violentiæ*, *part.* 2. *quæst.* 78. *num.* 3. *& seqq.* Ioann. de Heuia *in Curia Philippica*, *part.* 1. §. 5. *num.* 31. Gironda *de gabellis part.* 4. §. 1. *num.* 18. & alij) citare, siue per edictum, siue in particulari, Clericum creditorem in confectione alicuius inuentarij, dummodò non expressè Clericus citetur ad comparendum, sed cum conditione, si sua interesse putauerit; quia talis citatio non est vera citatio, sed potius monitio, vt si voluerit, compareat; quod de iure, & in realitate non supponit iurisdictionem, & superioritatem; atque adeo non astringit, vt citatus necessariò compareat, ergo sic & in casu nostro.


3 Quamuis oppositum sentiant alij, inter quos Duard. *in Bulla Cœnæ*, *lib.* 2. *can.* 15. *quæst.* 11. *num.* 50. vbi ait, quod Ecclesiastici non possunt trahi ad Curias sæculares pro confectione inuentarij; quare cum hæres adit hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij, licet super illius confectione citandi sint omnes creditores, & legatarij, nihilominùs, si Clerici sunt, non possunt citari per Iudicem sæcularem illius loci, vbi bona hæreditaria sunt, vel vbi hæres domicilium habet, sed debent moneri solùm per Iudicem Ecclesiasticum; quia Clerici (inquit ipse) non possunt compelli ad comparendum coram Iudice laico, vigore generalis edicti, si sua interesse putauerint; cum istæ citationes edictionales à iure communi sunt exorbitantes: idem etiam docent Bonacina *de legib. disp.* 10. *quæst.* 2, *punct.* 1. §. 1. *num.* 27. Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap.* 22. *num.* 73. & alij, & Martha *de iurisdict. part.* 4. *cent.* 1. *casu* 38. *num.* 8.

Sed ad hoc istorum auctorum fundamentum facile responderi potest ex dictis.

4 Confirmatur secundò, quia potest Iudex laicus (sicuti docent Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ*, *part.* 2. *quæst.* 72. *num.* 3. Afflict. *decis.* 280. *num.* 7. Mastrill. *decis.* 79. & alij) citare Clericum ad exhibenda iura sua coram ipso, quando Clerici debitor petit dilationem ex consensu maioris partis creditorum, vel vult bonorum cessionis beneficium obtinere (quia in tali casu Clericus non conuenitur, vt Reus, sed vocatur, vt actor ad comparendum, & docendum de iure suo; atque adeo in tali casu non infertur præiudicium iurisdictioni Ecclesiasticæ; neque fit in damnum, & præiudicium Clerici, sed potiùs in vtilitatem eiusdem; quandoquidem, si alij creditores recuperarent sua credita, & ipse non compareat ostendendo creditum suum, patietur damnum: cogetur enim postea litem mouere contra alios creditores coram Iudice sæculari, reuocatoriam intentando) ergo sic & in casu nostro.

5 Quamuis oppositum sentiant alij, inter quos Martha *de iurisdict. part.* 4. *censur.* 2. *casu* 123. *num.* 9. *& seq.* & Duard. *in loc. suprà cit. num.* 53. vbi ait quod debitor laicus petens admitti ad bonorum cessionis beneficium, vel ad remissionem partis debiti, non potest defectu iurisdictionis trahere Clericum ad forum sæculare, sed debet adire Iudicem Ecclesiasticum, nisi debitor detineatur in carcere ad instantiam Clerici creditoris: nam tunc contra Clericum creditorem per viam reconuentionis potest quidem petere admitti ad cessionis beneficium in foro laicali.

Sed ad hoc istorum Auctorum fundamentum facile responderi etiam potest ex dictis.



DVBITATIO XXIII.

An Rex, vel Prorex, possit expellere à Regno Episcopos, vel Ecclesiasticos, si propter aliquod publicum negotium tractandum ad Parlamentum vocati, venire noluerint?

SVMMARIVM.

1. *Rex, vel Prorex non potest expellere à Regno Episcopos vel Ecclesiasticos, si propter aliquod publicum negotium tractandum, ad Parlamentum vocati, venire noluerint.*
2. *Princeps sæcularis nullam habet in Ecclesiasticos iurisdictionem, præsertim coercitiuam, & ideo id facientes, mandantes, ratum habentes, & auxilium, Consilium, vel fauorem præstantes excommunicantur vndecima censura Bullæ Cœnæ Domini, excepto casu quod summus Pontifex non possit consuli, & euidenter periculum sit in mora.*
3. *Recensetur concordatum Reginæ Aleonoræ, vbi dicitur male factum esse si vmquam Ecclesiastici eiecti fuerint Regno, & est etiam*

concordatum vt in posterum numquam amplius id fiat.

4. *Curtellij sententia ad leg. Federici cap. 22. not. 25.*

5. *Num. 5. refellitur, & probatur Episcopos non posse expelli à Regno propter multas rationes quæ retorquentur contra dictum Curtellium.*

6. *Transmissio Episcoporum ad summum Pontificem facta per Regios vt ab illo plectantur ordinariè censetur contra immunitatem Ecclesiasticam, & cur.*

7. *Iudici laico conceditur tantum quod possit capere Clericum quando reperitur in fraganti crimine, vel quando probabiliter præsumitur ad delinquendum incedere, vel ad effectum præsentandi illum Prælato Ecclesiastico post delictum commissum, si sit de fuga suspectus, & hoc ex interpretata mente Prælati.*

8. *Iudex laicus titulo iurisdictionis numquam potest capere Clericum etiam ad effectum præsentandi illum Iudici Ecclesiastico.*

9. *Iudex laicus vt possit capere Clericum secundum aliquos ad finem sistendi illum coram suo Prælato requiritur vt præsumatur fuga, & non potuerit à proprio Prælato impetrari mandatum, & statim, hoc est per spatium viginti horarum si fieri possit, ad ipsum remittatur.*

10. *Iudices laici non possunt ordinariè capere Episcopos, vel alios Ecclesiasticos, vt præsentent illos summo Pontifici; quod ab illo plectantur, quod si id faciant ordinariè remoto casu necessitatis, incidunt in censuram vndecimam Bullæ Cœnæ &c.*

11. *Non quid factum sit, sed quid fieri debeat, spectandum est.*

12. *Principi laico non tribuitur posse Episcopum transmittere ad summum Pontificem, vt plectatur ab illo, sed tantum instare debet rogando illum, vt prouidere velit.*

1 RESpondetur ex dictis, *dub. præcedenti* negatiuè; quia Princeps sæcularis nullam habet in Ecclesiasticos iurisdictionem, præsertim coer-
2 citiuam: Idque adeo verum est, vt ex communi sententia Doctorum non solùm id facientes, sed etiam mandantes, ratum habentés, & auxilium, consilium, vel fauorem præstantes excommunicentur vndecima censura Bullæ Cœnæ Domini; excepto casu, quod summus Pontifex non possit consuli, & euidenter periculum sit in mora (quia tunc res se haberet per modum iustæ defensionis, & nullo pacto per modum alicuius iurisdictionis) quod tamen videtur moraliter impossibile, præsertim in locis, qui non multùm distant ab vrbe; Et excepto casu, propter eamdem rationem iam dictam, si Pontifex monitus nollet prouidere; quod etiam videtur moraliter impossibile, & nullo modo dicendum.

3 Confirmatur ex concordato Reginæ Dominæ Aleonoræ, quod refert Ioannes Dyonisius Portocarrer. *in allegat. pro iurisdictione Doctorum inquisit. cum Ministris Regiis, fol. mihi 61.* vbi sic habet Regina: *Super eo vero, quod conqueritur, quod personæ Ecclesiasticæ eiiciantur, seu banniantur è Regno, concordatum est, quod illud si vnquam factum est, cum euidenter sit contra immunitatem Ecclesiasticam, malè factum sit, & est etiam concordatum, vt in posterum nunquam amplius id fiat.* Vide etiam, quæ dicebam *lib. de immunitat. & iurisdict. Ecclesiast. cap. 9. dub. 9.*

Obiicies ex Curtellio *ad leg. Feder. cap. 22. not. 25. num. 5.* vbi ait: *si Episcopi, nulla iusta causa accedente, obedire recusent, vel si tumultus suscitarent, aut temporalem iurisdictionem ita læderent, vt pax publica Diœcesum turbaretur, muneribus Laicis vsurpatis, nullaque hortationes, precésque proficerent, vt sua iurisdictione contenti essent, putarem in Regnis illis, vbi summus Pontifex longè abest, vel si magnum esset in mora damnum, concessione Pontificia constitutum esse, atque immemorabili consuetudine probatum, Episcopos, si eiici non possunt, posse tamen Romano Pontifici (debito honore, personarumque decore seruato cum epistolis causam, excessusque continentibus) transmitti, vt à suo Iudice plectantur: per hoc enim Rex in eos ius non dicit, sed ad ius dicendum coram Pontifice illos sistit, quod omni iure licere, nemo vnquam dubitauit,* tum quia id est sæpe factum, & deductum in praxi tum quia *ex text. in c. filiis, vel nepotibus 16. quæst. 6.* communiter à Canonistis, & Theologis est receptum, vt, etsi ex eo textu nullatenus iurisdictio Principi Laico tribuitur, ius tamen, quo possit apud Pontificem pro animaduersione Episcopi instare, ac ei reum offerre, tribuatur. 4

Respondetur in primis, quòd ex hoc ipso, quod docet Curtellius, euidenter apparet, moraliter vix contingere posse, ita Episcopum pacem turbare, vt Regnum periret, & Respublica corrueret, si à summo Pontifice, (vt par est) expectanda esset responsio; itemque moraliter vix contingere posse, tantam esse ad compescendam licentiam Episcoporum necessitatem, vt periculum esset in mora, si Pontificis expectaretur resolutio, præsertim in regionibus, quæ non multùm distant ab vrbe, sicuti suprà dicebatur, & admittit Curtellius; Vnde dicendum cum communi sententia Doctorum (quos adducebam *loc. suprà cit.*) Episcopos, seu alias personas Ecclesiasticas sine incursu censurarum Bullæ Cœnæ à Iudicibus Laicis de Regnis expelli ordinariè non posse. 5

Instabis: licet Ecclesiastici non possint expelli à Regno, tamen non est ratio, cur non possint transmitti ad summum Pontificem, vt ab illo, tanquam à legitimo Iudice plectantur, in quo est tota vis argumenti Curtellij. 6

Respondetur, hoc etiam esse ordinariè contrà immunitatem Ecclesiasticam, tum quia, & hæc transmissio (cum non sit ordinariè necessaria, vti *suprà* dicebatur) ordinariè est quædam velata, & palliata expulsio Ecclesiasticorum; tum quia talem authoritatem Iudicibus Laicis nemo vnquam concessit: communiter enim Doctores, quos *cit. cap. dubit. 9.* adducebam, tantùm concedunt Iudici Laico, quòd capere possit Clericum, quando reperitur in fraganti crimine, vel quando probabiliter præsumitur ad relinquendum incidere; vel ad ef- 7

fectum præsentandi illum Prælato Ecclesiastico post delictum commissum, si sit de fuga suspectus; quia in his casibus solùm ob instantem necessitatem, cui alia via prouideri non potest, ex tacita voluntate Prælatorum, vel à iure censetur cuilibet capiendi Clericum data esse facultas, iuxta *leg. raptores, Cod. de Episcop. & Cler.* Quod enim titulo iurisdictionis Iudex
8 Laicus nunquam possit capere Clericum, etiam ad effectum præsentandi illum Iudici Ecclesiastico constat *ex cap. cum non ab homine de iudic. &c. si verò de sentent. excomm. &c. si Clericus de foro compet.* & ratio est, quam dicebam, quia Potestas Laica nullam habet in Ecclesiasticos iurisdictionem, præsertim coercitiuam, seu coactiuam. Vide *cit. cap. quæst. de immunit. & iurisd. Eccles.*

9 Adde, quod multi Doctores, vt possit Iudex laicus in tertiò casu suprà dicto capere Clericum, ad finem sistendi illum coram suo Prælato Ecclesiastico, præter conditionem dictam, vt scilicet præsumatur fuga, requirunt secundam, vt non potuerit à proprio Prælato impetrari mandatum, & tertiam, vt statim Iudici proprio remittatur, scilicet per spatium viginti horarum, si fieri potest; atque ità præter alios multos Doctores, quos *dict. loc.* citabam, docet Castrus Palaus, qui etiam putat, & rectè quod Iudex laicus non possit detinere Clericum captum in suis carceribus etiam per spatium viginti horarum, si breuiori tempore possit illum Ecclesiastico Prælato remittere. Ratio; quia in tali casu neque superior Ecclesiasticus præsumitur consentire, neque sæcularis Iudex rationabilem causam habet Clericum detinendi; qua de re tamen vide, quæ *loc. cit.* diffusè dicebantur.

Adde secundò, quod & alij Doctores absolutè negant (quamuis ego contrarium putem probabilius) Iudicem laicum capere posse Clericum, etiam in primò casu suprà dicto, nempe in flagranti crimine, ad finem, vt præsentet illum Prælato Ecclesiastico; atque ità præter alios docent Martha *de iurisdict. part. 4. censur. 1. casu 42. num. 17.* Megalius *in 3. part. lib. 3. cap. 11. num. 7.* & Souza *in Bull. Cœn. cap. 16. disput. 82. num. 8.* quos loc. suprà cit. adduce-
10 bam. Vnde multò magis negandum est, quod possint ordinariè Iudices laici in casu nostro capere Episcopos, vel alios Ecclesiasticos, vt præsentent illos summo Pontifici, quod ab illo plectantur, sed dicendum, quòd, si hoc faciunt, ordinariè (remoto scilicet casu necessitatis, cui alia via prouideri non possit) incidant in censuram vndecimam Bullæ Cœnæ; sicut etiam & qui mandant, ratum habent, & auxilium, vel fauorem præstant, vt *ex eodem cit. loco Bullæ Cœnæ Domini* colligitur.

11 Non obstat, quod id sæpè factum sit, vt ait Curtellius: nam respondetur, non quid factum sit, sed quid fieri debeat, spectandum esse, *l. sed licet 12. de offic. Præsid. & cap. cum causam de elect.* nam non exempla, nisi bona sequenda sunt, vt rectè dixit Gellius *lib. 10. Noct. Att. cap. 19.*

12 Nec obstat secundò text. *in c. si filij, vel nepotibus 16. quæst. 6.* nam respondetur, in dicto textu (vt legenti patet) Principi Laico non tribui, quod possit Episcopum transmittere ad summum Pontificem, vt plectatur ab illo; sed tantum ibi dici, quòd apud dictum Pontificem instet, rogando illum, vt prouidere velit; atque ita docent Doctores, quos *dict. loc.* citabam; vel respondetur, dictum textum *in c. filiis, vel nepotibus,* per subsequentes canones esse abrogatum, sicuti docent alij, quos *ibidem* citabam. Vide Vnitio *cit. cap. 9. de immunit. & iurisdict. Ecclesiast.*




DVBITATIO XXIV.

An Rex possit grauare Ecclesiasticos, ità vt in donatiuo contribuant?

SVMMARIVM.

1. *Rex non potest grauare Ecclesiasticos vt in donatiuo contribuant.*
2. *Episcopi cum Clero liberè sine coactione subuenire poterunt Regi, si is sit in tanta necessitate, vt non valeat publico bono subuenire, ex eo quod facultates Laicorum satis non sint, nisi Personæ Ecclesiasticæ contribuant.*

Respondetur negatiuè; quia de re satis dixi *in libro, de Immunit, & Iurisdict. Ecclesiast. cap. 5. dubit. 16. & seqq.* Quod si Rex sit in tanta necessitate, vt non valeat publiquo bono subuenire, nisi personæ Ecclesiasticæ contribuant, ex eo quod facultates laicorum satis non sint, tunc consulto priùs summo Pontifice Episcopi cum Clero libere sine coactione subuenire poterunt, vt expressè habetur *in cap. aduersus, de Immunit. Eccles.* & Ego *in loco suprà cit.* diffusè dicebam. Vide *etiam cap. sequenti dubit. 26.* 1 2




DVBITATIO




DVBITATIO XXV.

An Rex possit præcipere in Parlamento, vt introitus venditi, tam à Regia Curia, quàm à terris Regni cum pacto de retrouendendo, minorentur, non obstante quod nec Regia Curia, nec terræ Regni faciant depositum, & petant rescissionem contractus virtute pacti de retrouendendo, si Emptores dictorum introituum nolint minuere censum?

SVMMARIVM.

1. *Rex potest præcipere in Parlamento vt introitus venditi à Regia Curia, quàm à terris Regni cum pacto de retrouendendo minorentur non obstante, &c.*
2. *Caput Regni propter bonum commune, quod præferri debet priuato, præiudicare potest particularibus.*

Respondetur affirmatiuè; ità Sanctus
1 Thom. 2. 2. *quæst.* 57. *art.* 2. *in fine corporis*; & Couarr. *in Regula peccatum; part.* 2. §. 8. *num.* 10. atque ita etiam fuit receptum in praxi, tum à Clemente VIII. in beneficium Ciuitatum
2 sedis Apostolicæ; tum in Parlamento Regni Neapolis Annis præteritis; & ratio est, quia caput Regni propter bonum commune, quod præferri debet priuato, præiudicare potest ex iusta causa particularibus subditis, Detius post Innoc. *in cap. qui in Ecclesiarum de constit. & in l. fin. Cod. si contra ius, &c.* & Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 5. *dubit.* 7.



DVBITATIO XXVI.

An Rex possit petere à Parlamento, vt ipsi fiat extraordinarium donatiuum, si remittat remunerationem Regni facienda quindenis singulis annis?

SVMMARIVM.

1. *Rex potest petere à Parlamento, vt ipsi fiat extraordinarium donatiuum, si remittat remunerationem Regni faciendam quindennis singulis annis, dummodo si terræ numerarentur, appareret, quod sint aucta quoad sint aucta quoad fœcularia.*
2. *Si aliqua Vniuersitas potius sit diminuta quoad fœcularia non tenetur contribuere.*
3. *Princeps admittendo præscriptionem, & vsucapionem, rerum, non praiudicauit particularibus subditis; quia præscriptio, & vsucapio quam maximè fundata est in bono publico.*

Respondetur affirmatiuè, dummodò si, Terræ numerarentur, appare- 1
ret, quod sint auctæ quoad fœcularia; quia Rex in tali casu habet Ius numerandi Regnum, iuxta illud, quod dicitur in Euangelio: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis*, &c. Ergo, si Rex in beneficium Regni remittat hanc numerationem, poterit in compensationem talis beneficij petere donatiuum extraordinarium à dicto Regno atque ita fuit receptum in Parlamento Regni Neapolis Annis præteritis & docet Couarr. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 12.

Dixi, *dummodo si Terræ numerarentur, appareret, quod sint aucta quoad fœcularia*, quia si 2
aliqua Vniuersitas potiùs sit diminuta quoad focularia, sicque potiùs petat nouam numerationem focularium, illa non tenetur contribuere in donatiuo quia alioquin dupliciter grauaretur; tum quia siue ratione boni communis, vel remissione alicuius grauaminis non potest Rex præiudicare subditis, vel illorum facultates auferre, iuxta ea, quæ suprà dicebam *dubit.* 4. *sect.* 36. & 38. & docet Detius post Innoc. *in cit. cap. qui in Ecclesiarum de constit. & in cit. l. fin. si contra Ius, vel vtilitatem publicam.*

Obiicies: de facto Princeps admittendo 3
præscriptionem, & vsucapionem rerum, præiudicauit particularibus subditis absque vlla vtilitate publica, vel recompensatione.

Respondetur nego Antecedens; quia præscriptio, & vsucapio quàm maximè fundata est in bono publico; cum intersit Reipublicæ, ne rerum dominia sint incerto, *l.* 1. *ff. de vsucapionibus*: alioquin enim carerent cultoribus; & multiplicarentur lites in magnum communitatis detrimentum.





CAPVT IIII.

DE CAVSA MATERIALI PARLAMENTI.

NEMPE.

De Parlamentarijs, ſeu de ijs, qui intrant in Parlamentum.

VT ea, quæ in hoc capite dicentur, melius intelligantur, dicam primò in genere de ijs, qui tenentur ad reſtitutionem, & quo ordine teneantur ad reſtitutionem: Secundò in particulari preſſius de ipſis Parlamentariis; quare ſit.

DVBITATIO PRIMA.

Quot modis quis mediatè cooperetur ad damnum alterius?

SVMMARIVM.

1. *Damnum, vel furtum dupliciter infertur, primò immediatè exequendo. Secundò mediate cooperando, vt vitendo, vel mandando, conſulendo &c.*
2. *Damno alicuius nouem modis cooperatur.*
3. *Perſonarum genera, quæ præter executorem tenentur ad reſtitutionem nouem ſunt.*
4. *Damno alicuius poſitiue cooperatur ſex prioribus modis, tribus autem poſterioribus, priuatiue, ſeu indirectè.*
5. *Reſtitutio vt contrahatur ex capite iniuſtæ læſionis duo ſunt neceſſaria, & vt damnum illatum ſit, & vt contra iuſtitiam, ſeu per iniuriam illatum ſit.*
6. *Mandans famulo ſuo vt hominem occidat, ſi ille mandatum non exequatur ex quacumque cauſa, ad nihil tenetur ante Iudicis ſententiam.*
7. *Cædens arbores in aliena ſilua contra Domini voluntatem, ſi equum caſu occidat, non tenetur de damno.*



SVppono, dupliciter damnum inferri: primò immediatè, exequendo, (de quo dixi *tract. præcedenti*) Secundò mediatè, cooperando, vt iubendo, vel mandando, conſulendo, &c. de his nunc dicam: ſic enim plenè intellegitur, quis ad reſtitutionem teneatur. Hoc ſuppoſito. 1


Reſpondetur, cooperari nouem modis, qui continentur his verſibus.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

3 Vnde nouem sunt genera personarum, quæ præter executorem tenentur ad restitutionem. De quibus modis S. Thom. 2. 2. *quæst.* 61 *art.* 7. Scot. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 4. Richar. *ibid. art.* 5. *quæst.* 4. Gabr. *in* 4. *quæst.* 2. *ad* 15. *art.* 3. Adrian. *ibidem tract. de restit. quæst.* 1. Syl. *ver. restitutio*, 3. *quæst.* 6. Io. Med. *C. de restit. qu.* 7. *&* 8. Sot. *lib.* 4. *qu.* 7. *art.* 3. Couar. *ad reg. Peccatum par.* 2. §. 12. & Nauar. *in sum. cap.* 17. *num.* 17. *& seq.*

Cæterum aduerte, sex prioribus modis cooperari positiuè, seu directè, tribus autem posterioribus, priuatiuè, seu indirectè.

4 Ex dictis constat, ad contrahendam obligationem restituendi ex capite iniustæ læsionis duo esse necessaria, & vt damnum illatum sit,
5 & vt contra iustitiam, siuè per iniutiam illarum sit; quare si quis famulo suo mandet, vt
6 hominem occidat, ille autem mandatum ex quacumque causa non exequitur, ad nihilum mandator tenebitur ante Iudicis sententiam,
7 cum nullum damnum illatum sit. Item, si quis vel in aliena sylua contra Domini voluntatem arbores cædens, equum casu occidat, non tenebitur de damno, quod vt suppono inuoluntariè, ideoque sine iniuria illatum est.



DVBITATIO II.

An ij, qui positiuè cooperantur, semper teneantur ad restitutionem?

SVMMARIVM.

1. *Cooperantes positiue secundum aliquos Doctores non tenentur ad restitutionem, si sine ipsis æque damnum fieret, secus autem est, cum ita cooperantur mandando, consulendo, consentiendo &c. vt sine ipsis damnum non inferretur.*
2. *Iubens, consulens, consentiens, &c. Executori, si executor ex his motus fuerit ad damnum inferendum non ideo excusatur à restitutione ex eo, quod alius, non defuisset, qui iussisset, consuluisset, &c. contra opinionem prædictorum.*
3. *Iubens, consulens, consentiens &c. in hoc casu vere dicitur causa damni, sine qua damnum non fieret, ex quo infertur obligatio ad restituendum, alias enim sequeretur grauissimum absurdum nempe, quod qui suadet homicidium, vel occisor ipse non esset causa si alius erat occisurus.*
4. *De ratione causæ non est, vt illa non posita, non sequatur effectus, cum idem effectus possit poni per diuersas causas.*
5. *Iubens, consulens, consentiens &c si executor absque illo consilio, consensu, mandato &c. æque bene, & eodem modo damnum erat illaturus, licet nulla alia similis causa esset superuentura, non tenentur ad restitutionem.*
6. *Iubens, consulens, consentiens licet grauiter quoad affectum contra iustitiam peccent; quia tamen eorum consilium, aut mandatum est inefficax, cum damnum ex ipso tanquam ex causa non sequatur, non tenentur ad restitutionem.*
7. *Opinio quod quis non obligetur ad restitutionem, etiam si moueat executorem, vt citius, vel animosius, vel alibi faceret, si sine eo, vel simili superueniente erat facturus, vel si causam dederit, vt plus damni inferret, quam alioquin erat illaturus, non teneatur nisi ad illud amplius, dicitur probabilis;*
8. *Quia non est causa substantiæ damni, sed tantum modi, vel circumstantiæ.*
9. *Opinio, quod prædicti in tali casu teneantur in solidum dicitur etiam probabilis; tamen quia illa actio quatenus damnosa iam erat parata secundum suam speciem in causa exequente, & omnino secutura, non videntur circa eam quidquam efficaciter operari, nisi inducendo nouas circumstantias.*
10. *Restitutio non ideo contrahitur quod quis in casu recensito sit causa substantiæ illius actionis in indiuiduo; nempe quod potius sit hæc indiuidua actio quam illa, vide plures casus recensitos de causa quod differatur damnum in crastinum, item de rogante vt alibi occidatur aliquis vbi est minus scandalum, item de consulente vt minus furetur volenti multum furari, &c.*
11. *Quis vt teneatur in solidum ad restitutionem non sufficit quod sit causa totius actionis vt hic & nunc fit; sed vlterius requiritur quod actio illa secundum suam speciem sine tali cooperatione à tali executore non sit processura.*
12. *Restitutionis obligatio non contrahitur ab illo, cuius cooperatio fuit tantum materialis, vt non influxerit formaliter in effectum v. g. si furi furandi gratia ascendenti scala teneatur in foro tamen externo meritò tales propter delictum puniuntur.*



Qvidam sentire videntur, hos cooperatores solùm teneri ad restitutionem, cum ita cooperantur mandando, consulendo, consentiendo, &c. vt sine ipsis damnum non inferretur; cum vero sine ipsis æquè damnum fieret, non teneri. Sic ex Palud. & Richard. docet S. Antonin. *par.* 2. *tom.* 1. *cap.* 12. §. 12. Adrian. *in* 4. *de restit.* §. *de concurrentibus cum Iure*, Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. Nauar. *cap.* 17. *& seqq.* quin, & etiam S. Th. *in* 4 *dist.* 15. *qu.* 1. *art.* 5. *ad* 3. 9. *quæstiun. &* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. *ibidem* Palud. *qu.* 2. *art.* 3. Syl. *ver. restitutio* 3. *qu.* 6. *dict.* 3. *&* 4. & Sà *ver. Restit. num.* 39. Contra Caiet. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. Medinam *qu.* 7. *&* 8. *de restit.* & 1

Sotum *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 3. Quod, vt melius intelligatur.

2 Respondetur, & dico primò. Qui iubet, consulit, consentit, &c. executori, ità vt ex his executor motus fuerit ad damnum inferendum, non ideo excusantur à restitutione, quod alius non defuisset, qui iussisset, consuluisset, &c. Sic Caiet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Sot. *libro* 4. *qu.* 7. *art.* 3. & Io. Med. *qu.* 7. Et in hoc sensu prior sententia est falsa, nec Authores ipsius id negabunt.

3 Probatur; quia talis est ità causa damni in hoc casu, vt, si ipse, vel alius similis non moueret, executorem, damnum non fieret; ergò vere est causæ sine qua non fieret. Consequentia probatur; quia causa sine qua non, est ea, quæ ita cooperatur, vt sine ipsa, vel simile superueniente, à causa executrice non fieret effectus; non autem est illa solùm, quæ si absit, non fieret effectus: nam alioquin qui suadet, vel iubet homicidium, non esset causa, si alius esset suasurus, vel iussurus; quin neque occisor esset causa, si alius erat occisurus: quæ sunt omninò falsa sicuti enim ille iniquè erat facturus, & restitutionis obligationem subiturus, si suasisset, vel iussisset crimen, ita etiam is, qui in eius locum succedit.

4 Obiicies: illa solum est causa, qua posita, sequitur effectus, & qua non posita non sequitur effectus; ergo si tuo consilio non posito, effectus tamen sequeretur, tuum consilium non est causa.

Respondetur: nego antecedens; quia non est de ratione causæ, vt, illa non posita, non sequatur effectus, cum idem effectus possit poni per diuersas causas. Item causa sine qua non est, ex cuius cooperatione sequitur effectus, ita vt, nisi ipsa, vel similis superueniens cooperetur, non sequatur effectus.

5 Dico secundò. Si executor absque illo consilio, consensu, mandato, &c æque bene, & eodem modo damnum erat illaturus, licet nulla alia similis causa esset superuentura, illi non tenentur ad restitutionem; v. g. si consilio, mandato, &c. inuites eum, qui ad crimen paratus erat, quique non ideo celerius, atrocius, minus, aut plus infert mali, non teneris ad restitutionem; sic communiter Doctores.

6 Probatur; quia licet grauiter (etiam contra iustitiam quo ad effectum pecces) consilium tamen, & mandatum tuum est inefficax; cùm damnum ex ipso tanquam ex causa non sequatur, sed se habeat, vt quid concomitans; Et in hoc sensu Petr. Nauarr. explicat primam sententiam, quæ sic explicata est vera.

7 At, si quis Authores illius sententiæ perpendat, illi tenent reuera, te non obligari ad restitutionem, etiamsi moueris executorem, vt citius, vel animosius, vel alibi faceret, si ipse ita paratus etat, vt sine te, vel simili superueniente, esset facturus; Vel, si causam dederis, vt plus damni inferret, quàm alioquin erat illaturus te non obligari, nisi ad illud amplius; Ita S. Th. *suprà*, S. Anton. Nauarr. & cæteri citati Doctores, clarè, vti mihi videtur.

8 Hæc sententia est probabilis; quia tunc non es causa substantiæ damni, sed modi, vel circumstantiæ, cum qua mandatur executioni, vt v. g. fiat hoc tempore, hoc loco, hoc instrumento, hoc modo (quod parum, vel nihil refert ad illationem substantiæ damni) ergo non teneris ad substantiam damni; si tamen es causa, vt fiat cum incremento, teneris solùm ad incrementum damni.

Obiicies. Es causa totius actionis, vt hîc, & nunc fiat, ergo teneris.


Respondetur. Ob hoc argumentum altera 9 sententia (te scilicet in solidum teneri) est etiam probabilis, quam tenent Caietanus, Medina, Sotus, & Petr. Nauar. *suprà* Responderi tamen potest; etiamsi sis causa totius actionis indiuiduæ, vt hîc, & nunc fit, tamen quia illa actio, quatenus damnosa, secundùm suam speciem iam erat parata in causa exequente, & omnino secutura, non videris circa eam quidquam efficaciter operari, nisi inducendo nouas circumstantias; quod non refert ad substantiam damni: cum enim aliqua causa est exitura per se in actum, parum refert, an hic celerius fiat, vel tardius, hîc, vel ibi, hac vel illa actione indiuidua, hoc, vel ill instrumento, &c.

Instabis. Non potest esse causa istorum accidentium, & circumstantiarum, nisi etiam sis causa substantiæ actionis; ergo.

Respondetur. Concedo, te esse causam substantiæ illius actionis in indiuiduo, nempè 11 quod potius sit hæc indiuidua actio, quam illa; sed hoc parum facit ad obligationem restitutionis; Vt qui v. g. est causa, quod differatur damnum in crastinum, est causa, cur sit alia actio indiuidua damnificans, est tamen non tenetur ad quidquam. Item qui rogat, vt alibi occidat, vbi est minus scandali. Item qui volenti furari decem suadet, vt furetur viginti, est causa illius indiuiduæ actionis, & tamen non tenetur, nisi ad decem, eo quod non censetur causa furti, nisi de decem, Medina, Couar. 11 Petr. Nauar. & alij, vt igitur quis teneatur in solidum, non sufficit, quod sit causa totius actionis, vt hîc, & nunc fit, sed vlterius requiritur, quod actio illa secundùm suam speciem sine tali cooperatione à tali executore non sit processura.

Hinc multò minus tenetur ad restitutionem 12 is, cuius cooperatio fuit tantùm materialis, vt non influxerit formaliter in effectum, quia scilicet sine illa hoc numero damnum tamen ab hoc damnificante illatum fuisset; v. g. si furi furandi gratia ascendenti scalam teneas, quam, etsi nemo teneret, tamen ascenderet: Si ancilla dominum iuuet in asportando rem furti iam, quam sine cuiusque ope, vel auxilio asportaret, in quo consentiunt Adrian. Syl. Palud. S. Anton. Nauar. *loc. suprà cit.* Molina *cit. disp.* 536. *num.* 5. Petr. Nauar. *num.* 49. contra Vasquez *de restit. cap.* 9. §. 1. *dub.* 2.

In foro tamen externo tales meritò propter delictum puniuntur, præter quam si metus iustus excuset: qua ratione & à peccato excusantur rustici, cum à militibus, vel prædonibus mortis metu ad prædas iniustas auehendas adiguntur.



DVBITATIO III.

An oporteat positiuè (nempe iussione, consilio, consensu, &c.) operari, vt censearis causa damni? Et primò de iussione.

SVMMARIVM.

1. *Iubens, seu mandans itavt alterum moueat ad crimen, censetur causa damni; quin inter causas præcipua, quia non est modus efficacior, quo homo liberè ab alio moueatur quam per mandatum.*
2. *Mandare dupliciter contingit primo expresse; Secundo implicitè. Expresse vt si quis dicat, occide; implicitè, vt si dicat, vtinam quis mihi hoc obsequium præstet, &c.*
3. *Mandans si reuocet mandatum ante patratum crimen, idque mandatario innotescat, non tenetur quia tollit causam*
4. *Ratum habens crimen nomine suo patratum non tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ; quia ex illa ratihabitione facti præsenti ipsum factum per quod damnum illatum est, nullo modo pendet, tanquam ex causa mouente, cum non detur potentia ad præteritum.*
5. *Finis non mouet voluntariè, sed naturaliter ex parte sua.*
6. *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur; non autem respectu operis patrati, & obligationis restituendi, sed respectu contractuum, nam sola voluntati foris expressa firmari possunt contractus præteri; non autem causari damnum præteritum. Item respectu pœnæ in foro externo.*
7. *Ratam habens percussionem Clerici, contrahit censuram: quia illa exprimitur in iure; vnde non sic contrahit irregularitatem qui ratum habet homicidium; neque sic contrahit impedimentum matrimonij, qui ratum habet coniugicidium; quia hæc pœnæ non exprementur pariter in iure.*
8. *Sciens male propositum alicuius, qui vult iniuriam amici vindicare, si is non contradicat, seu impediat censetur approbare, & sic tenetur ad restitutionem, non vt mandans sed vt non obstans. Secus autem est si nesciat.*

1 Respondetur. Qui ità iubet, seu mandat, vt alterum moueat ad crimen, censetur causa damni quia inter causas præcipua, quia non est modus efficacior, quo quis liberè ab alio moueatur, quàm per mandatum: mandans enim quamdam obligationem imponit.

2 Duplicite r autem potest quis mandare: primò expresse; vt si dicat occide vel volo, occidas. Secundo implicitè, vt si dicat vtinam quis mihi hoc obsequium præstet: carus erit mihi qui hoc fecerit; vel si quodcumque aliud dictum, aut factum præstet, ex quo v. g. famulus intelligere potest gratum fore domino, si nomine illius damnum inferatur.

Aduerte tamen primò si reuoces mandatum ante crimen patratum, idque mandatario innotescat, te non teneri ad quidquam; quia tollis causam; qua de re sunt multa iura *ff. mandati.* 3

Aduerte secundò, cum qui ratum habet crimen nomine suo patratum, non teneri in foro conscientiæ ad reparandum damnum: vt rectè contra Balud *in 4 dist. 15. q. 2. art. 3.* Syl. *ver. restitutio 3. q. 6. dub. 1.* Angelum *ver. furtum, num.* 20. & Nauar *cap. 15. num. 23.* (qui putant ratihabitionem obligare instar mandati, si, dum mandare poteras damnum tuo nomine sit illatum) tenent *med. q 1. ad 4.* Rebel. *part. 1. lib. 2. q. 14. sect. 3.* Mol. *tom. 3. disp. 729.* & Vasq. *de restit. cap. 9. §. 1. num.* 19 & probatur quia ex illa ratihabitione facti præteriti, ipsum factum, per quod damnum illatum est, nullo modo pendet, tanquam ex causa mouente, cum non detur potentia ad præteritum. Nec refert, quod nomine tuo factum sit; quia inde solùm sequitur voluntatem tuam fuisse causam finalem & ideo illum fuisse, vt tibi gratificaret, quia putabat, tibi gratum futurum: sed hoc non sufficit, vt tu censearis causa efficiens, & voluntariè mouens ad irrogandum damnum; cum finis non moueat voluntariè, sed naturaliter, ex parte sua. 4 5

Obiicies: *in cap. ratihabitionem retrotrahi, & mandato non esse dubium comparari.* 6

Respondetur, comparari mandato, non respectu operis patrati, & obligationis restituendi, sed respectu contractuum, qui alterius nescientis nomine celebrari, ac proinde à consensu eius pendentes, subsequente ratificatione confirmantur (nam sola voluntate foris expressa firmari possunt contractus præteriti, non autem causari damnum præteritum.) Item comparari mandato respectu pœnæ in foro externo; quia per Iudicis, vel legis sententiam, qui ratum habet delictum, punitur sicut qui mandauit, vel iussit, Gloss. communiter recepta *in l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi armata.*


Instabis. Qui ratam habet percussionem Clerici, contrahit censuram, ergo. 7

Respondetur: contrahit censuram, quia illa exprimitur in iure; vnde non sic contrahit irregularitatem, qui ratum habet homicidium; nec sic contrahit impedimentum matrimonij, siue ratum habet coniugicidium; quia hæ pœnæ non exprimuntur in iure; sicque retorquetur argumentum.

An autem, si scias, alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, v. g inimicum tuum occidere neque prohibeas, cùm facile possis, mandasse censearis, sicque tenearis damnum compensare in foro conscientiæ? 8

Respondetur (licet aliqui vt Mol. *tom. 1. disp. 729. n. 6.* affirment) melius distingui cum Rebello *par. 1. lib. 2. q. 14. sect. 3. num.*

13. Velalter scit, te malum suum propositum nosse, & non contradicere, seu impedire, vel nescit: Si primum, taciturnitas tua censetur consensus & approbatio, per quam si ille mouetur ad scelus perpatrandum, teneberis de damno. Si secundum, non teneberis, vt mandans, sed interdum, vt non obstans, si scilicet ex officio, adeòque ratione iustitiæ, non solius charitatis, ad damnum iniustum impediendum tenearis.



DVBITATIO IV.

Quid dicendum de consilio?

SVMMARIVM.

1. *Consiliarius in dando consilio tenetur ex culpa lata, vel fraude, qua pertingat peccatum mortale.*
2. *Consiliarius, seu Consultor ante patratum delictum si reuocet consilium falsum, dicendo se deceptum esse, &c. itavt Consultus cognoscat consultorem ex animo loqui, non tenetur ad compensationem damni, quia si ille in concepto scelere persistat, est tantum ab eius malitia; si autem dedit consilium verum, non sufficit reuocare, sed oportet persuadere, nam alias tenebitur.*
3. *Instruens aperiendo occultum nocendi artificium vt noceat, sine quo non potuisset nocere, & per quod in proposito nocendi est, tenetur ad restitutionem; sicut qui furenti præbet arma, quod inimicum occidat; nisi reipsa abstulerit ne illis noceat.*
4. *Consultor prauus non habet in suo posse impedire quin consilium illud exeat in opus.*
5. *Assignatur discrimen inter mandantem, & consulentem, cessat enim in mandante, qui ante patratum delictum cum delinquentis mandatarij notitia reuocat mandatum omnis obligatio, & actio. At non sic in consultore nisi persuadeat oppositum optimis rationibus.*
6. *Qui precibus, blanditiis, & promissis induxit alterum ad maleficium faciendum, sufficit vt quantum potest ostendat sibi displicere, seque propositum mutasse, & promissa rescindere, nam alter nomine ipsius acturus erat.*
7. *Consultor, quod non teneatur ad compensationem damni, non est improbabile si consilium quantum in se est, reuocet, & contrarium persuadere conetur, quamuis reipsa non persuadeat.*
8. *Consulens vt inferatur alicui minus damnum, inferatur maius, non tenetur ad restitutionem; quia vtiliter gerit negotium illius, neque peccat suadendo minus licet de illo non cogitasset. Contra Nauarrum.*
9. *Suadens latroni, vt alteri de quo non cogitauit damnum minus inferat, tenetur ad compensandum damnum, quia iniuriam ei facit; non enim licet impedire damnum Petri, cum iniuria Pauli.*
10. *Loth peccauit dum Sodomitis in hospites irruentibus suasit stuprum filiarum, quia suasit iniuriam in eas, de quibus ij non cogitabant, crumo tenebatur ex officio paterno earum pudicitiam tueri, licet forsan excusari possit quod vel ex perturbatione id dixerit, vel ad ostendendam sceleris grauitatem; quomodo dici consueuit me potius occide, quam ei noceas.*
11. *Maleficium non licet in particulari inclinare in alterutrum, rogando quod huic potius noceat quam illi.*
12. *Consulens male, vt Confessarius, Aduocatus, &c. tenetur damnificato cui ex tali consilio damnum iniustum illatum est, saltem in defectum executoris, non solum si dolo, sed etiam si culpa saltem crassa, seu mortali, cum hæc in delictis requiritur dolo non in ordine ad pœnam, sed ad damnum compensandum.*
13. *Consulens, seu suadens male si sit talis, qui ratione status, & officij peritiam profitetur in ea re, quam consulit, vel suadet vt Doctor, Aduocatus, Consiliarius, Confessarius, tenebitur de culpa saltem lata; quia etiam de leui; si inde stipendium percipiat. Secus si non sit talis, non si tenetur de consilio nisi doloso.*
14. *Nullus ex consilio nisi fraudulentum sit, obligatur.*
15. *Amplia prædicta vera esse etiam si culpa theologica interuenerit; si enim Plebeius inconsiderate, seu per negligentiam etiam crassam, dat alteri sine dolo consilium noxium ad restitutionem non tenetur.*
16. *Executor iuris imperitus merito secutus auctoritatem Confessarij, Aduocati, & Consiliarij, non peccat, neque tenetur ad restitutionem ex capite iniustæ læsionis, tenetur autem Confessarius, &c.*



Respondetur: Consilium similiter est causa, dum quis ex eo mouetur ad faciendum opus. Huc spectant preces, & promissiones.

Ex qua vero culpa in dando consilio quis teneatur?

1 Respondetur, teneri ex culpa lata, vel fraude, quæ pertingat peccatum mortale, sicuti probabam tractatu præcedenti.

Petes: An, si consultor ante patractum delictum, reuocet consilium, teneatur ad quidpiam?

2 Respondetur distinguendo: si dedisti consilium falsum, vel falso nixum fundamento (v. g. dicendo, contractum esse licitum, bellum esse iustum, &c.) sufficit, quod postea retractes, dicendo, te esse deceptum, & sincere veritatem explices, eo modo, iisque rationibus, vt is, cui consilium dedisti, intelligat, te ex animo loqui: sic enim prius consilium satis retractatur; vnde si ille nihilominus in concepto scelere persistat, non tuo consilio, sed

sua solum malitia videbitur moueri, ideoque tibi non imputabitur.

Sin autem dedisti consilium verum, ostendendo vtilitatem, vel honorem, qui ex opere iniquo consequetur, vel malum tentanti occultam nocendi viam aperuisti, non sufficit reuocare ostendendo, rem esse illicitam, vel suadere contrarium sed requiritur persuadere: nam si ipse permotus ista vtilitate, vel commoditate exequendi quam aperuisti scelus perficiat tenebris; quia ostensione commodi, vel honoris illum ad damnum inferendum permouisti. que motio manet, quamdiu ipse eodem motiuo motus conceptum opus vult prosequi ergo, cum sis causa istius voluntatis, etiam es causa effectus nempè damni, quod
3 ex illa sequetur. Similiter occultum nocendi artificium aperiendo instruxisti, vt noceat, sine quo non potuisset nocere, & per quod in proposito nocendi est, teneris; sicuti, qui furenti præbet arma quod inimicum occidat, tenetur, nisi re ipsa abstulerit, ne illis noceat.

4 Confirmatur; quia cum prauum consilium dares, debebas cogitare mala, quæ inde sequi poterant & non fore postea in tuo posse impedire quin consilium illud exeat in opus.

5 Hinc potest dari discrimen inter mandantem, & consulentem; cum enim mandatarius agat nomine mandantis, vt ipsi morem gerat, hoc ipso quo mandans reuocat mandatum, & reuocatio innotescit mandatario ante opus patratum, cessat omnis ratio agendi à mandante proposita; ac proindè omnis motio ab ipso proueniens

Dixi, *si reuocatio innotescat mandatario*; quia si non innotescat tenetur mandatorum effectu secuto non minus, quam si non reuocasset; quia ex vi mandati dannum prouenit, vnde & incurrit etiam censuras & irregularitatem, si forte mandanti (v. g. in percussione Clerici) infligantur. Nec refert quod modo sit in statu gratiæ: nam etsi talis censura non contrahatur, nisi propter peccatum mortale, non tamen est opus, vt illius peccati culpa tunc committatur; sed sufficit commissam esse, & effectum eius, seu opus externum ex vi illius tunc fieri (vti contingit in casu nostro) nam opus externum imputatur mandanti, tanquam authori principali, qui altero, vt instrumento, vsus sit.

At, qui consilium accipit, agit nomine suo, nempè, vt rebus suis consulat; vnde non statim cessat ratio agendi ipsi impressa, nisi contrarium persuadeatur, vel nisi ostendatur, eam rationem, ob quam motus fuit, non subesse; vnde effectu secuto censuras incurret.

6 Cum verò quis precibus, blanditiis, promissis, induxit alterum ad maleficium faciendum, sufficit, vt quantum potest, ostendat, sibi displicere, sequè propositum mutasse, & promissa rescindere: nam alter nomine ipsius acturus erat, seu, vt ipsi rem gratam faceret.

7 Non est tamen improbabile, consultorem non teneri, si consilium, quantum in se est, reuocet, & contrarium persuadere conetur, quamuis re ipsa non persuadeat; ita Salon *quæst.* 62. *art.* 7. & Petr. Nauarr. citans Io: Medinam; & probatur; quia cum quis fecit, quod potest; vt consilium prius euertat, vel ostendit, omnibus consideratis, esse iniquum, & non sequendum, non videtur executor illius consilio moueri, sed sua malitia; quare in istorum Doctorum sententia nullum est discrimen inter mandantem, & consulentem.

Petes secundò, An consulens damnum minus ad auertendum maius, teneatur ad restitutionem? 8

Respondetur. Si consulis, inferri alicui damnum minus, ne eidem inferatur maius, non teneris; quia vtiliter geris negotium illius, quare & debet potius reddere tibi gratias pro tali beneficio; Neque peccas suadendo minus, licet de illo non cogitauerit (quidquid dicat Petr. Nauarr. *suprà num.* 29.) quia non suades absolutè (quod ex se est illicitum, sicut & facere) sed sub conditione, si scilicet alterum omninò velit facere vel si aliter à maiori remoueri non possit, quæ conditio semper intelligitur, quando suadetur ei, cuius animus putatur obfirmatus.

Si verò suades latroni, vt alteri, de quo non cogitabat damnum minus inferat, teneris, quia iniuriam ei facis, dum eum animo latronis nocendi cupido obijcis: non enim licet impedire damnum Petri cum iniuria Pauli. 9

Hinc peccauit Loth, *Genes.* 19. dum Sodomitis in hospites irruentibus suasit stuprum filiarum; quia suasit iniuriam in eas, de quibus ij non cogitabant (vt omittam, quod ex officio Paterno earum pudicitiam tenebatur tueri) licet forsan excusari possit, quod vel ex perturbatione id dixerit, vel ad ostendendā sceleris, quod attentabant, grauitatem; quomodo dici consueuit, me potius occide, quàm ei noceas. Vide Caietanum in illum locum. 10

Aduerte tamen, si Paulus esset diues, qui non putaretur ægrè laturus minus damnum ad auertendum damnum Petri multò maius, liceret illud consulere; Idemque dico, si Petrus illud idem minus damnum esset Paulo repensurus; tunc enim Paulus ex charitate tenetur permittere.

At, si latro de vtroque cogitaret, & anceps esset, cui vellet damnum inferre, constituisset tamen firmiter alterutri inferre, posses suadere in genere, quod minus est; (minus enim malum respectu maioris non censetur malum) neque per hoc facis iniuriam ei, cui minus malum infertur; quia non ponis in mente latronis aliquid, quod non cogitabat, sed solùm in genere doces, si alterutrum malum fieri necesse sit, minus malum esse potius faciendum, qu m maius (quæ doctrina est vera, ac vtilis,) & indicas, quod ex duobus malis: sit minus, in quo etiam veritatem (quam nosse, expedit) ostendis, & hoc ipsum illius iudicio relinquis; vnde non potest alter queri, sibi à te esse factam iniuriam: non enim dicis, fac potius isti iniuriam, quàm illi, sed tantum proponis veritatem speculatiuam; quod vt facias, iustam causam habes, & relinquis eius iudicio, quodnam malit amplecti; ita Sot. *lib.* 4. *de iust.* *q.* 7. *art.* 3. *sub fin.* contra Petr. Nauar. *suprà num.* 30. cuius ratio nihil aliud

concludit, quàm in particulari non licere, di-
11 rectè maleficum inclinare in alterutrum, rogando, quod huic potius noceat quam illi; quod vltrò concedo.

Petes tertiò. An in dubio, vtrum alios tuo consilio, vel laude promoueris, tenearis ad restitutionem?

Respondetur: de hac re dicam *infrà dubit.* 10. & dixi *suprà tract.* 3. *dubit.* 14. *&* 47.

Petes quartò. An malè consulens, vel suadens, tenearis interdum ex dolò tantùm, & non ex culpa, etiam lata, in consulendo.

Respondetur: vel quæritur, án sic suadens ex consilio tuo noxio tenearis ei, qui consilium sequitur, vel quæritur, an tenearis tertiò, cui ex tali consilio damnum iniustum illatum est.

12 In posteriori casu teneris damnificato (saltem in defectum executoris) non solum, si dolo, sed etiam si culpa (saltem crassa, & seu mortali, cum hæc in delictis æquiparetur dolo, non in ordine ad pœnam, sed ad damnum compensandum) consilium noxium dedisti, vt sis, confessarius, vel Doctor, per errorem crassum respondisti, restitutionem non esse faciendam.

13 In priori autem casu cum Syl. *ver. consilium, quæst.* 7. *Mol. tom.* 3. *post. disp.* 730. *num.* 2. Rebel. *p.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 4. distinguo: Si consulens, vel suadens sit talis, qui ratione status, vel officij peritiam profitetur in ea re, quam consulit, vel suadet (vt Doctor, Aduocatus, Consiliarius, vel Confessarius (tenebitur, etiam de culpa, saltem lata, quin sec. communem Doctorum sententiam etiam de leui, si inde proprium commodum, v. g. stipendium percipiat; Si verò consulens, vel suadens non sit talis, qui ratione status vel officij peritiam præseferat, non tenetur ex consilio, nisi doloso, nempè nisi fraude ignorantem circumueniat, iuxtà Iuris regu-
14 lam 62. *in* 6. *Nullus ex consilio, nisi fraudulentum sit, obligatur*, & reg. 47. ff. *consilij non fraudulenti nulla obligatio est.* Ratio discriminis est, quia personæ prioris generis, dum peritiam præseferunt, qua carent, alios decipiunt, qui ipsorum consilium, & authoritatem per simplicitatem sequuntur, qui verò talem peritiam non præseferunt, horum consilium nemo prudens sequitur, nisi prius explorarit, an expediat, nec ne iuxta *l.* 2. *in fin. ff. mandati.*

15 Et hoc puto verum, etiam si culpa theologica interueniat, v. g. si plebeius inconsiderate, seu per negligentiam, etiam crassam, tamen sine dolo dat alteri consilium noxium, de damno secuto non tenetur, cum solum contra charitatem peccet, & alter, qui datum consilium voluntariè sequitur, suæ potius temeritati imputare debeat.

16 Cæterum sæpè contingit, vt executor, iuris imperitus, & Consiliarij, vel Aduocati, vel Confessarij authoritatem merito, secutus, non peccet, ideoque ad restitutionem ex capite iniustæ læsionis non teneatur, teneatur autem è contra, quia peccat, Consiliarius, Aduocatus, Confessarius, vt rectè notauit Mol. *tom.* 3. *post. disp.* 730.

DVBITATIO V.

Quid dicendum de Consensu?

SVMMARIVM.

1. *Consensus similiter est causa, cum ab alterius consensu pendeat vt res fiat, vel non fiat.*
2. *Consensus eius, à quo actus aliquis non pendet vel qui nullam habet auctoritatem, non censetur causa damni; quia non influit in damnum.*
3. *Suffragium illius qui accedit post quam sufficiens numerus est suffragatus, non censetur causa damni, nisi dans suffagium contrario suffragio posset malum impedire, & si mortaliter peccet consentiendo.*
4. *Suffragium dans prius, quam sufficiens numerus sit causæ iniquæ suffragatus, tenetur ad restitutionem, & si certo sciuerit sequitur in eam partem consensuros, in effectum enim influxit &c.*
5. *Suffragium prædictum dicitur causa sine qua non fieret damnum, nulla alia simili causâ accedente.*
6. *Consensus nomine intelligitur efficax approbatio, vel suffragium ad damnum inferendum, vt si quis è magistratu præstet consensum ad inferendum bellum iniustum.*
7. *Suffragium dans postquam vidit partem maiorem Assessorum, canonicorum &c. suffragium dedisse iniquum, ita vt licet ipse non dederit res iniqua decreta seu obtenta fuerit absque*
8. *aliasque peccat, sed non tenetur ad restitutionem; secus si prior dederit.*
9. *Sperans contradicendo aliis persuadere posse, vt iniquam sententiam reuocet, ex officio tenetur de damno secuto.*

Respondetur: Consensus similiter est 1
causa, cum ab alterius consensu pendet, vt res fiat, vel non fiat; v. g. vt huic inferatur bellum, vel aliud damnum. Quod si id à consensu tuo non pendet, eò quod authoritatem nullam habes, vel si sine tuo consensu iam alij parati erant, neque illum expectarint, non censeris causa 2
damni, quia non influis in damnum.

Hinc, cum plures ferunt suffragia, vel subscribunt causam iniquam, si tu etiam consentias, postquam sufficiens numerus est suffragatus, non teneris (etsi moraliter pecces consentiendo) ad damnum secuturum nisi spes sit, te 3
contrario suffragio posse malum impedire; cum ad id tenearis ex officio) Caiet. *ver. Restitutio, cap.* 1. §. *consensus*, & Nauar. *cap.* 17. *n.* 21. & probatur; quia tunc causa damni est ita

disposita, vt æquà damnum sit secuturum absque tuo suffragio, atque cum illo; quare tuum suffragium accedens non est vllo modo causa damni.

4 Si tamen tuum suffragium dedisti prius, quam sufficiens numerus esset causæ iniquæ suffragatus, teneris ad restitutionem, & si certo scieueris, sequentes in eam partem concessuros; vt rectè Caietanus, & probatur; quia tunc suffragium tuum causæ damnosæ aliquid contulit, & in effectum influxit.

Obiicies. Hoc suffragium non fuit causa sine qua non, ergò.

5 Respondetur. Nego antecedens; quia fuit causa sine qua non fieret damnum, nulla alia simili causa accedente: nam cum se adiunxit causæ damnosæ, scilicet numero suffragantium, non dum ipsa erat ita disposita, & valida, vt sufficeret ad damnum inferendum; hoc autem suffragium accedens illam compleuit.


Similiter teneris si spes erat, te alios ab iniquo suffragio posse reuocare, quia ex officio quisque suffragantium tenetur si potest, damnum impedire, vti dicebam.

6 Nomine consensus itaque intelligitur efficax approbatio vel suffragium ad damnum inferendum, vt si quis e magistratu, vti dicebam, ad inferendum bellum iniustum, vel si quis ex Concilio, Capitulo ad ferendam legem iniustam, eligendum hominem indignum, & Ecclesiæ perniciosum, efficax suffragium, & consensum præstet.

7 Hinc, si videas, maiorem partem Assessorum, Canonicorum iniquum suffragium ante dedisse, vt licet tu suffragium non des, nihil tamen profecturus sis, neque damnum impediturus, peccabis quidem suffragium dando, sed ad compensandum damnum non tenebe-ris, cum eius causa non fueris; siquidem sufficiens, & efficax causa posita erat ante tuum suffragium, ita ex communi Caiet. Nauar. *locis suprà cit.* Petr. Nauarra *lib. 3. cap. 4. num. 33.* Mol. *tract. 2. tom. 3. par. post. disp. 732.* & Vasq. *de restit. cap. 9. §. 1. num. 16.*

8 Dixi, *si maior pars* (secundum quam sententia ferenda est) *suffragium iniquum ante te dederunt*; quia si tu prior dedisti, tunc vnà cum aliis causa ferendæ sententiæ fuisti, sicque ad restitutionem obligaris, non obstante, quod, licet tu suffragium non dedisses, eadem sententia lata, idemque damnum secutum fuisset, vt patet ex dictis, & notauit Mol. *cit. disp. 732. num. 3.*

9 Dixi secundò, *si nihil profecturus sis*; quia si speres, te contradicendo alliis persuadere posse, vt iniquam sententiam reuocent, ex officio teneris ad id præstandum; alioquin tenebris de damno secuto, tanquam mutus, vel non obstans, vt patet etiam ex dictis, & multò magis patebit ex dicendis *dubit. 15. & seqq.* & notauit Nauarr. *cit. num. 21.* & Petr. Nauarra *num. 36.*



DVBITATIO VI.

Quid dicendum de Palpatione?

SVMMARIVM.

1. *Palpo, id est Adulator qui laudat maleficium, aut commodat scelus parandum (quo spectat etiam exprobatur & ignauiæ, vt quod iniuriã, quam accepisti, non sit vltus; tenetur ad restitutionem.*
2. *Palpo non tenetur ad restitutionem, si laudet post maleficium commissum, nisi laudando sit causa ne maleficus restituat.*
3. *Palpo tenetur ad restitutionem modo sit causa efficax, ita vt sine tali palpatione damnum non intulisset.*



Respondetur. Palpo, id est, adulator, qui laudat maleficium, aut commendat scelus patrandum (quo spectat etiam exprobator ignauiæ, vt quod iniuriam quam accepisti, non sis vltus) tenetur ad restitutionem, cum ex tali laudatione, vel exprobatione alter impellitur ad maleficium. 1

Probatur; quia est instar Consilij: proponit enim laudem, gloriam, decus, vel ignominiæ absterfionem, quæ ex maleficis videntur consecutura. 2

Hinc palpo non tenetur ad restitutionem, si laudet post maleficium commissum, nisi laudando sit causa, ne maleficus restituat. 3

Nomine palpantis itaque intelligitur, qui, sicuti dicebam, laudat maleficium, vel commendat scelus patrandum, vel commemorando hominis iniuria affecti nobilitatem, vires, vel exagerando contumeliam acceptam, dedecus, &c. eumdem ad iniustam vindictam, & damni illationem mouet, modo sit causa efficax, ita vt sine tali palpatione damnum non intulisset, vti suprà dicebam de iubente, & consulente, & docet S. Thom. *quæst. 62. art. 7.*





DVBITATIO VII.

Quid dicendum de recursu?

SVMMARIVM.

1. *Recursum prabens tenetur ad restitutionem quando sic prabet recursum, vt moraliter censeatur furi cooperari ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum.*
2. *Occultans furem dum quaritur à lictoribus, tenetur ad restitutionem, si postea ille damnum intulerit, si tamen ita faciat vt in posterum det spem similis opis, quod si non dat spem, non tenebitur.*
3. *Recursum prabens, seu receptator dicitur qui rem furtiuam in custodiam accipit, vt furi seruet, qui tenetur Domino si eam (casu quo sine magno incommodo poterat furi denegare) furi reddiderit.*
4. *Recursus nomine intelligitur damnificantis receptator, id est qui prastat facultatem, occasionem, patrocinium damno inferendo, vel illato non compensando; vt Aduocatus, vel quis alius causa manifesta iniqua patrocinium suscipiens.*
5. *Item Caupo filium familias contra Patris voluntatem, Domo sua suscipiens ad prodigendas pecunias profectitias Patris.*
6. *Item receptator furis, vt fur est, aut rerum alienarum detentor.*
7. *Sciens rem furtiuam, eamque recipiens celandi causa, furti crimen committit.*
8. *Idque dic contra illos, qui scientes rem esse furtiuam, à fure emunt, & seruant, cum sint receptatores furti.*

1 Espondetur. Recursum præbens tenetur ad restitutionem, quando sic præbet recursum vt moraliter censeatur furi cooperari ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum, v. g. si illum recipiat, & non alios passim, si illum, vel illius instrumenta occultet, ita vt hinc animetur ad damnum inferendum.

2 Obiicies. 9. qui occultat furem, dum quæritur à lictoribus, tenebitur ad restitutionem, si postea ille damnum intulerit.

Respondetur. Concedo totum, si ita faciat, vt in posterum det spem similis opis, & fur illa fidens rursum damnum inferat.


Quod si non det spem illi refugij in posterum, non tenebitur; quia non eo modo abscondit, vt moraliter censeatur causa damni, sed mere per accidens ex illo opere damnum sequitur.

Dicitur etiam recursum præbens, seu receptator, qui rem furtiuam in custodiam accipit, vt furi seruet: quia tenetur Domino, si eam (casu, quo sine magno incommodo poterat furi denegare) furi reddiderit; quia non poterat eam constituere in peiori statu, quam apud se erat, tum quia censetur cooperari furi 3 ad retentionen rei alienæ; Syl. *verb. Restitutio, 3. quæst. 6.*

Nomine recursus itaque intelligitur damnificantis receptator, idest, qui præstat facultatem, occasionem, patrocinium damno inferendo, vel illato non compensando; vt Aduocatus, vel quis alius causæ manifesto iniquæ patrocinium suscipiens, Petr. Nauarra *lib. 3. cap. 4. num.* 37. Item Caupo filium familias 5 contra Patris voluntatem domo sua suscipiens ad prodigendas pecunias profectitias Patris, Mol. *disp.* 733. Item receptator furis, vt fur 6 est, aut rerum alienarum detentor. 4

Quod si rem ipsam furtiuam sciens reci- 7 piat celandi causa, furti crimen committit, eademque pœna dignus est, *l.* 3. §. *non tantum, ff. de incendio, ruina*, &c. & §. *conceptum, instit. de obligat ex delicto.*

Idque nota contra illos, qui scientes rem 8 esse furtiuam, à fure emunt, & seruant, cum sint receptatores furti, cit *l.* 3. *Receptatores non minus delinquunt, quàm aggressores; & l. eos, Cod. de furtis.*



DVBITATIO VIII.

Quid dicendum de participatione?

SVMMARIVM.

1. *Particeps quis dupliciter dicitur; primò qui particeps est prada, & sic tenetur pro ea parte, quam habuit. Secundò qui particeps est iniqua operationis prabendo auxilium, & adiuuando ad executionem &c. hi semper tenentur ad restitutionem hoc ipso, quod aliquid auxilij, ad iniquam executionem contulerint, si id sponte, & sine compulsione, vel metu iusto coacti fecerunt, prasertim si alias damnum non fuisset secutum.*
2. *Participantis nomine intelligitur quicumque prastito auxilio ad damnum inferendum formaliter cooperatur, v. g. qui scalam furi applicat, vel tenet, qui eumdem comitatur, eique assistit ad animandum, qui vigilem, seu exploratorem agit &c.*
3. *Item vsurarij factor, Tabellio conficiens instrumentum vsurarium, & testis ei scienter subscribens in gratiam mutuantis: item faber ferrarius subministrans clauem ad furandum: qui omnes proinde pœnis furti tenentur.*
4. *Participantes materialiter tantum cooperantes, quia alter per se ipsum satis determinatus est, ad restitutionem non tenentur probabiliter in foro conscientia.*


Espondetur. Dupliciter dicitur quis particeps. Primò, qui particeps est prædæ, & sic tenetur pro ea parte, quam habuit. Secundò, qui particeps est iniquæ operationis præbendo auxilium, & adiuuando ad executionem, sicut qui scalas apponit, vel sustinet fure ascendente; qui excubias agit, qui instrumenta præbet, qui furem comitatur ad defendendum, iuuat effringere, asportare, &c. qui remos in triremibus hostium impellunt, qui tormenta, vel propugnacula hostilia pertrahunt. &c. hi semper tenentur ad restitutionem hoc ipso, quod aliquid auxilij ad iniquam executionem contulerint, si id sponte, & sine compulsione, vel metu iusto coacti fecerunt, præsertim, si alias damnum non fuisset secutum; sed de his cooperatoribus dixi satis *tract. præcedenti dub.* 8. *sect.* 6. *obiect.* 1. *in fin.* & 2.

Nomine participantis itaque intelligitur, quicumque præstito auxilio, ad damnum inferendum formaliter cooperatur, v. g. vti dicebam qui scalam furi applicat, vel tenet; qui eumdem comitatur, eique assistit ad animandum, qui vigilem vel exploratorem agit, &c.
3 Item vsurarij fautor, Syl. *verb. vsura*, 7. *quæst.* 4. & Nauarra. *cap.* 17. *num.* 267. item tabellio conficiens instrumentum vsurarium, & Testis ei scienter subscribens in gratiam mutuantis, *Syl. quæst.* 7. & Mol. *disp* 331. Item faber ferrarius subministrans clauem ad furandum.

Qui omnes proinde pœnis furti tenentur; *l. in furti*, *§. ope*, *& l. si pignore*, *§. qui ferramenta*, *ff. de furtis*; & docet Clarus *lib.* 5. *senten. §. practica criminalis*, *quæst.* 90. *num.* 9. & Mol. *tract.* 2. *tom.* 3. *post. disp.* 695. *num.* 44.

4 Attamen, si tales materialiter tantum cooperentur, quia scilicet alter per se ipsum satis determinatus est, etiam sine tali auxilio, vtpote non necessario, damnum inferre, tunc probabiliter in foro conscientiæ ad restitutionem non tenentur; Exemplum affert Palud. *cit. dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3. *de vsurarij* famulo, qui pecunias Domini numerando aliud non facit, quam manus suas denigrare, cum etiam remoto famuli auxilio ab ipso Domino numerarentur, præterquam, quod famulus numerando pecunias, plerumque non cooperatur ad pactum vsurarium, sed tantum ad mutuum: Alterum exemplum afferebam supra de ancilla, quæ Dominam suam adiuuat, dando auxilium non necessarium; quia si ne tali auxilio etiam auferret: nam si absque tali auxilio Domina non posset auferre, tunc adiutrix restituendi obligationem contraheret; esto, si hæc non adiuuaret, alius non deesset, à quo illa adiuuaretur, vt rectè dixit Adrianus *quæst. de concurrentibus cum fure*, *§. secundò dubitatur*, & nos *suprà* dicebamus.





DVBITATIO IX.

An, qui aliquo modo ex his sex modis cooperatur, teneatur in solidum?

SVMMARIVM.

1. *Consulens, mandans, consentiens, laudans, & receptans, tenentur ad reparandum totum damnum, si totius, partis vero si solum partis damni causa fuerunt.*
2. *Suadens volenti furari decem, vt præterea furaretur alia decem, non tenetur nisi ad decem; quia non fuit causa prioris volitionis, sed posterioris tantum.*
3. *Suadens volenti furari decem, vt furetur viginti, licet secundum Adrianum teneatur ad viginti; adhuc ex probabiliori non tenetur nisi ad decem, quia non fuit causa suo consilio nisi furti viginti.*
4. *Limita nisi forte suo consilio reddiderit illum in proposito firmiorem, vel causa fuerit, vt citius ageret, quàm alioquin erat facturus; tunc enim censetur causa totius iniquæ damnificationis, quatenus hic, & nunc peragitur.*
5. *Consilio alterius firmior an quis redditus sit, non potest cognosci nisi exterius cernatur in opere aliquo variatio, vt si citius, audacius, ardentius solito operetur, vel indicet se prius ambiguum fuisse.*

Espondetur, (quatenus ad priores quinque modos attinet) consulens, mandans, consentiens, laudans, & receptans tenentur ad reparandum totum damnum, si totius partis verò, si solum partis damni causa fuerunt, patet *ex dictis.* 1


Petes. An, si volenti furari decem, suaseris, vt furaretur viginti, tenearis ad viginti? 2

Respondetur: si volenti furari decem, suasisti, vt præterea furaretur alia decem, non teneris, nisi ad decem; quia non fuisti causa prioris volitionis, qua furatus est hæc decem, sed posterioris tantum, quæ ad alia decem pertinet; Si verò suasisti vt furaretur viginti (licet Adrian. *q.* 1. *de restit. §. Iam dicam*, putet eum teneri ad viginti, quia est causa nouæ volitionis pertinentis immediatè ad viginti) adhuc ex probabiliori sententia non teneris, nisi ad decem; quia tuo consilio non fuisti causa, nisi furti decem, & viginti Med. *Cod. de restit. q.* 8. & Couar. *ad Reg. peccatum*, *par* 2. *§.* 12. *n.* 4.

Nisi fortè tuo consilio reddideris illum in proposito firmiorem, vel causa fueris, vt citiùs ageret, quàm alioquin erat facturus: tunc 3

enim censeris causa totius iniquæ damnificationis, quatenus hîc, & nunc peragitur, iuxtà Caiet Sot. & Med. de quo vide *dubitat.* 2. & si si contrarium sit etiam probabile, vt dicebam *ibidem.*

4 An autem quis sit consilio alterius firmior redditus? non potest cognosci, nisi exterius cernatur in opere aliqua variatio; vt si citius, audacius, ardentius solito operetur, vel si dicat, se prius ambiguum fuisse.



DVBITATIO X.

Au idem decendum de sexto modo, nempè de participante, vel adiuuante?

SVMMARIVM.

1. *Cooperans ad idem damnum indiuiduum tenetur in solidum, etiam si socius constituerat solus inferre. v. g. ad eamdem domum incendendam, ad idem pondus auferendum, & similia indiuidua.*
2. *Sententia prædicta procedit, cum quis cooperatur immediatè exequendo maleficium cum alio, tanquam causa partialis: tum enim proximè est causa damni, itavt sine ipso, vel alio similem opem ferente non feret.*
3. *Non concurrens ad idem damnum; sed inferens damnum distinctum, non tenetur in solidum; sed solum pro sua parte; quia tunc quisque est causa partis damni, quam ipse per se dedit, non autem totius damni, vel partis quam alius dedit, nisi forte alium impulerit vt citius, vel animosius faceret.*
4. *Miles gregarius probabiliter tenetur per se solum ad damnum quod ipse per se in bello iniquo dedit, non autem ad totum illius belli; quia non fuit causa totius damni, sed solum suæ partis.*
5. *Non ebstat quod singuli inuenerint ad iniquam expugnationem, & ingressum in vitem, quia solum inuenerunt faciendo partem suam, non autem procurando vt alij suam in illo damno facerent, aut vitem expugnarent.*
6. *Dux tenetur ad totum damnum, quod per milites datum est, quia eos ad hoc direxit, vel si non direxit saltem tenebatur ex officio impedire.*
7. *Consilio, vel laude in dubio, an quis alios promouerit, non ten etur ad restitutionem, quia in dubio melior est conditio possidentis.*

1 Espondetur distinguendo: si talis cooperetur ad idem damnum indiuiduum, tenetur in solidum, etiam si socius constituerat solus inferre, iuxtà Caietanum, Sot, & Medinam *suprà dubit.* 2. vt si v. g. iuues ad eandem domum incendendam, ad idem pondus auferendum, ad eumdem gregem abigendum: quisque enim tunc ex pluribus, qui concurrunt ad damnum, tenetur in solidum ex eo, quia tunc quisque est causo partialis totius damni, vt hîc, & nunc fit, & in totum vim confert, licet partialem; vt cum plures trahunt vnam, & eamdem nauim, gestant vnum, & idem pondus, &c.

Nec obstat, quod sine te fieret; quia non fieret, nisi tu, vel alius tuo loco similem vim conferret: nam per solam illam vim, quam nunc socius adhibet, executio non fieret; vel certè non fieret eodem modo: per plures enim fit facilius, celerius, animosius, &c.

Quæ doctrina præcipuè locum habet, cum quis cooperetur immediatè exequendo maleficium cum alio, tamquam causa partialis: tunc enim proximè est causa damni, itavt sine ipso, vel aliò similem opem ferente non fieret, vt patet in eo, qui iuuat rem auferre, quam solus non auferret. Si verò solum cooperetur mediatè, vt præbendo instrumenta, iuuando conscendere, ligando vinctum, probabilis est sententia Nauarri, Syl. & aliorum, iuxtà ea, quæ dicebam *vt dubit.* 2. 2

At, si non concurrat ad idem damnum indiuiduum, sed inferat damnum distinctum non tenetur insolidum, sed solum pro sua parte, Adrian. *q.* 1. *de restit.* Syl *ver. Restitutio*, 3. *q.* 6. Nauar. *cap.* 17. *num.* 21. & alij; Probatur, quia tunc quisque solum est causa partis damni, quam ipse per se dedit, non autem totius damni, vel partis etiam, quam alius dedit. 3

Nisi fortè alium impulerit; vt citius, vel animosius faceret, aut nisi se vicissim promouerint, vel animarint, sicut quando quatuor, vel quinque milites se mutuo excitant ad alicui damnum inferendum tunc enim singuli censentur causa totius damni; quod tamen ordinariè non videtur contingere nisi inter paucos.

Hinc probabiliter (& si contrarium vt probabilius) miles gregarius tenetur solum ad damnum, quod ipse per se in bello iniquo dedit, non autem ad totum damnum illius belli; quia non fuit causa totius damni, sed solum suæ partis, Syl. *ver. bellum*, 1. *q.* 10. & Nauarr. *n.* 22. contra Couar. *regul. peccatum*, 2. *p.* §. 12. *num.* 2. & Angles *in* 4. *diff.* 10. *de restit. ex bello.* Vide *tract. præced. dubitat.* 8. *sect.* 16. 4

Non obstat, quod singuli inuenerint ad iniquam expugnationem, & ingressum in vrbem; quia inquiunt Syl. & Nauarrus, solum iuuerunt faciendo partem suam, non autem procurando, vt alij suam in illo damno facerent, aut vrbem expugnarent: vnde sicut iste non est causa damni, nisi ratione partis, quam ipse intulit, ita non tenetur ad restitutionem, nisi pro sua parte: Sicut enim totus exercitus est causa totius damni, ita singuli suæ partis solius, nisi alia ratione alios iuuerint, vel incitauerint; Dux tamen tenetur ad totum damnum, quod per milites datum est, quia eos ad hoc direxit, vel si non direxit, saltem tenebatur ex officio impedire. Vide, quæ dicebam *vt tract. præced. dubit.* 8. *sect.* 16. & quæ dicam *infrà, dubit.* 19. *in fine.* 5

Petes

Petes An in dubio, vtrum alios tuo consilio, vel laude promoueris, tenearis ad restitutionem?

Respondetur, ex quibusdam Doctoribus non improbabiliter, te non teneri, quia in dubio melior est conditio possidentis; tum quia non est cur tantum onus in te suscipias, si dubitas an causa damni fueris, debes igitur moraliter esse certus; idque locum habet in omni casu in quo dubitatur, an causa damni fueris: Si enim post diligentem inquisitionem dubius manes, non teneris; Ita Syl. *suprà q.* 6. vbi dicit esse communem, & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 58. sed de hac re diffusè dixi *tract.* 3. *dubit.* 14. *&* 47.



DVBITATIO XI.

Quonam modo teneantur isti in solidum restituere?

SVMMARIVM.

1. *Is, ad quem peruenit res furtiua, siue extet in specie, siue non, si inde factus est ditior primo loco & ante omnes restituere tenetur.*
2. *Obligatio ratione rei acceptæ dicitur summa Obligatio: nam res aliena, quamdiu extat in specie per se debetur, & semper clamat ad Dominum.*
3. *Possidens rem alienam, si res consumpta sit, vel qui consumpsit, consumpsit bona fide, quia ignorabat esse furtiuam, non tenetur, nisi quantum ex ea factus est ditior, vel consumpsit mala fide sciens esse alienam, vel certe dubitans, & sic tenetur restituere pretium.*
4. *Ex sociis si aliquis damnum compensauerit, ei restituenda est res illa, vel pretium illius, non autem Domino, quia in ius Domini ille successit.*
5. *Is qui coegit, vel fraude induxit, vel qui imperauit, cui alter non fuit ausus contradicere, si nihil ablatum est, sed damnum est irrogatum, primo loco tenetur restituere; vt v. g. Dux si imperet militi vt occidat, vel spoliet, vel si quis persuadeat id esse licitum, vel conuiciis compellat.*
6. *Restituere tenetur primo loco is, qui suo nomine fecit, vel rogauit fieri, vel suasit; quia is, cuius nomine fit, est causa principalis, quæ instar finis, & efficientis moralis mouet cæteras.*
7. *Sententia Nauari existimantis hunc non ita teneri primo loco, (quia Executor, & alij teneantur suas partes conferre, etsi minores, v. g. si damnum sit sex aureorum, is, qui iussit suo nomine fieri, tenetur in restitutionem conferre tres aureos, executor duos, laudator vnum) non est improbabilis præsertim quando executor habuit mercedem pro scelere patrando.*
8. *Executor secundo loco tenetur ad restitutionem, quatenus executor est.*
9. *Consilium qui dederunt, vel consenserunt, vel laudarunt, vel animarunt, vel prabuerunt recursum, vel præstiterunt obsequium, instrumenta, comitatum, aut quid simile tertio loco tenentur.*
10. *Executor post eum, qui iussit, vel suo nomine fieri voluit, est causa principalis; cæteri verò sunt causæ accessoriæ, & secundariæ, & quodammodo seruientes executori.*


Respondetur, & dico primò. Si aliquid ablatum est, primo loco, & ante omnes tenetur is, ad quem res furtiua peruenit, siuè extet in specie, siuè non, si inde factus est ditior. 1

Probatur; quia hic obligatur ratione rei acceptæ, quæ est summa obligatio: nam res aliena, quamdiu extat in specie, per se semper debetur, & semper clamat, vt dici solet, ad dominum. 2

At, si res consumpta sit, vel qui consumpsit, consumpsit bona fide quia ignorabat esse furtiuam, & sic non tenetur, nisi quantum ex ea factus est ditior; vel consumpsit mala fide, sciens esse alienam vel certe dubitans, & sic tenetur restituere pretium; quia, quod consumpserit eam mala fide, non liberat eum, quin primo loco teneatur, perinde ac si extaret, alioquin noua illa iniuria liberaret eum à restitutione: quod dicendum non est, quin cum ipse ex ea re commodum sciens, & volens perceperit præ reliquis, par est, vt præ cæteris veniat in onus restitutionis; si tamen quis ex sociis damnum compensauerit, ei restituenda est res illa, vel pretium illius, non autem Domino quia tunc in ius Domini ille successit, Caietan. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. & Couar. *reg. pecc. par.* 2. §. 12. 3 4

An autem is, qui bona, vel mala fide rem furtiuam emit, possit eam restiturere furi, vt pretium recuperet, etiamsi Dominus in tali casu eam non esset recuperaturus, dixi *tract.* 2. *dubit.* 10. *sect.* 4. *& seqq.*

Dico secundò. Si nihil ablatum est, sed damnum est irrogatum, primo loco tenetur is, qui coegit, vel fraude induxit, vel qui imperauit, cui alter non fuit ausus contradicere (vt si v. g. Dux imperet militi, vt occidat, incendat, vel spoliet; Item si quis persuadeat, id esse licitum, vel conuiciis compellat) probatur, quia hic iniustè coniecit alterum in obligationem restitutionis; vnde si hic restituit, executor, vel is, qui hoc modo inductus est in sceleris societatem, non tenetur quidquam rependere, quia hic inductor totum debet compensare. 5

Pari modo tenetur primo loco is, qui suo nomine fecit, vel rogauit fieri, vel suasit, quia is, cuius nomine fit, est causa principalis, quæ instar finis, & efficientis moralis mouet cœteras, ergo tenetur præ cœteris; tum quia, qui commodi, vel honoris, vel oblectamenti sui causa cupit, fieri scelus, implicitè hoc ipso censetur in se totum onus compensationis 6


suscipere: par enim non est, vt onus, & obligationem sceleris in alios reijciat, qui sua causa illud fieri petit, vt si v. g. roges Petrum, vt interficiat tuum inimicum; Et in hoc sensu vera est sententia Caietan. Bann. & Soti, quatenus putant, eum, qui alios induxit, primo loco teneri, & inductos non teneri quicquam ei refundere.

7 Aduerte tamen, quosdam, vt Petr. Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 4. num. 101. & seqq.* sentire, hunc non ità teneri primo loco, quin executor, & alij teneantur suas partes conferre, etsi minores, v. g. damnum sit sex aureorum, is, qui iussit, suo nomine fieri, tenetur in restitutionem conferre tres aureos, executor duos, laudator vnum. Probatur ex eo quia omnes isti vere concurrunt ad damnum inferendum, ergo omnes concurrere debent ad restitutionem.

Hæc sententia non est improbabilis, præsertim quando executor habuit mercedem pro scelere patrando: tunc enim etiam suo nomine id fecisse videtur, contrarium tamen mihi probabilius videtur, quia qui scelus sua causa fieri cupit, censetur totum onus restitutionis in se recipere.

8 Secundo loco tenetur executor, quatenus executor est.

9 Tertio loco tenentur cæteri, qui consilium dederunt, vel consenserunt, vel laudarunt, vel animarunt, vel præbuerunt recursum, vel præstiterunt obsequium, instrumenta, comi-
10 tatum, aut quid simile: Probatur, quia executor, post eum, qui iussit, vel suo nomine fieri voluit, est causa principalis, cæteri verò sunt causæ accessoriæ, & secundariæ, & quodammodo seruientes executori: quod enim faciunt, non sua causa faciunt, sed vt ipsum instruant, & animent: alius enim ex his ostendit viam perficiendi opus, alius vtilitatem, alius laudem promittit, alius securitatem, alius obsequium, alius instrumenta præbet, &c.



Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Executor si restituerit, cæteri non tenentur aliquid ipsi rependere, quia tenentur solum in eius defectum, licet non sit improbabile quod cæteri teneantur illi ad aliquid rependendum, si scilicet ipsum induxerunt alias non facturum, & ipse non sua causa executus est.*
2. *Auctor si non intentaret malum nisi comitatus socijs, socij in aliorum supra recensita sententia tenentur restituere, quia inducentes aliquem ad scelus, sunt causa cur ille incurrat obligationem restitutionis, similiter comitantes eum, qui alias non auderet.*
3. *Sententia Auctoris est probabilior, quia licet sint executori causa, vel occasio mali, tamen quia nulla vi, vel fraude illum inducunt, non tenentur ratione huius inductionis, neque censentur obligationem in se recipere.*
4. *Executor si noluerit, vel non potuerit restituere, tenentur cæteri, quia succedunt in defectum executoris, sicut executor in defectum iubentis.*
5. *Executor secundum probabiliorem sententiam, si cæteri soluerint tenetur illis rependere totum, quia soluendo successerunt in ius, quod Dominus habebat in executorem, qui prius tenebatur.*
6. *Fideiussor, qui secundo loco tenetur, si soluat, transfert in se actionem Domini, quam habebat in principalem debitorem.*
7. *Executor si soluerit, tenebitur ei Iussor, vel is, qui sua causa fieri voluit.*
8. *Executor si nomine omnium executus est scelus, omnes simul tenentur primo loco; quia illorum causa factum est, itaque si ipse restituerit in solidum reliqui tenentur ei conferre suas partes, ita tamen vt ipse etiam pro sua parte in compensationem venire debeat, non vt executor, sed vt vnus illorum, quorum nomine scelus factum est.*

Ex dictis sequitur primò, si executor restituerit, hos nihil teneri ipsi rependere, quia tenentur solum in eius defectum, licet, vt prius insinuabam, non sit improbabile, quod cæteri teneantur ei ad aliquid rependendum, si scilicet ipsum induxerunt, alias non facturum, & ipse non sua causa exequutus est; ita Caietan. *quæst. 62. art 6. ad 3.* Bann. *ibidem art. 7.* & Sot. *de iust. lib. 6. quæst. 7. art. 3.* vbi etiam subdit, si auctor non intentaret malum, nisi comitatus à socijs, socij tenentur restituere. Ratio est, quia qui inducunt aliquem ad scelus, sunt causa, cur ille incurrat obligationem restitutionis, similiter, qui comitantur eum, qui alias non auderet, &c. 1 2


At quod dicebam, est probabilius, quia licet sint executori causa, vel occasio mali, tamen quia nulla vi, vel fraude illum inducunt, non tenentur ipsi ratione huius inductionis, neque censentur obligationem in se recipere, quia non sua causa fieri, volunt. 3

Sequitur secundò, si executor noluerit, vel non potuerit restituere, teneri istos, quia succedunt in defectum executoris, sicut executor in defectum iubentis. 4

Sequitur tertiò, si isti soluerint, executorem, secundum probabiliorem sententiam, teneri illis rependere totum, quia soluendo successerunt in ius, quod Dominus habebat in executorem, qui prius tenebatur, Vnde sicut executor debuisset soluere Domino ante ipsos, ita tenebitur ipsis soluere, qui ius Domini in se transtulerunt, soluendo loco executoris, quemadmodum, si fideiussor, qui secundò loco tenetur, soluat, transfert in se actionem Domini, quam habebat in principalem debitorem. Pari modo si executor sol. 5 6 7

uerit, tenebitur ei iussor, vel is, qui sua causa fieri voluit, Syluester *verb. restitutio*, *3. qu. 6. § quintum*, (vbi pro se citat Sanct. Thom. & Rosell.) & Couarr. ad *reg. peccat. par. 2. §. 12. num. 3.*

8 Sequitur quartò, si executor nomine omnium exequutus est scelus, omnes simul teneri primo loco, quia illorum causa factum est, & illi consentiendo, vt sic fieret, tacite in se obligationem receperunt, executor autem, qua executor, tenetur secundo loco; licet vt vnus illorum, quorum nomine scelus factum est teneatur primo loco, itaque si ipse restituerit in solidum, reliqui tenentur ei conferre suas partes, ità tamen, vt ipse etiam pro sua parte in compensationem venire debeat, non vt executor, sed vt vnus illorum, quorum nomine scelus factum est, v. g. si totum damnum sit 100. aureorum, & omnes quorum nomine factum est, compræhenso executore, sint decem, reliqui nouem debent ei, singuli decem aureos.



DVBITATIO XII.

An inter causas secundarias, quæ tenentur post executorem, nempè inter Consultorem, consentientem, Animantem, receptatorem, & subministrantem sit aliquis ordo in restituendo?

SVMMARIVM.

1. *Adstruitur inter causas secundarias, quæ tenentur post Executorem, aliquis ordo ab aliquibus Doctoribus, ex eo quia illa causa prius tenetur, quæ prius, & immediatius attingit effectum.*
2. *Consultor aliter, & aliter laudator, aliterque receptator inter has causas attingit effectum.*
3. *Vbi de gradibus singulorum, &c.*
4. *Ordo nullus aßignatur inter has causas secundarias, non enim est inter illas ordo talis, qualis est inter principalem, & secundariam: sed in defectum principalis æquè omnes tenentur primo, ita tamen vt alia teneatur ad plus, alia ad minus.*
5. *Consulens plus interdum tenetur conferre, quam receptans, vel consentiens, & interdum contra prout executor magis, vel minus ab hac, vel illa causa motus fuerit.*

1 Vidam Doctores (vt Petr. Nauar. *de restit. lib. 3. cap. 4. num. 81.* & alij) ponunt inter has causas ordinem aliquem, ex eo quia illa causa prius tenetur, quæ prius, & immediatius attingit effectum, at inter has causas alia attingit effectum prius, & magis; alia posterius; & minus: aliter enim attingit consultor, aliter laudator, aliter receptator, &c. idem docet Alcozer. *in summ. cap. 21.* vbi docet, primo loco teneri imperantem, & consulentem. Secundo 2 3 loco teneri executorem. Tertio loco teneri receptatorem. Quartò loco teneri eum, qui non impedit, cum ex officio impedire teneatur. Quinto loco teneri custodem specialiter ad custodiam deputatum. Sexto loco denique teneri eum, qui tacuerit, vt, v. g. testem iuridicè interrogatum. His tamen non obstantibus.

Respondetur, ex probabiliori sententia Doctorum, non esse inter has causas secundarias 4 ordinem talem (qualis est inter principalem, & secundariam, ita vt vna soluente, reliquæ liberæ maneant) sed in defectum principalis omnes has causas teneri æquè primo, ità tamen, vt alia teneatur ad plus, alia ad minus.

Probatur, quia vna non est operata ad damnum, tamquam instrumentum alterius, vel nomine alterius, sed quælibet est operata per se in suo ordine: Laudans enim non seruit consentienti, vel consulenti, nec agit nomine illius, vel è contra, vt suppono (si enim ponamus, aliquam ex his agere nomine alterius, non tenebitur ille æquè primò, sed secundariò, & in defectum illius, cuius causa agit, vti dicebam, quia ille in se suscipit obligationem) ergo par est, si exequutor non restituat, quod isti omnes in locum eius immediatè succedant, & pro rata teneantur conferre portiones; maiorem quidem is, qui magis videtur exequutorem mouisse, minorem is, qui minus; vnde sequitur, quod is, qui est causa sine qua damnum non fieret absolutè, teneatur conferre plus, quam is, qui solum est causa sine qua non fieret tali modo, scilicet ita celeriter, audacter, vel atrociter: vnde vlterius sequitur, quod plus 5 interdum teneatur conferre consulens, quam receptans, vel consentiens, & interdum contra prout executor magis, vel minus ab hac, vel illa causa motus fuerit; Et hoc videtur velle Petr. Nauar quia non plus probat, illius ratio: nam omnes hæ causæ attingunt effectum mediatè, & secundariò non vna mediante aliâ, tamquam instrumentum alterius, quamuis vna efficacius aliâ; vnde solum sequitur, aliam plus debere restituere, aliam minus, non autem prius, vel posterius, alioquin si receptator restitueret, alij nihil tenerentur compensare.

Cæterum ordo, quem ponit Alcozer, non probatur; quia nulla est ratio, cur receptator prius teneatur, quam Superior consentiens, vel prius consultor, quam receptator; quia si quis ordo ponendus sit, post executorem prius teneri videtur Superior consentiens, quam consultor, vel receptator: nam ille tenetur, etiam ex officio, impedire; quare ex duplici causa tenetur, quia scilicet consensit, & quia non impediuit.



DVBITATIO XIII.

Cum sunt plures causæ damni æquè principales, vel æquè secundariæ, quæ æqualiter contulerint ad totum damnum, ad quid singulæ teneantur?

SVMMARIVM.

1. *Causæ plures damni si æquè principales, vel æquè secundariæ contulerint ad totum damnum tenentur, primò æquas portiones conferre ad compensationem damni. Secundò in defectum reliquorum quisque tenetur in solidum. Tertiò ei, qui prius soluit, tenentur reliqui, pro sua parte, vt in exemplo domus accensæ à tribus.*
2. *Quisque supradictorum dicitur cooperari ad totum damnum, quare in defectum aliorum tenetur ad totum.*
3. *Ius, quod habet Dominus exigendi à singulis partem, transfertur in soluentem partem socij, contra socium, à quo potest repetere.*
4. *Omnes censentur eodem gradu, & loco cooperari, si aliquis non imperauerit, non coegerit, neque induxerit in sui gratiam, vt facerent; sed ad communem vtilitatem; nec quisquam videtur totum onus damni in se recipere.*
5. *Sententia contraria Caietani requitur aientis, eum, qui induxit alios non posse exigere ab illis, vt partes suas conferant, eo quod ipsis sit causa damni inducendo eos in societatem maleficij; nam non fecit illis iniuriam, quia volentes, & consentientes induxit.*
6. *Vno soluente, cæteros non teneri illi refundere, nisi fuerit causa sine qua ille, qui soluit, non fuisset inductus in crimen, non est vniuersè verum licet id doceat Angelus, & cur.*
7. *Actio in socios non datur in foro externo propter commissum crimen.*

1 RÆspondetur. Tenentur primo æquas portiones conferre ad compensationem damni. Secundò, in defectum reliquorum quisque tenetur in solidum. Tertiò, ei, qui prius soluit, tenentur reliqui, singuli pro sua parte; v. g. tres communi consilio incenderunt domum valentem 300. aureis, quisque tenetur conferre centum pro sua rata; si duo nolint, vel non possint, tertius tenetur in solidum, sed tunc habet ius exigendi centum ab vtroque suo socio.

2 Probatur prima pars, quia eodem modo, & æquè principaliter ad damnum sunt cooperati, ergò æquè tenentur ad illud reparandum, ac proinde æquis partibus.

Probatur secunda pars, quia quisque cooperatur ad totum damnum, ergo quisque in defectum aliorum tenetur ad totum damnum. 3

Probatur tertia pars, quia ius, quod habebat Dominus exigendi à singulis partem, translatum est in eum, qui pro sociis satisfecit: non enim pro eis satisfecit, vt essent liberi, sed quia illis nolentibus, tenebatur compensationem procurare: ergo potest ab illis repetere, quod nomine illorum Domino dedit, quodque ipsi dare debuissent.

Confirmatur, quia in hoc rectè gessit negotium illorum, ergo ipsi ratum habere debent.

Confirmatur secundò, quia dum nolunt soluere, non solum faciunt iniuriam creditori, sed etiam socio, cogentes eum soluere pro ipsis.

Confirmatur tertiò, quia aliàs esset peioris conditionis ille, quem prius pœnitet.

Obiicies ipse alios induxit ad damnum inferendum; ergo ei non debent alij quidquam refundere.

Respondetur: nego consequentiam, quia 4 si non imperauit, nec coegit, nec induxit in sui gratiam, vt facerent, sed ob communem vtilitatem, omnes censentur eodem gradu, & loco cooperari, nec quisquam videtur totum onus damni in se recipere; vnde singuli tenentur eodem gradu suas portiones conferre; ac proinde qui totum soluit, potest ab aliis suas partes exigere.

Hinc mihi non probatur contraria sententia Caietani, Soti, & Bannez, qui aiunt, eum, qui induxit alios, non posse exigere ab illis, vt partes suas conferant, eo quod ipsis sit causa damni, inducendo eos in societatem maleficij: etsi enim induxit, non fecit illis iniuriam, quia volentes, & consentientes induxit. 5

Hinc etiam non est vniuersè verum, quod 6 docet Angelus *ver. furtum, n. 16. Vno soluente, cæteros non teneri illi refundere, nisi fuerint causa, sine qua ille, qui soluit, non fuisset inductus in crimen*; Etsi enim hoc sit verum in principali authore soluente respectu executoris. & in executore respectu reliquorum, vti dicebam; non tamen est verum in duobus executoribus, vel consultoribus, vel laudatoribus, &c. quorum vnus non induxit alium in crimen, neque in laudante, consentiente, consulente, &c. quorum vnus neque induxit alium, sed tantum induxerunt executorem.

Fateor tamen, in foro externo non dari actionem in socios, propter commissum crimen, & hoc est, quod indicatur *in l. si plures, ff. de dolo,* quam citat Angelus suprà. 7





DVBITATIO XIV.

An, si is, qui damnum accepit, vni sociorum obligationem restituendi condonet, alij restent liberi?

SVMMARIVM.

1. *Auctori principali si is qui damnum accepit remiserit obligationem restituendi, qui secundo loco tenentur restant liberi.*
2. *Remissio prædicta cum sit instar solutionis à Doctoribus vocatur acceptilatio, quæ est imaginaria quædam solutio.*
3. *Is, qui damnum accepit si condonet ei, qui tenebatur secundo loco, non liberatur qui tenebatur primo loco.*
4. *Soluente secundario tenetur ei principalis in totum, soluente autem principali, secundarius nihil tenetur ei compensare.*
5. *Remissio si perfecte fiat vni ex pluribus æquè primario, vel æquè secundario obligatis: non ideo cæteri sunt liberi restitutione suarum partium.*
6. *quantum quis debeat si id quod superest in solidum sit compensandum. Vide ibi potius, vbi*
7. *si vni ex sociis sit facta remissio quantum debeat.*

1 Respondetur, & dico primmò. Si condonet authori principali, qui secundo loco tenentur, restant liberi; ita Med. *q.* 8. *dub.* 3. Sot. *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 3. *in fin.* & alij communiter.


2 Probatur, quia hæc remissio est instar solutionis (vnde à iuris peritis vocatur acceptatio, quæ est imaginaria quædam solutio) sed soluente illo, qui primo loco tenebatur, alij restant liberi, sicuti dicebam, ergo, &c.

Dico secundò. Si condonet ei, qui tenebatur secundo loco, non liberatur, qui tenebatur
3 primo loco; quia obligatio principalis authoris non pendet ex obligatione secundarij, sed
4 è contra, vnde fit, quod secundario soluente, teneatur ei principalis in totum, soluente autem principali, secundarius nihil teneatur ei compensare.

5 Dico tertio, cum plures eodem gradu (scilicet æquè primo, vel æquè secundario) tenentur, etsi vni perfecta fiat remissio, non ideo cæteri sunt liberi à restitutione suarum partium. Probatur quia obligatio vnius non pendet ab altero, sed omnes æquè primo, vel æquè secundario se habent ad damnum.

6 Petes, quantum quisque debeat, si id, quod superest, in solidum sit compensandum? v. g. si Petrus, Paulus, & Caius dederunt damnum 300. aureorum, & Caio fit remissio.

Respondetur, Petrum, & Paulum debere suas partes, nempè ambos seorsim centum, quod si Petrus nolit restituere, vel non possit, Paulus non tenetur ad totam portionem Petri, sed solum ad dimidiam, nempè ad 50. vnde in vniuersum, vt restituat, non tenebitur, nisi ad 150. non autem ad 200. vel 300. Probatur, quia alterum dimidium portionis Pauli, qui non volebat, vel non poterat restituere, ferre debet Caius, cui facta est remissio: nam eam ferre debuisset, si nulla remissio facta fuisset: 7
at per remissionem non possunt socij grauari, sicut neque per solutionem, ergo, dum Caio fit remissio) triplex ei fit remissio. Primò, eius partis, quam deberet, cæteris restituentibus, nempè centum aureos. Secundò partis, quam deberet, vno non restituente, nempè 150. Si enim Paulus noluisset restituere, tunc Caius cum Petro debuisset restituere in solidum, collatis vtrinque 150. Tertiò, totius, quod debuisset soluere, vtroque socio non soluente, nempè 300.



DVBITATIO XV.

Quomodo censeatur quis causa damni negatiuè?

SVMMARIVM.

1. *Non impediens damnum, dum ex officio tenetur, censetur, causa damni negatiuè. Quod fit tribus modis, mutus, non obstans, non manifestans.*
2. *Mutus dicitur qui omittit præcipere si erat Superior, consulere, si erat consultor, clamare, vel strepitum edere, si erat custos rei, ad damnum impediendum.*
3. *Non obstans dicitur qui omittit opem, vel operam, qua poterat damnum impedire, & tenebatur ex officio, vt Princeps, &c.*
4. *Non manifestans dicitur qui cum ex officio teneatur, omittit manifestare reum, siue ante factum cum damnum erat impediendum, siue post factum, cum erat resarciendum, vt custos rei custodiendæ deputatus.*
5. *Muti non obstantis, & non manifestantis nomine intelliguntur ij, qui cum verbo, scripto, vel opere damnum impedire possent & ratione officij, vel pacti præcedentis ex iustitia impedire deberent, dolo, vel negligentia non impediunt; v. g. Princeps in suis terris damna à feris, vel latronibus non imdediens.*
6. *Item Assessor, Consiliarius, Canonicus, se absentando, vel tacendo, iniquæ constitutioni, vel electioni non obstans. Tutor, Curator, administrator bonorum damna pupillis, minoribus Ecclesiis non præcauentes.*
7. *Iudex si in exequenda causa, in proferenda sen-*

sentia negligens, vel iniquus sit, non solum parti læsæ officium eius requirenti compensare tenetur, sed interdum etiam communitati, siue fisco.

8. *Item dic de Colorariis, si iustum vectigal exigere negligant; item de Custobus vinearum, &c.*

9. *Accipiens pecuniam à fure ne clamet, ne indicet, ad nullam restitutionem tenetur, nisi ex officio furtum impedire teneatur, vel nisi res accepta sit pars furti.*

10. *Limita nisi accipiens sua promissione expressa, vel tacita furem animosiorem reddiderit, qui alioquin absterritus fuisset, nam in tali casu tenetur de damno tanquam participans.*

11. *Limita secundo nisi à fure data fuerit, non animo donandi, sed ex iustitia obligandi accipientem nè indicet, cum teneatur ex charitate nam in hoc casu accipiens obligatur ad rescindendum contractum, restituto pretio furi, cum obligatio ad peccandum ipso iure irrita sit.*

1 Respondetur; si non impediat damnum, dum ex officio tenetur: quod fit tribus modis, qui notantur his verbis, *Mutus*, *non obstans*, *non manifestans*.

2 *Mutus* dicitur, qui omittit præcipere, si erat superior, consulere, si erat consultor, clamare, vel strepitum edere, si erat custos rei, ad damnum impediendum.

3 *Non obstans* dicitur, qui omittit opem, vel operam, qua poterat damnum impedire, & tenebatur ex officio, vt Principes, Magistratus, præpositi viarum, & similes.

4 *Non manifestans* dicitur, qui, cum ex officio teneatur, omittit manifestare, Reum siue ante factum, cum damnum erat impediendum, siue post factum, cum erat resarciendum, vt Custos rei custodiendæ deputatus; ita passim DD. Caietanus, Sotus, Syl. Medina, & Nauarr. *locis suprà cit.*

5 Nomine itaque *muti*, *non obstantis*, *non manifestantis* intelliguntur ij, qui, cum verbo, scripto, vel opere damnum impedire possent, & ratione officij, vel pacti præcedentis ex iustitia impedire deberent, dolo, vel negligentia non impediunt, v. g. Princeps in suis terris damna à feris, vel latronibus non impediens, DD. quos sequitur Andr. Gaill. *lib. 2.*
6 *obser. 64.* Assessor, Consiliarius; Canonicus se absentando, vel tacendo, iniquæ constitutioni, vel electioni non obstans. Tutor, Curator, Administrator bonorum damna pupillis, Minoribus, Ecclesiis, non præcauens. Vide S. Tho. 2. 2. *qu. 62. art. 7.* Adrianum *cit. qu. de currentibus cum fure*, *§. est. dubium*, & Nauarr. *in comment. super c. non inferenda*, 23. *qu. 3. & in sum. cap. 14. num. 136. & cap. 24. num. 15. & seqq.*

7 Hinc collige, si Iudex in exequenda causa, in proferenda sententia negligens, vel iniquus sit, non solum parti læsæ, officium eius requirenti, compensare tenetur, vt rectè explicat Gabr. *in 4. dist. 15. qu. 6. art. 2.* sed interdum etiam communitati, siuè fisco, si v. g. pœnam pecuniariam, quam ex consuetudine, vel communi lege imponere Reo debebat sine causa non fecit, sicuti sentire videtur S. Th. 2. 2. *qu. 67. art. 4. ad 3.* & docet Syl. *ver. pœna, qu. 28.* & Salon. 2. 2. *qu. 62. art. 7. contr. 5.* & si non improbabiliter id negen Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 8. qu. 5. ad 4.* & alij, vt *infrà dubit. sequenti* dicetur.

Secundò eadem ratio est de telonariis, si 8
iustum vectigal exigere negligant; Item de custodibus vinearum, &c. si per negligentiam damuum inferri patiantur, vel à deprehensis in furto secundum loci consuetudinem, & Domini voluntatem, pœnam exigere negligant, sicuti docet Salon. *loc. cit.* Mol. *disp. 739. num. 5.* Io. Med. *qu. 12. de restit. prope finem*, Barthol *med. lib 1. instruct. cap. 14. §. 30.* & Petr. Nauarr. *lib. 3. cap. 4. num. 142.*

Et si contrarium non improbabiliter etiam sentiant Nauarr. *cap. 25. num. 34. & lib. 5. consil. 4. de iniuriis, num 4.* & Syl. *ver. Restitutio 3. qu. 5. dict. 7.* quorum sententia (eos scilicet non teneri ad restitutionem pœnarum) tunc saltem rectè defenditur, cum Iudex crimina inquirere custos reos deprehendere intermittit, vel procurator fiscalis causam contra Reum in iudicio negligentius agit, eo quod ipsorum officium propriè, & directè non sit, fiscum, vel Dominum pœnis ditare, sed vineam custodire, damna communitatis impedire, ad quorum compensationem proinde tenetur, si per negligentiam eorum causa fuerint, licet forsan alia ratio sit, si Iudex, vel custos à Reo deprehenso, vel conuicto negligat exigere pœnam, quam secundum legem, vel consuetudinem loci ex officio suo exigere deberet: nam hoc casu ius magis propinquum Domino, vel fisco acquisitum videtur, idque officialis ex officio suo exequi forsan tenetur. Vide *infrà dubit. sequenti.*

Tertiò inferunt Sot. *lib. 4. qu. 7. art. 3.* 9
& Nauar *cap. 17. num. 21.* si quis à fure pecuniam accipiat, ne clamet, ne indicet ad nullam restitutionem teneri, nisi ex officio furtum impedire teneatur, vel nisi res accepta sit pars furti, cui doctrinæ tamen adde duas alias
limitationes. Primam, si accipiens sua pro- 10
missione expressa, vel tacita furem animosiorem reddidit, qui alioquin absterritus fuisset: nam in tali casu tenetur de damno, tanquam participans, vt dicetur *cit. dubit. sequenti.*
Secundam apud Mol. *disp. 735. num. 3.* & 11
Rebel. *qu. 14. sect. 8. num. 64.* si pecunia à fure data fuerit, non animo donandi, sed ex iustitia obligandi accipientem, ne indicet, cum teneatur ex charitate: nam in hoc casu accipiens obligatur ad rescindendum contractum, pretio furi, cum obligatio ad peccandum ipso iure irrita sit, quamuis si aliqui propter non denunciandi pactum periculo pœnæ se subijciant (vt custodes, & vigiles, quibus denunciandi obligatio incumbit) ij peccent, quidem pecunias accipiendo cum tali pacto, & ad damni compensationem obligentur (si quid inde communitas patitur) tamen datæ sibi pecuniæ Dominium acquirunt, vt *in materia de restitutione* dicetur.



DVBITATIO XVI.

An qui hoc modo causa damni fuit, semper ad restitutionem teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Nemo tenetur ratione damni non impediti, ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio.*
2. *Charitas rursus non obligat ad restitutionem, sed solum iustitia commutatiua.*
3. *Qui potest sine suo incommodo damnum impedire & non impedit censetur causa damni indirectè saltem, & priuatiuè, quæ cum non influat in effectum non tenetur ad restitutionem, nisi ex officio obligata fuerit ad impediendum.*
4. *Quis propter peccatum mortale excommunicari potest non tamen tenetur ad restitutionem vnde argumentum desumptum ex text. in cap. quantæ de sent. excomm. nihil officit.*
5. *Qui potest hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit, sicut is, qui non pascit fame morientem, nempe culpa homicidij prout est contra charitatem, non autem contra iustitiam.*
6. *Suadens aliquem, nec impediens furem, vel latronem aggredientem aliquem innocentem sine vi, & fraude, non tenetur ad restitutionem.*
7. *Accipiens aliquid à fure, ne impediat ipsius furtum clamando, vel manifestando, non tenetur ad restitutionem pretij, nisi forte sit pars furti, quam tenetur restituere ratione rei acceptæ, neque tenetur ad compensationem damni, at probabilius est, oppositum, quia hæc non solum est impeditio, sed etiam actus positiuus, quo fur animatur.*
8. *Obligatus ex officio impedire damnum alterius, si negligat ex culpa graui, tenetur ad restitutionem, quia talis tenetur ex iustitia ad impeditionem damni.*
9. *Debitor tenetur creditori ad interesse, quod sequitur ex non præstita solutione debita.*

1 RESpondetur, & dico primo (quamuis Caietanus *ver. Restitutio, cap. 1. § Aduerte, quod in his tribus*, & alij putent, etiam eos teneri ad restitutionem, qui licet ex officio non tenerentur, tamen tenebantur ratione vrgentis necessitatis, & facile poterant sine suo incommodo damnum impedire, vt si scias, aliquos statuisse spoliare domum, vel quempiam occidere, & nisi indices, sequetur damnum; idemque teneant Angelus *ver. furtum, num. 26.* & Richard. *dist. 15. art. 5. qu. 4.* cum hac limitatione, si, quod non impedias, ex malo animo facias) contrarium tamen est probabilius, quod scilicet nemo tenetur, ratione damni non impediti, ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio. Colligitur ex S. Thom. 2. 2. *qu. 62. art. 7. ad 3.* & docet Med. *qu. 9.* Nauarr. *cap. 17. num. 18.* & Couar. *ad reg. peccatum, p. 2. §. 3. num. 5.* qui dicunt, hanc sententiam esse communem.

Probatur, quia qui non obligatur ad impediendum ex officio, solum obligatur ex charitate; at hæc virtus non obligat ad restitutionem, sed solum iustitia commutatiua, ergo. 2

Obiicies ex Caietano, qui potest sine suo incommodo damnum impedire, & non impedit, censetur causa damni, saltem indirectè; quod sufficit, ergo. 3

Respondetur, eum, qui tali modo est causa damni, solum esse causam priuatiuam, quæ, cum non influat in effectum, non tenetur ad restitutionem, nisi ex officio obligata fuerit ad impediendum: nam si solùm teneatur ex charitate, solum contra charitatem peccabit, quæ virtus non obligat ad restitutionem, vti dicebam.

Obiicies secundò, *in cap. quantæ de sentent. excommun.* dicitur, eos, *qui consentiunt inicientibus violentas manus in Clericos, & eos, qui iniiciunt, pari pœna condemnari ab Ecclesia*; nempe pœna excommunicationis. 4

Respondetur; ibi sermonem esse de illis, qui consentiunt, vel non impediunt, cum ex officio teneantur impedire, vt exponit Glossa; quamuis non negauerim, posse excommunicari etiam talem, qui non tenetur ex officio: inde tamen non sequitur, eum obligari ad restitutionem: nam propter peccatum mortale potest quis excommunicari, non tamen ad restitutionem obligari.

Obiicies tertio, *in cap. sicut dignum, de homicidio* dicitur: *qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit.* 5

Respondetur, dicitur, *occidit*; sicut is, qui non pascit fame morientem; nempe culpa homicidij, prout est contra charitatem, non autem prout est contra iustitiam, *cap. pasce, dist. 87.* ex Ambrosio.

Obiicies quartò. Qui suadet alteri, ne impediat furem, vel latronem aggredientem aliquem innocentem, tenetur ad restitutionem, ergo etiam is, qui non impedit, dum facilè potest. 6

Respondetur, distinguo antecedens: si facit vi, vel fraude, concedo: quia tunc facit innocenti iniuriam contra iustitiam: si facit sine vi, & fraude, nego: quia tunc peccat solum contra charitatem: non enim facit contra aliquod ius iustitiæ, quod alter habeat, sed solum, vt dicebam, contra debitum charitatis: nam ille innocens non habet ius iustitiæ ad tuum auxilium, nisi quatenus illud in tua libera voluntate positum est: vnde quandiu libertas tuæ voluntatis non impeditur, non fit ei iniuria.

Petes, an si fur det tibi aliquid, nè impedias ipsius furtum, clamando, vel manifestando, tenearis ad restitutionem?

7 Respondetur, non teneris ad restitutionem pretij in sententia omnium (nisi forte sit pars furti, quam teneris restituere ratione rei acceptæ) neque teneris ad compensationem damni in sententia Soti *lib* 4. *q.* 7. *art.* 3. quia non ideo magis obligaris ad impediendum, quod pretium acceperis, vt non impedias: tum quia recipiendo pretium, non facis iniuriam ei, quem fur parat inuadere, sicut non facis iniuriam, dum precibus tibi persuaderi sinis, nè scelus impedias.

At probabilius est oppositum (quod contra Sotum tenent Salonius *pag.* 273. & Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 132.) quia hîc non solum est non impeditio, sed etiam actus positiuus, quo animas furem, sine quo, vel non fecisset, vel non tam audacter, & securè fecisset: aliud enim est, non impedire, aliud externo aliquo signo animare. & securiorem reddere; accipiendo autem pretium videris spondere securitatem; quod si solum non impedires, non tenereris, etiamsi pretium accepisses, vt benè probant argumenta.

8 Dico secundò, quicumque obligatur ex officio impedire damnum alterius, si negligat ex culpa graui, tenetur ad restitutionem: sic communiter Doctores, & probatur: quia talis tenetur ex iustitia ad impeditionem damni, ergo omissio eius est contra iustitiam, ergo si ex illa omissione sequatur damnum, omittens est causa illius damni contra iustitiam: quia sicut damnum, quod sequitur ex iniusta commissione est iniustum, ita etiam est iniustum, quod sequitur ex iniusta omissione: vnde sicut teneris ad reparationem damni, quod alteri datur ex opere tuo contra ius illius, seu contra debitum iustitiæ, ita etiam teneris ad illud, quod datur ex omissione, quæ sit contra ius illius, vel contra debitum, quo illi obligaris ad iustitiam: Quo modo debitor tenetur creditori ad interesse, quod sequitur ex non præstita solutione debita, vt rectè docet Medina, *quæst.* 9.



Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Principes, Magistratus, Prætores, & duces belli, tenentur ad restitutionem si omittant impedire furta, latrocinia, iniusta monopolia, & similia damna cum possint impedire sine suo notabili damno vitæ, famæ, honoris, vel bonorum.*
2. *Prædicti non tenentur impedire damnum minus, cum suo maiori, vel æquali.*
3. *Idem dicendum de omnibus illis, qui per modum contractus se ad alicuius rei custodiam obligarunt, stipendia ob id accepturi: vnde si omittant, tenentur ad damnum, quod sequitur, siue illud, sequatur à feris, siue ab hominibus, vt sunt custodes hortorum, &c.*
4. *debet tamen damnum istud esse magni mo-*
5. *menti, nam Custos si permittat aliquid Pauperi, non tenetur ad restitutionem: quia, tunc Dominus est irrationabiliter inuitus.*
6. *Custodes, si pœna sit constituta in eos, qui certo loco venditur, lignantur, pascunt, piscantur, cæteras merces exportant, aut important vectigal non soluunt, dissimulantes, vel non accusantes secundum non improbabilem, non tenentur ad restitutionem, licet nonnulli affirment.*
7. *Pœna non debetur ante Iudicis sententiam.*
8. *Custodes non tenentur ex iustitia accusare, vt Dominus, & Respublica ditetur pœnis, sed solum vt damna impediantur, & vectigalia soluantur.*
9. *Procurator fiscalis non accusans, & Iudex non condemnans, non tenentur ad pœnæ compensationem.*
10. *Tutores, & Curatores, qui negligunt impedire damna pupillorum, & minorum ex iustitia obligantur ad compensendum damnum; licet enim stipendia non recipiant, tamen potestas publica potest hanc obligationem imponere.*
11. *Famulus contrahit similem obligationem, cum ei domus, vel rerum custodia committitur à Domino; secus si non committatur, tunc enim solum tenentur lege charitatis furta impedire, si facile, & sine suo magno incommodo posset.*
12. *Famulus contra externos tenetur custodire res Domini; quia ratione famulatus censetur obligari ad res Domini ab iniuria exterorum tuendas.*

Ex dictis sequitur, Principes, Magistratus, Prætores, & duces belli teneri ad restitutionem si omittant impedire furta, latrocinia, iniusta monopolia, & similia damna, cum possunt impedire sine suo notabili damno vitæ, famæ, honoris, vel bonorum, ita Syl. *ver. Restitutio* 3. *qu.* 5. & alij, & probatur, quia ex officio, ac proinde lege iustitiæ commutatiuæ tenentur, tanquam ad hoc conducti: nam ideò stipendia, & honores à Republica recipiunt. 1

Dixi, *sine notabili damno*, quia non tenentur impedire damnum minus cum suo maiori, vel æquali: sic enim censentur Reipublicæ operam suam locasse, vt grauia communitatis damna (vt sunt latrocinia, hæreses) teneantur impedire, etiam cum vitæ periculo (quia hæc multo præponderant damno priuato) damna verò priuatorum) cum id facere possunt) sine pari damno suo. 2

Sequitur secundò, Idem dicendum esse de omnibus illis, qui per modum contractus se ad alicuius rei custodiam obligarunt, stipendia ob id accepturi: nam tales lege iustitiæ tenentur custodiam præstare; vnde si ommittant,, tenentur ad damnum, quod sequitur, siue illud sequatur à feris, siue ab hominibus, vt sunt custodes hortorum, Vinearum, saltuum, stagnorum, debet tamen damnum istud esse magni momenti: nam si custos permittat 3 4

aliquid pauperi, non tenetur, quia tunc Dominus est irrationabiliter inuitus. Vide Nauarrum *cap.* 17. *num.* 222. & 223.


6 Petes. An si pœna sit constituta in eos (qui certo loco venantur, lignantur, pascunt, piscantur, certas merces exportant, aut important, vectigal non soluunt) custodes dissimulantes, vel non accusantes teneantur eam compensare?

Respondetur (quamuis Sot. *lib.* 1. *qu.* 6. *art.* 6. *in fin.* 4. *solutionis*, Salon. *qu.* 62. *art.* 7. *controuers.* 5. & Petr. Nauar. affirment, ex eo, quia non accusando, vel non apprehendendo sunt causa damni suis dominis, à quibus stipendia recipiunt, sicque tenentur eorum commoda procurare: nam cum domini hoc ipso, quo quis contra talem legem pœnalem deliquit, ius acquirant ad pœnam pecuniariam, tenentur ipsi hoc ius non negligere; quod si negligant, peccant contra iustitiam, sicque tenentur de damno secuto) non improbabile tamen esse oppositum, hos scilicet non teneri ad pœnam, quæ delinquentibus irroganda erat, ita Syl. *ver. restitutio*, 3. *qu.* 3. & Nauar. *cap.* 25. *num.* 34. Vide dubit. præcedentem.

7 Probatur; non quia pœna non debetur ante sententiam Iudicis (vt videtur velle Nauarrus; non enim hic agitur de solutione pœnæ, sed
8 de damno dato, vel de commodo contra officium neglecto) sed quia custodes huiusmodi non tenentur ex iustitia accusare, vt dominus, vel Respublica ditetur pœnis, sed solum, vt damna impediantur, & vectigalia soluantur: officium enim illorum non est pœnas procurare, sed vectigalia recipere, & res suæ custodiæ, traditas indemnes præstare leges etiam pœnales non sunt factæ, vt Respublica ex pœnis locupletetur, sed vt leges seruentur, &
9 à subditis officium præstetur; vnde & probabiliter in tali casu, neque Procurator fiscalis non accusans, neque Iudex non condemnans tenentur ad pœnæ illius compensationem. Vide *cit. dubitat. præcedentem.*

10 Sequitur tertiò, etiam teneri tutores, & curatores, qui negligunt impedire damna pupillorum, & minorum; quia ex iustitia ad hoc obligantur: licet enim stipendia non recipiant, tamen potestas publica, siue lege, siue imperio, potest hanc obligationem imponere, & ipsi tenentur admittere, & vbi admiserint, lege iustitiæ sunt obstricti.

11 Similem obligationem contrahit famulus, cum ei domus, vel rerum custodia committitur à Domino, secus, si non committatur (& si tunc teneatur lege charitatis furta impedire, si facile, & sine suo magno incommodo possit) nam non hoc ipso, quo quis alteri famulatur, tenetur lege iustitiæ res illius custodire, saltem contra domesticos: ad hoc enim non censetur se obligasse, nisi ille, cui inter famulos cura illa speciatim commissa est, vnde si alium famulum videat aliquid subripientem, non tenetur impedire lege iustitiæ, consequenter neque damnum compensare; contra externos tamen tenetur, quia ratione famulatus censetur obligari ad res domini ab iniuria externo-
12 rum tuendas, vt rectè dixit Sotus *lib.* 4. *qu.* 7. *art.* 3. cui vero domus cura speciatim commissa est, tenetur is ex officio custodire, etiam contra domesticos. Vide Nauarrum *cap.* 24. *num.* 7. & *lib.* 3. *consil.* 3. *in fine*, *de testam.* & *lib.* 5. *consil.* 7. *de iniuriis*, Mol. *disp.* 735. *in fine*, & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 224.



DVBITATIO XVII.

An testis impedire teneatur ex iustitia, ita vt si nolit testari, vel veritatem occultet, teneatur damnum compensare?

SVMMARIVM.

1. *Testis non tenetur ad compensationem ex eo, quod se non obtulit; quia non tenetur ex iustitia se offerre; licet interdum teneatur ex charitate, si videat suum testimonium esse necessarium ad innocentem liberandum, &c.*
2. *Testis non tenetur ad compensationem si nolit testari, cum graue damnum exinde ipsi imminet; quia tunc non tenetur testari; neque Superior potest eum ad hoc obligare, nisi ratio boni publici sic postulet.*
3. *Testis se occultans, vel fugiens, priusquam Iudicis præceptum, vel citatio ipsi legitimè denuncieeur, non tenetur ad compensationem damni defectu testificationis secuti; quamuis potuerit contra charitatem grauiter peccare.*
4. *Nemo obligatur ad præceptum Superioris, priusquàm ipsi debito modo imponatur; sicut si inferior Superioris conspectum euitet, ne ab eo mandatum recipiat, mandato non obligatur, etsi male faciat vtens tali artificio.*
5. *Idem dic de eo, qui fugit, vel se occultat, ne Tutor, vel Curator fiat à Magistratu.*
6. *Testis, postquam citatio Iudicis per ministrum publicum ipsi est insinuata, declinans testificari fuga, fraude, vel tergiuersatione aliqua, probabilius est quod non teneatur ad compensationem, non enim id faciens censetur iniustus, sed inobediens.*
7. *Obligatio qua quis lege iustitia tenetur in gratiam proximi munus aliquod subire, non nascitur præcisè ex præcepto Superioris, sed ex acceptatione eius, qui illud subit. Secus si agatur de scriptura proferenda; nam est res externa, de qua Respublica, quando causa subest, potest disponere.*
8. *Iurans dicere veritatem probabile est quod neque tunc teneatur ex iustitia, sed solum ex charitate, obedientia, & virtute religionis.*
9. *Testis multo minus tenetur dicere veritatem, si à Iudice interrogetur non iuridicè.*

10. *Proferens contra alterum falsum testimonium, tenetur ad restitutionem damni, cuius causa iniusta fuit.*

1 Vppono, testem non teneri ad compensationem ex eo, quod se non obtulit, quia non tenetur ex iustitia se offerre; licet interdum teneatur ex charitate, vt si videt, suum testimonium esse necessarium ad innocentem liberandum, vel ad accusatorem (qui propter bonum publicum accusare tenebatur) eripiendum à periculo pœnæ talionis, Nauar. *cap.* 15. *n.* 17.

2 Suppono secundò, neque teneri ad compensationem, si nolit testari, cum graue damnum exindè ipsi imminet, quia tunc non tenetur testari; neque Superior potest eum ad hoc obligare, nisi ratio boni publici sic postulet; vnde potest, vel citatus non comparere, vel si compareat, aliqua arte, æquiuocando v. g. se eximere, Sot. *de secreto, membr.* 2. *q.* 7. *dub.* 3. & Nauar. *cap.* 25. *num.* 50.

Difficultas igitur est, an teneatur, si nullum damnum immineat, & à Iudice citetur, vel iussus sit citari? In quo casu licet multi Doctores vt Nauar. *cap.* 25. *num.* 41. Sot. *de iust. lib.* 5. *q.* 7. *art.* 1. & Salon. *q.* 70. *art.* 1. *dub.* 3. teneant, si fugiat, vel se occultet, vel aliqua arte, vel tergiuersatione Iudicis interrogationem eludat, teneri compensare, nihilominus.

3 Respondetur, & dico primo probabilius videtur, eum, qui se occultat, vel fugit, priusquam Iudicis præceptum, aut citatio ipsi legitimè denuncietur, non teneri ad compensationem damni defectu testificationis secuti; quamuis potuerit contra charitatem grauiter peccare. Vide Salonium *loc, suprà cit.*

4 Probatur, quia nemo obligatur ad præceptum Superioris, priusquam ipsi debito modo imponatur, Sicut, si inferior Superioris conspectum euitet, ne ab eo mandatum recipiat, mandato non obligatur, etsi malè faciat vtens

5 tali artificio. Similiter qui fugit, vel se occultat, ne tutor, vel curator instituatur à Magistratu, non peccat contra iustitiam, etiamsi norit, quod ad hoc ipse quæratur.

6 Dico secundò. Non improbabile videtur, etiam non teneri, si (postquam citatio Iudicis per Ministrum publicum ipsi est insinuata) fuga, fraude, vel tergiuersatione aliqua testificari declinauerit, vt si dicat, reum esse sibi inimicum: Mol. *disp.* 83. *& tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 83. *§. de teste constat.*

Probatur, quia citatio illa, & præceptum non imponit ei obligationem iustitiæ ad se sistendum, & testandum, sed solum imponit obligationem obedientiæ: non enim, si non compareat, censetur iniustus, sed inobediens, vel contumax; Sicut si quis iussus à Magistratu suscipere tutelam, nollet obedire, vel falso prætextu se excusaret, non esset in Magistratum, vel in pupillum iniurius, sed esset solum Magistratui inobediens, & in pupillum parum pius.

7 Secundò, quia obligatio, qua quis lege iustitiæ tenetur in gratiam proximi, munus aliquod subire, non nascitur præcisè ex præcepto Superioris, sed ex acceptatione eius, qui illud subit: talis enim acceptando munus, vel functionem; implicitè promittit, & ita se ad illam obligat, & alteri ius ad illam exigendam tribuit: nam nemo potest dare alteri ius ad functiones liberas alterius, nisi qui illarum est Dominus; quare, cum nemo sit Dominus tuarum functionum præter te, nemo sine tuo consensu alteri ius ad illas dare potest; vnde vlterius sequi videtur, testem, etiamsi iuridicè à Iudice interrogatur, non teneri ex iustitia respondere, vel de dicenda veritate iurare, sed solum ex obedientia; quia Iudex præcepto suo non potest ei imponere obligationem iustitiæ ad respondendum, vel iurandum; quare, si nolit respondere, vel iurare, puniri quidem potest, tanquam inobediens, sed non tenebitur ad compensandum damnum reo, vel Accusatori secutum: secus, si agatur de scriptura proferenda: nam est res externa, de qua Respublica, quando causa subest, potest dispo-nere, sicut de aliis bonis: vnde si Iudex præciperet tibi, vt proferres scripturam & tu eam occultares, vel lacerares, tenereris ad compensandum damnum, quod inde alteri sequitur.

Petes, an si iurauerit, se dicturum veritatem, teneatur tunc saltem ex iustitia dicere veritatem? 8

Respondetur, probabile esse, neque tunc teneri ex iustitia, sed solum ex obedientia, charitate, & virtute religionis; quia per hoc iuramentum non intendit vllum ius iustitiæ conferre in eum, cuius causa iurat: non enim intendit ei aliquid promittere, sed solum iurare, se dicturum veritatem; secus, si promiserit.

Hinc sequitur, testem multò minus teneri ex iustitia dicere veritatem, si à Iudice interrogetur non iuridicè, v. g. tanquam amicus, vel familiaris, aut si res sit occulta. 9

Cœterum certum est, quod, si quis falsum contra alterum proferat testimonium, teneatur ad restitutionem damni, cuius causa iniusta fuit. 10



DVBITATIO XVIII.

An confessarius impedire teneatur ex iustitia, itavt si pœnitentem non cogat ad restitutionem, vel non moneat, teneatur damnum compensare?

SVMMARIVM.

1. *Confessarius, qui ex officio curam habet animarum vtisunt Episcopi, & Parochi, si pœniten-*

tem non cogant ad restitutionem, vel non moneant, tenentur simpliciter damnum compensare; quia cum isti sint Superiores ex officio tenentur regere subditos, & sic impedire, ne iis damnum inferant, sicque curare si commo-
2. *dè possint, vt restitutionem faciant. Secus si sint Regulares qui ex officio ad curam animarum non tenentur: nam isti tantum tenentur procurare salutem pœnitentis: quare si omittant peccant contra debitum iustitiæ, quo obligantur pœnitenti, non quo, tertio.*
3. *Idem probabiliter dici potest de Episcopis, & Parochis, quorum obligatio est tantum in ordine ad spiritualia.*
4. *Superiores omnes erga inferiores, & inferiores erga superiores, tenentur lege iustitiæ alios defendere iuxta modum, & finem gubernationis cuiusque, vt sunt Principes, Prætores, Magistratus; Item Episcopi, Prælati, Parochi; nam hi etiam ex officio tenentur ad id secundum ordinem suæ potestatis, & cæteri ibi recensiti.*
5. *Parens non tenetur ex iustitiâ defendere vitam, & bona filiorum lege iustitiæ: sed tantum lege pietatis, & è contra, &c.*
6. *Parochiani non tenentur lege iustitiæ defendere Episcopum, & Parochum; sed solum lege obseruantiæ.*
7. *Subditi; qui non sunt feudatarij, neque stipendiarij non tenentur lege iustitiæ particularis defendere Magistratum, vel Principem, sed lege iustitiæ legalis, & obseruantiæ; licet Magistratus, & Princeps teneatur lege iustitiæ particularis defendere subditos.*



1 Vidam, vt Rosella *ver. Restitutio*, 2. *num.* 5. Angel. *eodem ver. vlt. num.* 5. Nauar. *cap.* 17. *num.* 22. & Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 125. simpliciter affirmant, nihilominus.

Respondetur distinguendo: si loquamur de ijs, qui ex officio curam habent animarum (vt sunt Episcopi, & Parochi) vera est ista sententia; quia, cum isti sint superiores, ex officio (ideò enim decimas à populis, & stipendia Ecclesiastica percipiunt, sicut Principes, & Magistratus sæculares tributa, & vectigalia) tenentur regere subditos, & sic impedire, ne damnum inferant; sicque curare, si commodè possint, vt restitutionem faciant: nam eiusdem rationis est damnum inferre, & illatum non resarcire; quare cum in hoc Sacramento administrando commodè possint id procurare, si negligant, tenentur de damno ex omissione secuto, requiritur tamen culpa lata, quæ pertingat peccatum mortale, sicuti patet ex ijs, quæ dicebam *tract.* 5. *in principio.*


2 At, si loquamur de iis, qui ex officio ad curam animarum non tenentur, vt sunt Religiosi probabilius est, non teneri de damno secuto, licet ex ignorantia, vel negligentia culpabili pœnitentem non monuerint; quia administratio sacramenti pœnitentiæ precise non obligat Confessarium ad impediendum damnum tertij, sed solum ad curandum bonum pœnitentis, & licet ex præsenti officio teneatur instruere, & monere pœnitentem, non tamen ad id tenetur, sicut superior, ex obligatione erga tertium, sed ex obligatione erga pœnitentem, qua tenetur eius salutem spiritualem procurare, quare, si omittat, peccat contra debitum iustitiæ, quo obligatur pœnitenti, non quo obligatur tertio?

Addo, idem probabiliter dici posse de Episcopis, & Parochis; quia istorum obligatio, qua tenentur populo lege iustitiæ, videtur esse solum in ordine ad spiritualia, vt mox infrà dicetur. 3

Petes, quinam tenentur lege iustitiæ alios defendere?

Respondetur contra Nauarrum *cap.* 24. *num.* 18. (vbi ait ad id teneri omnes superiores erga inferiores, & omnes inferiores erga superiores) teneri primo omnes superiores publica authoritate ad aliorum gubernationem ordinatos, idque iuxta modum, & finem gubernationis cuiusque, vt sunt Principes, Prætores, Magistratus; Item Episcopi, Prælati, Parochi: nam hi etiam ex officio tenentur ad idem secundum modum suæ potestatis, sed in ordine solum ad spiritualia. Secundò, qui ad hoc potestate publica magistratuum, vel principum sunt constituti, vt tutores, & curatores. Tertiò, qui ad hoc sunt specialiter conducti, vt milites. Quartò, qui ad hoc explicitè, vel implicitè se obligarunt, vt feudatarij, & famuli. 4

Alij non videntur teneri ex iustitia: nam parens non tenetur defendere vitam, & bona filiorum lege iustitiæ, sed pietatis paternæ, similiter filius non tenetur defendere vitam parentis lege iustitiæ, sed pietatis filialis; vnde, si non faciunt, peccant contra præceptum, *Honora Patrem.* Pari ratione non tenentur Parochiani lege iustitiæ defendere Episcopum, & Parochum (quia hoc munus non susceperunt) sed lege obseruantiæ; Et subditi, qui non sunt feudatarij, neque stipendiarij, non tenentur lege iustitiæ particularis defendere magistratum, vel Principem, sed lege iustitiæ legalis, & obseruantiæ, licet magistratus & Princeps teneatur lege iustitiæ particularis defendere subditos, ob rationem suprà dictam. 5 6 7





DVBITATIO XIX.

An qui fuit causa damni non impediendo, vt mutus, non obstans, non manifestans cum ex officio teneretur, obligetur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum?

SVMMARIVM.

1. *Qui fuit causa damni non impediendo vt mutus, non obstans, non manifestans cum ex officio teneretur, obligatur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum. Fuit enim causa sine qua non, totius damni.*
2. *Causa permissiua dicitur verè causa, cum sine eius permissu damnum non fuisset illatum, & ipsa tenebatur lege iustitiæ impedire.*
3. *Ordo, qui est inter has causas recensetur. Primò enim tenetur Superior, qui non impedit damnum, vt Princeps, Magistratus, Prælatus. Secundo loco custos rei. Tertiò testis qui rogatus non aperit veritatem; & is qui tenetur ex officio dare consilia, & monita.*
4. *Custos rei particularis videtur teneri prius, quam Magistratus qui est custos vniuersalis, si non sint damni causæ æquè propinquæ.*
5. *Causæ non impedientes tenentur post omnes causas positiuas, & succedunt in defectum illarum.*
6. *Causa positiua animat, ac proinde positiue mouet malefactorem ad damnum inferendum; Causa vero permissiua non sic, sed solum impedit.*
7. *Secus si contingeret malefactorem considerata Superiorum, vel Custodum negligentia animari.*

1 Respondetur affirmatiuè; ita communiter Doctores & probatur: quia fuit causa sine qua non totius damni: quod sufficit in causa per-
2 missiua: tunc enim saltem causa permissiua dicitur verè causa, cum sine eius permissu damnum non fuisset illatum, & ipsa tenebatur lege iustitiæ impedire.

An autem inter has causas sit aliquis ordo?

3 Quidam, vt Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 147. putant, primo loco teneri superiorem, qui non impedit damnum, vt Princeps, Magistratus, Prælatus: Sicut enim in illis est primaria potestas impediendi, ita negligentia illorum censetur primaria causa damni. Secundo loco, custodem rei. Tertio, testem, qui rogatus non aperit veritatem, & eum, qui tenetur ex officio dare consilium, & monita, sed negligit.


Hæc sententia mihi probatur, si sint damni causæ æquè propinquæ; alioquin rei custos 4
particularis videtur teneri prius quam Magistratus, (qui solum est custos vniuersalis) nam is adhibetur, vt suppleat defectum huius: eiusque negligentia est causa propinquior damni, quàm negligentia Magistratus.

Cœterum causæ non impidientes tenentur 5
post omnes causas positiuas, & succedunt in defectum illarum: quia sicuti causa positiua est potior, & influit magis, quam permissiua, ita etiam priorem locum tenet in restitutionis obligatione.

Confirmatur, quia causa positiua animat, 6
ac proinde positiuè mouet malefactorem ad damnum inferendum: causa verò permissiua non sic, sed solum non impedit.

Quod, si contingeret, malefactorem, con- 7
siderata Superiorum, vel Custodum negligentia animari, alia esset ratio: quia tunc causa permissiua esset instar causæ positiuæ, ac proinde teneretur conferre in restitutionem simul cum positiuis, non post positiuas

Ex dictis in dubitationibus præcedentibus.



Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Singulæ causæ damnificantes restituere debent secundum proportionem influxus, vt quæ principaliores causæ fuerunt præ aliis restituere teneantur.*
2. *Causæ, quæ totum damnum suo influxu attigerunt, in solidum obligantur; quæ vero non totius damni causæ fuerunt pro parte teneantur.*
3. *Causæ damnificantes interdum inter se nullam rationem habent, sed singulæ suas partes seorsim agunt, &c.*
4. *Causæ plures si sine consensu, vel conspiratione, ideoque casu concurrant ad damnum inferendum, singuli solum tenentur de damno ab ipsis illato, non item illato ab alijs, & si in eodem tempore, loco &c.*
5. *Superueniens casu vbi plures furantur, vel sciens plures à Rege furari, si modicum furetur, venialiter tantum peccabit, neque tenebitur ad plus, quam accepit; quia, in tali casu non est causa influens in totum damnum.*
6. *De homicidio ille solum tenetur qui vulnus lethale inflixit si in rixa subitò exora plures inimicum impugnent, non item alij, qui percusserunt, non obstantibus quibuscumque &c.*
7. *In damnificatione lucrosa tantum quis restituere tenetur, quantum iniustè abstulit, quia talis obligatur ratione rei acceptæ, & possessæ quia est restituendi obligatio*

pr[illegible]a

prima, & posteriora, secus si rem absumpsit, quia tunc restituere deberet ex capite iniustæ læsionis.

8. *Principalis damnificans censeri debet mandans, qui proinde primo loco, etiam ante ipsum damni Executorem, restituere tenetur; quia actio magis tribuitur agenti principali, quam ministro.*

9. *Limita id intelligendum esse de eo qui auctoritatiuè præcipit, qualis est Dominus, Pater, Superior: nam si alius iubeat nullam iubendi auctoritatem habens, non est propriè præceptum, sed potius consilium.*

10. *Executor restituere obligatur, si nemo damnum inferri mandauit, vel coegit, ante alias concausas, vt consulentem, consentientem, participantem.*

11. *Causæ secundariæ, qualis est executor comparatione mandantis, & concausæ, seu cooperantes comparatione Executoris, omnino liberantur, post quam principalis damnum compensauit; quia illæ solum obligantur in defectum, & compensante aliqua ex secundis causis datur eidem repetitio contra principalem.*

12. *Principali damnificanti si restitutionis debitum condonetur, etiam accessorij liberantur, non autem è contra.*

13. *Inter causas secundarias, seu quæ in defectum principalis restituere tenentur prius obligantur illæ, quæ influunt in effectum positiuè, postea vero & in defectum earum obligantur quæ negatiuè.*

14. *Damnificantes omnes si fuerint causæ principales vt si plures condixerunt ad furandum, ad bellum iniustum inferendum &c. singuli per se tenentur ad compensandum totum damnum, & pro rata compensationis factæ datur saltem in foro conscientiæ repetitio contra socium.*

15. *Miles in primis restituere debet quod ex iniqua direptione, vel iniquo bello ad ipsum peruenit, vel si alicuius particularis damni, proprij commodi causa auctor fuit.*

16. *Dux belli, vel directionis cuius iussu, auctoritate, impulsu Ciuitas spoliata est, tenetur ante alios ad compensandũ totum damnum, ac in eius defectum cæteri milites, qui aliquo modo conspirauerunt &c. tenentur.*

17. *Ex damnificantibus si aliqui sint principales, aliqui vero minus principales, proportionaliter tunc per eos facienda est restitutio, & in defectum vnius tenetur alter, &c.*

1 Sequitur primò quod singulæ causæ damnificantes restituere debent secundum proportionem influxus, vt quæ principaliores causæ fuerunt, 2 præ aliis restituere teneantur: item quæ totum damnum suo influxu attigerunt, in solidum obligentur: quæ verò non totius damni causæ fuerunt, pro parte, rata scilicet, teneantur. Vide Vasq. *de restit. cap.* 9. §. 1. *dub.* 3. *n.* 48. & Mol. *disp.* 737.

3 Sequitur secundò, quod causæ damnificantes interdum inter se nullam rationem habent, sed singulæ suas partes seorsim agunt: interdum verò inter se relationem habent, ob consensum, vel pactum, itavt aliæ sint principales, aliæ accessoriæ, seu concausæ.

Sequitur tertiò, quod, si plures sine consensu vel conspiratione, ideoque casu concurrant ad damnum inferendum, singuli solum tenentur de damno illato ab ipsis, non item illato ab aliis, etsi in eodem tempore, loco, &c. 4

V. g. si tu casu superueniens, vbi plures furantur, vel sciens plures à Rege furari, modicum fureris, venialiter tantum peccabis, neque teneberis ad plus, quam accepisti: quia in tali casu non es causa influens in totum damnum, sed in partem illius, Syl. *ver. restitutio*, 3. *q.* 6. Rebel. *lib.* 2. *de restit. q.* 2. §. 6. contra Maiorem *in* 4. *dist.* 15. *q.* 25. §. *sed contra, & q. seq.* Vasq. *de restit. cap.* 9. §. 1. *dub.* 5. & Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 48. 5

Item, si in rixa subitò exorta plures inimicum impugnent, ille solum de homicidio tenetur, qui vulnus lethale inflixit, non item alij, qui percusserunt, *l. vlt. ff. ad l. Cornel. de sicariis: si in rixa homo percussus perierit, ictus vniuscuiusque in hoc collectorum contemplari oportet*, & docet Couar. *p.* 2. *Clem.* §. 1. *num.* 3. Gomez. 3. *resol. cap.* 3. *num.* 30. & Mol. *tract.* 3. *disp.* 33. *memb.* 7. 6

Non obstat, quod inimicus ob tuam præsentiam, vel vulnus à te inflictum debilitatus, & facilius ab homicida superatus sit: quia talis cooperatio ad mortem, licet forsan sufficiat ad irregularitatem, non tamen sufficit ad pœnam ordinariam, neque ad compensandi damni obligationem, si verisimile sit, etiam absque tua percussione hominem moriturum fuisse, sicuti ex probabili dicebam dubit 2.

Sequitur quartò, quod in damnificatione lucrosa tantum quis restituere tenetur, quantum iniustè abstulit: Couar. *reg. peccatum*, *p.* 2. §. 12. *num.* 3. Syl. *cit. q.* 6. Vasq. *de restit. cap.* 9. §. 1. *dub.* 3. *num* 53. Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 73. & 88. & alij communiter: quia talis obligatur ratione rei acceptæ, & possessæ, quæ est restituendi obligatio prima, & potissima: sin verò iste malæ fidei possessor, cum rem restituere deberet, malè absumpsit, tunc per seipsum iniustè damnificat, ideoque restituendi obligationem contrahit, ex capite iniustæ læsionis: præterquam, si id agat nomine alterius mandantis, qui proindè censetur suscipere in se obligationem seruandi mandatarium indemnem, vt mox infrà dicetur. 7

Sequitur quintò, quod principalis damnificans censeri debet mandans, qui proindè primo loco, etiam ante ipsum damni executorem, restituere tenetur, S. Th. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *ad* 2. Caietan. *ibidem*, Sot. *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 3. *ad* 2. Rebel. *p.* 15. & Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 75. quia actio magis tribuitur agenti principali, quam ministro: sed si Dominus famulo mandat, vt occidat, & is exequitur, famulus est, quasi minister, quo, quasi instrumento, Dominus operatur, ergo. 8

Quod tamen solum intelligas de eo, qui auctoritatiuè præcipit, qualis est Dominus, Pater, Superior: nam si alius iubeat, nullam iubendi auctoritatem habens, non est propriè præceptum, sed potius consilium, vt rectè dixit Petr 9

Nauar. *num.* 78. Excepto, si minus adhibeat, vel metum inferat, vel fraudem inducat, vel si præcipiat, aut suadeat, vt in sui gratiam damnum inferat, quia tunc talis censetur author damni illati, ideoque ante alios, etiam ipsum executorem, ad restitutionem tenetur.

10 Sequitur sextò; quod si nemo damnum inferri mandauit, vel coegit, ante alias concausas, vt consulentem, consentientem, participantem, &c. executor restituere obligatur; Innocent. *in cap. sicut dignum, de homicid.* Mol. *tract.* 2. *tom.* 3. *post. disp.* 737. & alij passim.

11 Sequitur septimò, quod causæ secundariæ, qualis est executor comparatione mandantis, & concausæ, seu cooperantes comparatione executoris, omninò liberantur, postquam principalis damnum compensauit; quia illæ solum obligantur in defectum; nempè, si principalis damnificans non compensat quia non potest, vel non vult. Quod, si vna ex secundariis causis damnum compensauit, tunc ius, & actionem acquirit repetendi à principali totum, quod expendit, in defectum verò, principalis, nempe, si ab eo debitum consequi non possit, à reliquis concausis repetet pro rata singularum, quæ omnia confirmantur exemplo fideiussoris obligati in defectum debitoris principalis, S. Th. *art.* 6. *ad* 3. *& art.* 7. *ad* 2. Richard. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 5. *qu.* 4. Scot. *qu.* 2. *art.* 4. Palud. *qu.* 2. *art.* 5. Maior *qu.* 26. Angel. *ver. furtum*, §. 16. Syl. *ver. restitutio*, 3. *qu.* 6. Couar. *reg. peccatum*, *par.* 2. §. 12. *num.* 3. Med. *qu.* 8. *de restit.* Mol. *tract.* 2. *tom.* 3. *post. disp.* 737. Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 108. & alij complures.

12 Sequitur octauò, Quod, si principali damnificanti restitutionis debitum condonetur, etiam accessorij liberantur, non autem è contra; quia ruente principali, ruit accessorium, non item ruente accessorio, ruit principale, Innocent. *in cap. sicut dignum, de homicid.* S. Anton. *par.* 2. *tit.* 1. *cap.* 12. §. 11. Med. *de restit. qu.* 8. *ad fin.* & Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 115.

13 Sequitur nonò, quod inter causas secundarias, seu quæ in defectum principalis restituere tenentur, prius obligantur illæ, quæ influunt in effectum positiuè, vt consulentes, aliterque cooperantes, postea verò, & in defectum earum obligantur negatiue, nempè tacentes. non obstantes, &c. Vasq. *cap.* 9. *de restit.* §. 4. *dub. vlt.* & alij communiter.

14 Sequitur decimò, quod, si damnificantes omnes fuerunt principales, vt si plures condixerunt ad furandum, ad bellum iniustum inferendum, &c. singuli per se tenentur ad compensandum totum damnum, *l. si plures, ff. de dolo*, & ratio est, quia singuli fuerunt causa totius damni.

Cæterum, si vnus sociorum restituit in solidum à reliquis saltem in conscientiæ foro, pro rata repetere potest, Caietan. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. Med. *qu.* 8. §. *quod autem*, & Couar. *reg. peccatum*, *par.* 2. §. 12. *num* 4.

Hinc, & si Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *art.* 5. Nauar. *cap.* 17. *num.* 20. Petr. Nauar. *lib.* 3. *de restit. cap.* 4 *num.* 53. & Vasq. *de restit. cap.* 9. §. 1. *dub.* 2. *num.* 35. non improbabiliter docent, quod miles non amplius restituere teneatur, quam quod ad ipsum peruenit, vel cuius damni ita causa fuit, vt sine eius præsentia, & ope illatum non fuisset (vti dicebam *dubit.* 10.) nihilominus, vt distinctius nunc procedam.

Respondetur, & dico primò. Miles in primis restituere debet, quod ex iniqua direptione, vel iniquo bello ad ipsum peruenit, vel si alicuius particularis damni, proprij commodi causa, auctor fuit; Et in hoc conueniunt Doctores.

Dico secundo. totum reliquum damnum ante alios compensare tenetur dux belli, vel directionis, cuius iussu, auctoritate, impulsu ciuitas, v. g. spoliata, vel deuastata est; Et in hoc conueniunt etiam Doctores. 16

Dico tertiò. In defectum ducis, & aliorum, qui auctores, vel executores damnorum fuerunt, reliqui omnes, ac singuli milites, qui communi consilio, conspiratione ad Ciuitatis v. g. deuastationem concurrerunt, in solidum tenentur ad totius damni compensationem, licet ob impetentiam, vel aliam causam aliquando excusentur, Adrian. *cit.* 9. *dub.* 2. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 3. *art.* 3. *dub.* 4 Caietan. *q.* 62. *art.* 7. Sot *lib.* 4 *de iust q.* 7. *art.* 3. Couar. *reg. peccatum*, *par.* 2. §. 12. *n.* 2. Angles *in floribus diff.* 10. *de restit. ex bello*, & Mol. *cit. tom.* 3. *disp.* 734. quia in defectum causæ principalis scilicet si principalis causa non cõpenset, obligatur causa secundaria, seu accessoria, modo non materialiter, sed formaliter, & verè in effectum damni dati influxerit (tunc autem concausa, seu causa adiutrix verè, & formaliter influxisse censetur, cum sine tali cooperatione damnum dari non potuisset) At dux belli non potuisset solus, & sine exercitu Ciuitatem deuastare, ergo milites eum adiuuantes fuerunt causæ damni formales, & propriè dictæ, sicque ad restitutionem tenentur, in defectum causæ principalis.

Non obstat, si dicas: Etsi ego non interfuissem, vrbs tamen ab aliis direpta fuisset; nam ita omnes, & singuli milites possent se excusare, atque adeò totus exercitus restituendi obligationem effugeret.

Neque obstat secundò, si dicas: Et si nos duci non militassemus, & ad iniustam direptionem non concurrissemus, alij tamen non defuissent, à quibus idem damnum illatum fuisset: nam sicut illi alij tunc restituendi obligationem contraxissent, ita vos nunc de facto contraxistis, cum iniustè militastis.

Sequitur vndecimò, quod si alij ex damnificantibus principaliores sunt, alij minus principales, tunc iuxta proportionem concursus cuiusque illorum, tenentur contribuere ad restitutionem, v. g. si sit societas latronum ita constituta, vt prædam inæqualiter inter se diuidant, quia scilicet aliqui eorum sunt præcipui, fortiores, industriores, &c. tunc iuxta proportionem diuisionis prædæ inter ipsos communi consensu constitutæ, contribuere etiam debent ad damna; Mol. *disputat.* 737. *num.* 4. 17

Interim tamen semper dicendum est, quod in aliquorum defectum alij restituere teneantur, vt docet etiam Syl. *ver. restitutio*, 3. *qu.* 6. *num.* 4.

Ex dictis dubitationibus præcedentibus dilui poterunt innumeræ dubitationes spectantes ad Parlamentarios, vt autem clarius procedatur, sit.

DVBITATIO XX.

An, si in Parlamento, postquam numerus sufficiens suffragatus fuit pro iniusto donatiuo, vel alia iniusta re, posteà aliquis suffragetur, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

SVMMARIVM.

1. *In Parlamento quasi semper concluditur per maiorem partem suffragiorum, vt in Collectis pro consuetudine locorum.*
2. *In Parlamento postquam numerus sufficiens suffragatus fuit pro iniusto donatiuo, siue alia iniusta re, si postea aliquis suffragetur, peccat mortaliter; sed non tenetur ad restitutionem, secus si suffragia aliorum essent reuocabilia, &c.*

1 SVppono, in Parlamento quasi semper concludi per maiorem partem suffragiorum, vt in Collectis pro consuetudine locorum, Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 2. *num.* 15. Graff. in specie loquens de Parlamento *in decis. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 127. *num.* 14. Carolus de Graffis *de effectibus Clericatus*, & alij passim. Hoc supposito.

2 Respondetur; ex dictis suprà, & *dubit.* 5. sic suffragantem peccare quidem mortaliter, sed non teneri ad restitutionem; Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *qu.* 6. *punct.* 3. Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 33. Vasq. *de restit. cap.* 9. §. 1. *dub.* 1. *num.* 16. & 17. Rebell. *de obligat. lib.* 2. *par.* 2. *qu.* 14. *sect.* 5. *num.* 30. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 3. *num.* 63. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 12. *dub.* 2. *num.* 2. Graff. *loc. suprà cit.* Tannerus *in* 2. 2. *disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 14. *num.* 395. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 11. *dubit.* 7. *num.* 8. Syluius *in* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. Megalius *in* 2. 2. *lib.* 2. *qu.* 4. *num.* 32. Rodrig. *in summa par.* 2. *cap.* 74. *num.* 4. Ledesma *in summa tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *conclus.* 23. contra Medinam *Cod. de restitut. qu.* 7. *ad* 5. & Cordubam *in summa qu.* 191.

Probatur; quia, cum iam totum damnum integrè datum sit per antecedentia suffragia, is, qui postea iniustè suffragatur, non cooperatur in damnum, vtpote iam antea datum per alios prius; si tamen (vti subdunt iidem citati Doctores) suffragia essent reuocabilia, etiamsi esset sufficiens numerus suffragatus, ille, qui vltimo loco suffragium dedit, ad restitutionem tenetur, casu quo alij reuocarent sua suffragia, si ipse in oppositum sententiam declinaret, ad quod faciendum tenebatur ex officio. Vide *suprà cit. quæst. præcedenti*, & 5.

DVBITATIO XXI.

An qui suffragium dedit prius quam sufficiens numerus esset suffragatus, teneatur ad restitutionem, etiamsi certò sciret, sequentes suffragantes in eandem partem suffragaturos?

SVMMARIVM.

1. *Suffragium qui dedit prius quam sufficiens numerus esset suffragatus, tenetur ad restitutionem, etiamsi certò sciret sequentes suffragantes in eamdem partem suffragaturos; quia fuit causa efficax damni.*
2. *Non fuit prædictus suffragator causa sine qua non fieret damnum, sed causa sine qua non fuit factum.*
3. *Proceres non excusantur qui priora loca habent in Parlamento, dum pro iniusto donatiuo, vel pro alia iniusta re, suffragantur, etiam si certò sciant alios post se suffragaturos, & conclusuros esse.*

REspondetur ex dictis ibidem affirmatiuè; Ita contra Salonium *tom.* 1. *qu. st.* 62. *art.* 1. *conclus.* 3. docent communiter Doctores Mol. *tract.* 2. *disp.* 732. *num.* 3. Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 36. Filliucius, Rodriguez, Vasquez, Turrianus *locis suprà cit.* Villalob. *in summa tom.* 2. *tract.* 11. *dub.* 7. *num.* 8. & Syluius *in* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. & probatur, qui prius suffragium dedit, fuit causa efficax damni, & efficaciter influxit in damnum, Vide *cit. quæst.* 5. & 19. 1

Obijcies. Iste talis non fuit causa, sine qua non, ergo, &c.

Respondetur, licet non fuerit causa, sine qua non fieret damnum, quia ab aliis idem damnum erat faciendum, tamen fuit causa, sine qua non fuit factum damnum: nam omnes illi, qui suffragia dederunt, vsquequo maior pars esset completa, ita in rem peragendam contulerunt, vt sine ipsis non fieret, nullo alio de nouo adueniente; quapropter quod alij illud damnum essent per ipsos daturi, nisi illi ipsos præuenissent, non tollit, quod ipsi reuera 2

tale damnum dederint, sicque ad restitutionem teneantur, quam obligationem contraxissent illi alij, si ipsi præcessissent.

3 Hinc non excusantur proceres, qui priora loca habent in Parlamento, dum pro iniusto donatiuo, vel pro alia iniusta re suffragantur, etiam si certò sciant, alios post se suffragaturos, & conclusuros esse.



DVBITATIO XXII.

An cum certò scitur, in Parlemento à maiori parte fore donatiuum, vel quid aliud iniustum concludendum, possit tunc quis sine peccato mortali, & onere restitutionis se absentare?

SVMMARIVM.

1. *Quis potest se absentare sine peccato mortali, & onere restitutionis à Parlamento cum certò scitur in eo à maiori parte fore donatiuum, vel quid aliud iniustum concludendum; dummodo non sit spes suum suffragium prodesse posse; & non se absentando magnum incommodum patiatur, &c.*

2. *Ad actum vtilem non adstringimur neque etiam per censuras; quare si sub pœna excommunicationis præcipiatur, vt quid reuelemus, ex communi non tenemur reuelare, si id sciuerimus ab homine non fide digno.*

3. *Parlamentarij, si se absentent à Capitulo, vel Parlamento propter timores, & respectus humanos quando suo suffragio, vel authoritate aliorum suffragia mutare possent, peccant mortaliter, & tenentur ad compensationem damni.*

4. *suffragandi in Parlamento qui ius habet, tenetur ex officio impedire iniustitiam si potest impedire etiam cum suo incommodo. Secus si non potest.*

1 Espondetur affirmatiuè; dummodo non sit spes, suum suffragium prodesse posse, & non se absentando magnum incommodum patiatur; præsertim si suffragia non sint secreta, sed publica. Probatur, quia durum est, obligare aliquem ad assistendum Parlamento cum tanto incommodo, & periculo, & ad opponendum se torrenti Parlamentorum absque vlla vtilitate.

2 Confirmatur, quia ad actum vtilem non astringimur, neque etiam per censuras. Vnde si sub pœna excommunicationis præcipiatur, vt quid reuelemus; ex communi non tenemur reuelare, si id sciuimus ab homine non digno fide, vel ab homine, qui iam reuelauit; quia cum in priori casu reuelatio nostra nihil faciat, & in posteriori nihil addat suprà reuelationem principalis, qui iam reuelauit, actus inutilis erit nostra reuelatio.

Atque ita docent Ledesma in summa *to. 2. tract. 7. cap. 2. concl. 24.* io. Valerus *in differ. vtriusque fori, ver. suffragium; diff. 2. in fine,* Garsias *de benefic. to. 1. par. 2. cap. 2. num. 542.* Armilla *ver. electio num. 20.* Guttier. *in 9. Canon. lib. 2. cap. 11. num. 187.* Sigismundus *de elect. par. 1. cap. 2. dub. 25. num. 7* Laucrius *in ver. elucubr. tit. 4. cap. 14. num. 87.* (quatenus aiunt, Electores Vocales Canonicos posse renunciare voci, & iuri suo) & complures alij contra Card. Paleotum *de sac. conc. consul. par. 5. q. 8.* Molfesium *in sum. to. 1. tract. 6. cap. 16. num. 110.* Rostellium *de regimine Principum lib. 3. circa finem* Io. Medennya *lib. de senatu cap. 2. §. 1.* & Azeuedum *in addit. ad Cur. Pis. lib. 2 cap. 8.* quorum sententia tamen intelligi potest, cum quis suo suffragio, vel authoritate aliorum suffragia mutare posset: nam in tali casu (si se absentet à capitulo, vel Parlamento, &c. propter timores, & respectus humanos) peccare talem mortaliter, & teneri ad compensationem damni, conueniunt suprà citati Doctores; Et videri poterit Armilla *verb. consensus, num. 3.* Tabien. *verb. electio num. 3.* Castell. *in tract. de elect. in append. ad cap. 5. num. 11.* Riccius *par. 3. decis. 276. num. 5.* Syluest. *verb. consensus q. 3. in fine,* Graff. *decis. par. 1. lib. 2. cap. 127. num. 18.* & Rebell. *par. 1. lib. 3. q. 7. num. 9. & 10.* 3

Obiicies: qui ius habet suffragandi in Parlamento, tenetur ex officio impedire iniustitiam; Primò si non impediat tenetur ad compensationem damni. 4

Respondetur concedo antecedens: at distingue consequens: si potest impedire (etiam cum suo incommodo, quod postponi debet communi) concedo: si non potest impedire (præsertim cum suo incommodo, illoque notabili) nego.



DVBITATIO XXIII.


An idem dicendum sit in casu, quo non sufficeret maior pars ad concludendum; sed requiruntur omnes, & singuli?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentarius in casu quo non sufficeret maior pars ad concludendum, sed requirantur omnes & singuli non potest sine peccato mortali, & onere restitutionis se absentare; quia in tali casu, vel vnus potest suo voto impedire iniustam conclusionem faciendam, &c.*

2. *Idque nota pro illis, qui rogant, vel alio modo operantur quod quis non interueniat in Parlamento ad hoc, vt interim sine ipsius voto, vel præsentia res iniusta concludatur.*

1 Espondetur negatiuè; quia in tali casu, vel vnus suo voto potest impedire iniustam conclusionem faciendam, sicque impedire damnum, quod ex illa sequitur; ad quod faciendum ex officio tenetur; Doctores præcedenti quæstione citati, item Valezuela *consil.* 99. *punct.* 2. *num.* 29. *& seq.* & Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 5. *num.* 21. *&* 22. Idque
2 nota pro illis, qui rogant, vel alio modo operantur, quod quis non interueniat in Parlamento ad hoc, vt interim sine ipsius voto, vel præsentia res iniusta concludatur.



DVBITATIO XXIV.

An, qui intrant in Parlamentum, quoad donatiua, & Ministri Regis, quoad tributa, sequi debeant opinionem probabiliorem, relicta probabili?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentarij quoad donatiua, & Ministri Regis quoad tributa sequi debent opinionem probabiliorem, relicta probabili; (constituuntur enim vt Iudices inter Regem, & Populum.*
2. *Iudex tenetur sequi opinionem probabiliorem relicta probabili, oppositumque esse probabile affirmatur.*



1 Espondetur ex probabiliori sententia Doctorum affirmatiuè. Ita Vasq. *de restit. cap.* 6. §. 3. *dub.* 5. *num.* 75. Molfesi *in sum. to.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 75. & nos dicebamus suprà *tract.* 2. *dub* 2.

Ratio, quia tales constituuntur, vt Iudices inter Regem, & Populum (an donatiuum sit præstandum, & tributum imponendum, nec
2 ne) sed Iudex tenetur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili, sicuti dicebam *cit. dub.* 2. Primò non nego tamen, oppositum etiam esse probabile, ex eo quia Iudex videtur non imprudenter agere, sequendo opinionem probabilem & ob id non videtur acceptor personarum: nam opinio illa probabilis contulit ei facultatem iudicandi, iuxta quam maluerit opinionem; Accedit, quod res esset scrupulis plena, si teneretur homo ad cognoscendum opinionem probabiliorem. Vide *cit. dub.* 2.



DVBITATIO XXV.

An Vassalli habentes rationes probabiles de iniustitia donatiui in Parlamento conclusi possint non soluere vectigalia imposita pro soluendo dicto donatiuo, etiamsi pro Rege, & iustitia donatiui adsint aliæ rationes probabiles?

SVMMARIVM.

1. *Vassalli habentes rationes probabiles de iniustitia donatiui in Parlamento conclusi, possunt non soluere vectigalia imposita pro soluendo dicto donatiuo; etiamsi pro Rege & iniustitia donatiui adsint aliæ rationes probabiles.*
2. *Causam tributi cum probabile sit pro vtraque parte esse iustam, & iniustam, iustè exigit Princeps, & iustè denegat populus.*
3. *In dubio melior est conditio possidentis.*
4. *In dubio negatiuo præsumendum est pro Rege, secus est in dubio positiuo.*



Espondetur affirmatiuè ex probabili sententia aliquorum Doctorum, vt Sanchez *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 7. Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 9. *num.* 67. Reginald. *to.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *sect.* 1. *num.* 374. Vegæ *in sum. par.* 1. *cap.* 15. *cas.* 11. Petr Nauar. *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. *par.* 3. *num.* 261. Salon *to.* 1. *q.* 5. *ar.* 4. *contr.* 2. Megal. *in p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *q.* 8. *num.* 131. *& seq.* Malderi *in* 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 4. & 10. Sanchez *disp.* 23. *num.* 35. contra Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 20. Vasq. *de restit. cap.* 6. §. 3. *dub.* 5. *nu.* 78. & Turrianum *in* 2. 2. *to.* 2. *disp.* 46. *dub.* 6. *nu.* 5. 1

Probatur; quia, cum vtrumque probabile 2
est, (tributi scilicet causam esse iustam, & iniustam) iustè exigit Princeps, & iustè denegat populus, itavt quasi detur bellum ex vtraque parte iustum ex ignorantia.

Secundò, quia in dubio melior est conditio 3
possidentis; in casu autem nostro possidet populus, ergo.

Obiicies: in dubio præsumendum est pro 4
principe.

Respondetur: distinguo antecedens: in dubio negatiuo, concedo; in dubio positiuo, vt est in casu nostro, nego; vel, si non agatur de damno, & interesse inferioris, concedo: si agatur, vt est in casu nostro, de damno, & interesse inferioris, nego: sed hac de re vide, quæ diffusè dicebam *suprà tract.* 2.



DVBITATIO XXVI.

An, cum in Parlamento præbetur aliquod donatiuum pro custodia Regni, pro reparatione Pontium, Turrium, &c. Teneantur Ecclesiastici contribuere?

SVMMARIVM.

1. *Ecclesiastici non tenentur contribuere cum in Parlamento præbetur aliquod donatiuum pro custodia Regni, pro reparatione Pontium Turrium &c. contra nonnullos Iuristas, secus autem est si non sufficient facultates laicorum, interueniente præterea licentia summi Pontificis, vel saltem Episcopi, si non sit accessus ad summum Pontificem.*
2. *Clemens octauus quid decreuerit inter Clerum, & Populum Pisanum de reparatione fluminis Arni ad communem vtilitatem Clericorum, & laicorum.*
3. *Lex ad instructionem C. de Sacrosanct. Eccles. correcta fuit per Authenticam, & per l. nulla communitas C. de Episc. vbi Ecclesiastici fiunt immunes ab oneribus impositis, & imponendis.*
4. *Clericorum bona quæcumque adhærent Personæ, quæ propterea non esset integrè, & perfectè exempta, nisi etiam ipsius bona sint exempta.*
5. *Clericus non solum est exemptus vt Clericus, sed etiam vt Ciuis.*
6. *Clericorum bona patrimonialia gaudent priuilegio vt fiant immunia ab onere vectigalium, sicut bona Ecclesiarum.*
7. *Ecclesiastici, qui intrant in Parlamentum non tenentur ad donatiuum, nisi sponte offerant, & cum Papa consensu.*

1 Vidam Ciuilistæ, affirmant; ita Mexia *in Pragm. taxæ panis concl.* 5. *num.* 63. Humada *l.* 54. *tit.* 6. *p.* 1. *Gl.* 2. *num.* 1. & alij, quos citat Cenecl. *par.* 2. *collect.* 153. Lader. *lib.* 1. *consil.* 145. *num.* 3. & Carolus de Grass. *de effectib. cleric. effect.* 3. *num.* 21. His tamen non obstantibus.

Respondetur negatiuè, idque quoad ea omnia. quæ primò, & per se spectant ad communitatem; quia talia non tangunt Ecclesiasticos principaliter, sed secundariò, quatenus scilicet sunt membra Reipublicæ; ergo, Ecclesiastici ad similes impositiones non tenentur: nisi solum, cum non sufficiunt facultates Laicorum, & interueniente præterea licentia summi Pontificis, vel saltem Episcopi, si non sit accessus ad summum Pontificem *cap. non minus; & cap. aduersus, de immunit. Ecclesiast.* & docet Syl. *ver. immunitas num.* 22. Molin. *tract.* 2. *disp.* 672. *nu.* 4. Suar. *contra Reg. Angl. lib.* 4. *cap.* 26. *nu.* 2. Azor. *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 19. *q.* 10. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 3. *num.* 25. Molfes. *in sum. to.* 2. *tract.* 12. *cap.* 23. *num.* 174. Megal. *in p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *q.* 6. *num,* 121 Duard. *in Bull. Cœn. can.* 18. *q.* 11. *num.* 1. Faust. *in specul Confess. disp.* 33. *q.* 19. *num.* 2. Alter. *de cens. to.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *disp.* 16. *n.* 13. Bellet. *in disquis. Cleric. tit.* 5. *p.* 1. §. 2. Gars. *de benefic. to.* 1. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 13. & alij complures, quos ipse citat, & sequitur, ac tandem Martha *de iurisdict. par.* 4. *cent.* 1. *cas.* 1. *num.* 52. vbi testatur, ita decisum fuisse à Clemente VIII. in causa quadam inter Cle- 2
rum, & Populum Pisanum, in qua tractabatur coram R. Nuntio Florentino de reparando Flumine Arni ad communem vtilitatem Laicorum, & Clericorum (cum penè omnia Clericorum bona essent propè flumen prædictum) & Laicis instantibus, cogi Clerum ad contribuendum iuxta taxam, tandem Pontifex decreuit, Ecclesias, & Ecclesiasticos teneri in subsidium Laicorum: & propterea mandauit R. Nuntio, quod discussis prius bonis Laicorum, si hoc non sufficerent, condemnaret Ecclesiasticos ad contribuendum. Sed hac de re vide, quæ diffusè dicebam *lib. de immunitat. Ecclesiast. cap.* 5. *dubit.* 16. *& seqq.*

Obiicies textum *in l. ad instructiones Cod. de* 3
Sacros. Eccles. ibi: *Ad instructiones itinerum, pontiumque etiam domus, & venerabiles Ecclesias ascribimus.*

Respondetur cum Hostiensi *in sum. de immunit. Ecclesiast.* §. *à quibus*, legem *ad instructionem* correctam fuisse per Authenticam. *Item nulla communitas, Cod. de Episc. & Cler.* vbi disertè Ecclesiastici fiunt immunes ab oneribus impositis, & imponendis.

Obiicies secundò, Ecclesiastici, etsi sint exempti, tamen ipsorum aliqua bona, vt patrimonialia, sunt temporalia, & merè ciuilia, ergo, hæc saltem sunt subiecta Principibus temporalibus.

Respondetur, nego consequentiam: quia 4
bona quæcumque adhærent personæ, quæ propterea non esset integrè, & perfectè exempta, nisi etiam ipsius bona sint exempta.

Instabis: bona Clerici sunt temporalia, & respiciunt Clericum, non vt Clericum, sed vt ciuem, & dominum temporalem, ergo.

Respondetur, nego etiam consequentiam; 5
quia Clericus non solum est exemptus, vt Clericus, sed etiam, vt ciuis, & simpliciter, tum ob rationem dictam: tum quia, cum seruiat communitati in spiritualibus, par est, quod ab illa, cum agitur de communibus necessitatibus, eximatur in temporalibus: præsertim, quia accessorium sequi debet naturam principalis: Vide Suar. *contra Regem Angl. lib.* 4. *cap.* 24. *nu.* 11. & Valentiam *to.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 5. *p.* 4.

Hinc sequitur, quod bona patrimonialia 6
Clericorum gaudeant priuilegio, vt sint immunia ab onere vectigalium, sicut bona Ecclesiarum, *cap. quanquam de censibus in* 6. &

docent contra ciuilistas Suarez, Valentia *loc. suprà cit.* Martha *de iurisdict. p.* 4 *centur.* 1. *cas.* 11. *nu.* 14. & *cas.* 49. *per tot.* & *centur.* 2. *cas.* 101. Mol. *tr.* 2. *disp.* 670. *nu.* 2. Melfes. *in sum. to.* 2. *tract.* 12 *cap.* 22. *nu.* 160. Azor. *p.* 3. *lib* 5. *cap.* 19. *q.* 1. Malder. *in* 2 2. *tr.* 5. *cap.* 6. *dub.* 9 Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. *nu.* 19. Salon *to.* 2. *q.* 78. *ar.* 5. *contr.* 2. *nu.* 1. & Megal. *in* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *q.* 6. *nu.* 114. Vide, quæ diffusè dicebam *cit. cap.* 5. *de immunit. Eccles.*

7 Sequitur secundò, quod Ecclesiastici qui intrant in Parlamentum, non teneantur ad donatiuum, nisi sponte offerant & cum Papæ consensu, vti determinatum est etiam in Breui Apostolico.

DVBITATIO XXVII.

An ad concludendum donatiuum sufficiat maior pars congregatorum?

SVMMARIVM.

1. *Donatiuum vt concludatur sufficit maior pars Congregatorum.*
2. *Donatiuum vt concludatur in Regno Siciliæ non sufficit maior pars Congregatorum, ex vtroque Brachio nisi concurrat etiam Brachium Ecclesiasticum.*
3. *Brachium Ecclesiasticum in Parlamento positum est vt resistat iniustis petitionibus, cum in tali Brachio adsint tot Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, Priores, & alij Prælati docti.*
4. *Brachium Ecclesiasticum si concurrat cum vno ex altero Brachio sæculari, obtinet donatiuum præstandum Regi, secus si concurrant duo tantum Brachia sæcularia renuente Ecclesiastico.*

1 Respondetur affirmatiuè: patet ex iis, quæ dicebam *suprà cap.* 2. *dubit.* 1. *in princip.* & docet ex communi Regens de Ponte de potest. Proreg. & Valenzuola *consil.* 99. *num.* 62. Vide etiam quæ dicam *infra dubit.* 10.

2 Cæterum in Parlamento Regni Siciliæ, etiamsi ex Brachio Demaniali, & militari concurrat maior pars adhuc non sufficit. nisi etiam concurrat Brachium Ecclesiasticum: & ratio est. quia, vti rectè dixit Gottifredus *in*
3 *Archontologia Cosmica nu.* 8. Brachium Ecclesiasticum in Parlamento positum est, vt resistat iniustis petitionibus: cum in tali Brachio adsint tot Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, Priores, & alij Prælati docti, qui sine metu loqui possunt: quod non ita facilè contingit in personis aliorum Brachiorum, cum sint sæculares: Et ideò, si quod donatiuum determinaretur à Brachio militari, vel dœmaniali tantum, facilè illa determinatio foret suspecta populis, non sic: si cum vno Brachio ex istis 4
concurreret etiam Brachium Ecclesiasticum, ex ratione allata: Vnde anno 1591. Brachium Ecclesiasticum cum Brachio Dœmaniali, non concurrente Brachio militari, hoc non obstante, in effectu præstiterunt donatiuum Regi in Regno Siciliæ.

DVBITATIO XXVIII.

An possit quis se subscribere determinationi à Maiori parte Parlamenti factæ, licet ipse contrarium votum emiserit?

SVMMARIVM.

1. *Quis potest se subscribere determinationi à maiori parte Parlamenti factæ licet ipse contrarium votum emiserit: si opinio maioris partis habeat rationes probabiles, licet opinio minoris partis habeat probabiliores; quia in moralibus licitum est sequi opinionem probabilem relicta probabiliori.*
2. *Opinionem probabilem sequens prudenter agit, sicque non peccat.*
3. *Secus est, si opinio maioris partis concludit rem euidenter iniustam.*
4. *Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ, vt à verò deuies.*
5. *In dubio quod factum est à maiori parte præsumitur iustum, & melius: non autem si simus in claris, & ita respondetur ad leges in contrarium citatas.*
6. *Quilibet tenetur, si petatur, se subscribere cuicumque determinationi factæ à maiori parte Parlamenti, licet ipse contrarium votum emiserit, facta tamen protestatione in scriptis, quod ipse ex mandato Superioris se subscribat determinationi, seu conclusioni à maiori parte: non autem ab ipso factæ.*

Respondetur, distinguo: Vel opinio maioris partis habet rationes probabiles licet opinio minoris partis habeat rationes probabiliores, & potest se subscribere; quia in moralibus licitum est, sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori & tutiori, vt contra nonnullos docent decem & septem Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 14. Item Martines *in* 1. 2. *tom.* 1. *qu.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 2. Granad. *in* 1. 2. *contr.* 2. *tract.* 12. *disp.* 14. *sect.* 3. *num.* 23. Salas *de legib. q.* 96. *tract.* 14. *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 5. 1

Lorca *in 1. 2. tom. 1. disp. 39. membr. 1.* Villalob. *in sum. tr. 1. diff. 10. num. 2.* Bonac. *de legib. disp. 2. qu. 4. p. 9. num. 2.* Reginald. *in prax. tom. 1. lib. cap. 10. sect. 1.* Filliuc. *tom. 2. tract. 21. cap. 2. num. 128.* Sanctarel. *var. resol. par. 1. qu. 59.* & Becan. *in sum. par. 2. tr.*
2 *1. cap. 4. quæst. 9. num. 15.* Et ratio est, quia sequendo quis opinionem probabilem, prudenter agit, sicque non peccat. Confirmatur, quia si teneretur homo sequi opinionem probabiliorem, nimis angeretur scrupulis in indaganda opinione probabiliori.

3 Vel opinio maioris partis concludit rem euidenter iniustam, & non potest se subscribere; Doctores, quos citat, & sequitur Io: Made-
4 ringa *in lib. de senatu cap. 35. §. 4.* ex Exod. 23. *Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ, vt à vero deuies*; Et ratio est; quia ita se subscribens opprobaret rem iniustam, & malam, contra dictamen propriæ conscientiæ.

Obijcies: *in l. quod maior pars, ad municip. & in l. aliter, §. refertur ff. de reg. iur.* dicitur, quod totum id, quod fuit à maiori parte conclusum, teneatur firmum, & validum ergo.

Respondetur: has leges intelligi, si simus in dubio, quia in dubio, quod factum est à maiore parte præsumitur iustum, & melius, non autem, si simus in claris; Morla *in emptor. iur. tit. 12. qu. 19. num. 8.* Riccius *par. 3. decis. 277.* Valerus, *ver. suffragium, diff. 2.* & Zanard. *part. 2. precept. 4. cap. 33. qu. 10.*

6 Etsi Rastellus de regimine Principum *lib. 3. au fin.* non improbabiliter putet, teneri quemlibet, si petatur, se subscribere cuiusque determinationi factæ à maiori parte Parlamenti (licet ipse contrarium votum emiserit) facta tamen protestatione in scriptis, quod ipse ex mandato superioris se subscribat determinationi, seu conclusioni à maiori parte, non autem ab ipso factæ; quia tunc per subscriptionem non consentit iniustitiæ: nam virtute talis protestationis subscriptio ipsius nihil aliud importat, quam quod ita fuerit à maiori parte conclusum; cum quod maior pars facit, omnes fecisse dicantur, & præsumantur, *l. quod maior ff. ad municipales*; quæ præsumptio tollitur modò per protestationem ita factam.

DVBITATIO XXIX.

An, qui intrant in Parlamentum, licet, qui caput est Parlamenti, nihil proponat, debeant aliquid proponere?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentarij, licet nihil proponat Is, qui Caput est Parlamenti, debent aliquid proponere, debent enim exponere necessitates Vniuersitatum, & totius Regni &c. & alia examinare, quæ ibi recensentur.*

Respondetur affirmatiuè, quia debent exponere necessitates Vniuersitatum, & totius Regni, & an habeant illæ vires soluendi donatiuum, de quo agitur: debent rationes suorum votorum declarare, etiam si alij contrarium sentiant: nam (vt rectè dixit Molfesius *in sum. tom. 1. tract. 6. cap. 16. num. 119.*) forsitan sic mutabunt vota aliorum, sic vti plùries euenire consueuit: debent etiam exponere aliquam petitionem Regi pro publica aliqua necessitate, vel vtilitate Regni facienda; Item an exactio pecuniæ pro soluendo donatiuo fiat diligenter, & debito modo à Comissariis, vel ab aliis quibus incumbit id facere; Item an pecunia destinata in Parlamento pro facienda aliqua re in beneficium Regni re vera ad id expendatur, & similia, quæ exponenda dictabit prudentia, & boni publici zelus cum modestia, & Charitate. 1

DVBITATIO XXX.

An, si donatiuum adhuc duret per multos annos, possint ex nunc pro tunc illud ad alios annos prorogare?

SVMMARIVM.

1. *Donatiuum si adhuc duret per multos annos non potest ex nunc pro tunc ad alios annos prorogari; sunt enim consideranda quæ possunt euenire accidentia.*

Respondetur negatiuè; quia possunt medio euenire accidentia, quæ efficerent postea prorogationem istam donatiui iniustam esse, quapropter quæ possunt euenire, sunt etiam consideranda, *l. si quis domum §. idem quærit ff. locati, & §. illud quæsitum vbi Gloss. fin. Instit. rerum diuision.* & docet Bart. *in l. si idem §. si curia num. 5. ff. de iurid. & iudic. & in l. inter stipulantem §. sacram num. 7. ff. de verb. obligat.* Et in terminis de prorogatione cuiusdam donatiui in Regno Neapolis facienda notauit Valenzuola *consil. 99. punct. 3. num. 52.* 1

DVBITATIO XXXI.

An possint donatiuum aliquod facere Proregi?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentarij non possunt aliquod donatiuum facere Proregi.*
2. *Donatiuum ad prædictum effectum, etiamsi adsit licentia Regis, non potest concludi à maiori parte Parlamenti, sed requiruntur omnes & singuli.*
3. *Ita obseruatum fuit in facti contingentia in Regno Siciliæ.*
4. *Donatiuum vt tale est, dicitur voluntarium, vt autem Regi debetur necessariò, necessarium est, quod non procedit in donatiuis faciendis Proregi, quæ omnia sunt omnino voluntaria, ideoque omnes concurrere debent; quia agitur de præiudicio omnium in singulari.*
5. *Consensus omnium requiritur præsentium scilicet in Parlamento, vel Capitulo, cum actus est voluntarius, & non necessarius.*
6. *Actus si spectet ad Vniuersitatem, sufficit maior pars, si vero spectet ad ius singulorum, requiritur consensus omnium.*
7. *Compromissum de aliqua re si fiat, tribus, vel quatuor, vt finiant negotium, requiritur consensus omnium, quia talis actus est voluntarius, & tangit ius singulorum.*
8. *Compromissum si fiat, vt tractent, & referant Capitulo, quod rem postea finire possit sufficit, maior pars; quia tunc nulli fit iniuria.*
9. *Capitulum potest admittere ad notandum personam aliquam, si non sit inhabilis de iure, secus si sit inhabilis de iure, dummodo possit Capitulum dispensare super illam inhabilitatem de iure; secus si non possit.*
10. *Capitulares infirmi cum legitimè impediti sunt, mitti ad eos debent scrutatores ad excipienda eorum vota; quia tales præsentes iudicantur.*

1 RESpondetur negatiuè Mastrill. *de Magistr. tom. 2. lib. 5. cap. 15. num.* 27. & alij passim; quia id expressè prohibetur C. Caroli 165. & litteris Regiis sub die 20. Octobr. 1612. tempore regiminis Marchionis Villenæ in Regno Siciliæ. Vide etiam, quæ dicentur *infrà dubit.* 40.

2 Adde, quod etiam si adsit ad hoc licentia Regis, non posset donatiuum concludi à maiori parte Parlamenti, sed requirerentur omnes, & singuli, quia maior pars non præiudicat, vel vni in his, quæ sunt communia singulorum; in quibus, cum sit, vel vni, præiudicium, omnium consensus requiritur, vt ex multis iuribus probat Mastrillus *loco suprà cit.* Azeued. *in Addit. ad cur. Pisan. lib. 2. cap.* 14. Barbosa *in Collectam. tom. 1. tit. 2. cap. 6. num.* 6. Gomez *tom. 1. var. cap. 3. num.* 14. Villagut. *de rebus Eccles. alien. lib. 1. par. 1. cap.* 101. *num. 7. & 8. & cap. 102. num.* 7.

Confirmatur; quia ita in facti contingentia obseruatum fuit à Parlamento anno 1600. in Sicilia celebrato in quo (cum per tria Brachia fuisset conclusum quoddam donatiuum præbendum Proregi Duci Machedæ) quia tamen Marchio Fortini noluit concurrere dictum donatiuum effectum non habuit. Vnde reiicitur Iassonus *in practica de Antifacto ver. 2. obser. 2. num.* 126. contrarium docens; Et nostram sententiam docet etiam Castellius *de regimine Principum fol.* 146. vt omittam, quæ dicam *infra cit. dub.* 40. 3

Ratio autem disparitatis de donatiuo, quod datur Regi (in quo sufficit maior pars vti dicebam *dub. 27. & cap. 2. dub.* 3.) est, quia donatiuum hoc est nomine voluntarium, re vera autem est necessarium, & necessariò debetur Regi; quod non procedit in donatiuis faciendis Proregi, quæ omnia sunt omninò voluntaria, ideoque omnes concurrere debent, quia agitur de præiudicio omnium in singulari, vti dicebam. 4

Ex dictis sequitur, quod cum actus est voluntarius, & non necessarius, requiritur consensus omnium (præsentium scilicet in Parlamento, vel Capitulo) Felin. *in cap. cum omnes*, Abb & Gl. ibid. quare, cum in nostris constit. 3. *par* dicitur, quod maior pars concludit, intelligitur cum eadem distinctione, si actus sit necessarius, non item si voluntarius, vt si sit gratia, quæ alicui personæ fiat. Vide Megalium *ver. Capitulum.* 5


Sequitur secundò, quod si actus spectet ad Vniuersitatem, sufficit maior pars, si verò spectet ad ius singulorum (v. g quod quis extraneus admittatur ad Capitulum) requiritur consensus omnium præsentium scilicet in Capitulo, sicuti dicebam; hi soli tunc faciunt Capitulum) Abb. & Gloss. *in cit. cap. cum omnes.* 6

Sequitur tertiò, quod si tribus, vel quatuor fiat compromissum de aliqua re, vt faciant negotium, requiritur consensus omnium, quia talis actus est voluntarius, & tangit ius singulorum, cum nemo priuari debeat iure suo; At, si compromissum fiat, vt tractent, & referant Capitulo, quod rem postea finire possit, sufficit maior pars; quia tunc nulli fit iniuria; cum tractatus solum sine conclusione sit onus potius, quam commodum. 7 8

His adde, posse Capitulum admittere ad votandum personam aliquam, si non sit inhabilis de iure (secus, si sit inhabilis de iure quia Capitulum non potest dispensare super ius) vel etiam, si sit inhabilis de iure, dummodo possit Capitulum dispensare super illam inhabilitatem de iure; secus, si non possit. 9

Adde secundò, ad Capitulares infirmos mitti debere scrutatores ad excipienda eorum 10

vota; qui legitime impediti sunt, & ex alio capite præsentes iudicantur; cum & qui sunt in hortis, præsentes iudicentur, Doctores quos citat, & sequitur Megalius *cit. ver. Capitulum.*



DVBITATIO XXXII.

An possint Exteros efficere Regniculos?

SVMMARIVM.

1. *Naturales, & non exteri si assumantur, redundat in magnam Regni vtilitatem.*
2. *Naturales communiter sunt vtiliores suis Ecclesiis, & maiori affectu eas prosequuntur, & magis resident, quam exteri, qui sæpe solent se eximere à residentia, & Ecclesias pensionibus impositis commutare, &c.*
3. *Exterus in Hispania est incapax per legem Regni ad obtinenda beneficia; itavt ipso facto amittat etiam beneficia obtenta.*
4. *Parlamentum potest exteros efficere Regniculos, dummodo tamen id faciat cautè, & raro, & in casu, quo persona sit valdè considerabilis, adeo vt id facere redundet in ipsius Regni, & Ecclesiarum vtilitatem.*

1 Vpporio, in magnam Regni vtilitatem redundare, si non exteri, sed naturales ad beneficia assumantur, Olibanus *de iure Fisci cap.* 12. *nu.* 14. Azeued. *to.* 1. *lib.* 1. *tit.* 3. *l.* 14. *nu.* 1. & 2. Cabed. *lib. de iust. patronat. Regiæ Coronæ cap.* 20. per totam, Salsed. *in addit. ad pract. crim.* Diaz *cap.* 25. Humada *in l.* 13. *tit.* 15. *p.* 1. *Glo.* 2. *nu.* 4. Paz. *in l.* 3. Taur. *nu.* 374. Perez. *lib.* 1. *tit.* 13. *leg.* 18. *in Glo. ver. quæ*, Ramirez *in tract. de lege Regia §.* 27. *nu.* 16, Barbos. *in Collect. to.* 1. *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 4. *nu.* 7. cum aliis *in l. Ecclesia Cod. de Episc. & Cleric. & in cap. benè el.* 2. *§. fin. de postul. prælat.* (quos textus commendat in terminis pro nostro casu Lucas de Penn. *in l. quisquis Cod. de omni agro deserto lib.* 11. vbi subdit, facere etiam pro hac conclusione totam dist. 71. decreti) & in Theologis Valentia *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 21. Ledesma *in sum. to.* 2. *tr.* 7. *cap.* 3. *diff.* 6. Rodriq. *in Bulla Cruc. §.* 9. *in Addit.* Petr. Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 165. Rebell. *in obligat. inst. par.* 1. *lib.* 3. *q.* 4. *num.* 2. Turrian. *in* 2. 2. *to.* 2. *disp.* 22. *dub.* 5. *nu.*
2 3. & Acosta *in Bull. Cruc. q.* 69. Et ratio est, quia naturales communiter sunt vtiliores suis Ecclesiis, & maiori affectu illas prosequuntur, & magis resident, quam exteri, qui sæpè solent se eximere à residentia, & Ecclesias, pensionibus impositis, commutare; tum quia parentes ea spe animantur suos filios litteris, & bonis moribus instruere; præterquam quod & ipsi decimas, ex quibus fiunt Ecclesiæ, & beneficia, soluunt, & præstant; Vnde in Hispania, sicuti notat Henriquez *in sum. lib.* 14. *cap.* 12. *nu.* 6. exterus est incapax per legem 3
Regni, ad obtinenda beneficia, itavt ipso facto amittat etiam beneficia obtenta. Hoc supposito.

Respondetur affirmatiuè quidem, dummodo 4
tamen id faciant cautè, & raro, & in casu, quo persona sit valdè considerabilis, adeovt id facere redundet in ipsius Regni, & Ecclesiarum vtilitatem; quod tamen raro contingit, vt experientia docet: id igitur caueant facere ob fauores humanos in damnum naturalium; nam cum hi sint filij, minus rectè priuantur pane domestico, vt frangatur exteris, in præiudicium communitatis, vti dicebam.




DVBITATIO XXXIII.

An plures Vniuersitates, vel Barones Regni possint constituere vnum, vel alterum in procuratorem ad effectum iurandi in Parlamentum?

SVMMARIVM.

1. *Vniuersitates plures, vel Barones Regni possunt constituere in rigore, & absolutè loquendo vnum, vel alterum in Procuratorem, ad effectum intrandi in Parlamentum si sciant eum esse virum probum, & amatorem boni communis: sed sæpe id non expedit & cur.*

Respondetur, in rigore, & absolutè loquendo, posse (si sciant, procuratorem esse virum probum, & amatorem boni communis, sed sæpe id non expedire; quia par non est, quod Parlamentum, & congregatio tanti ponderis pendeat ab vno, vel duobus, in quos procuræ omnes factæ reperiantur; & præterea ipsi solum recipiant à Rege gratias, & non potius totum Regnum, quod donat, & incommodum sentit: Regens de Ponte *de potest. Proregis tit. de elect. official. §.* 5. *nu.* 13. & alij passim. 1



DVBITATIO XXXIV.

An si quis intrans in Parlamentum, tanquam Procurator, possit rogatus substituere aliquem alium in Procuratorem?

SVMMARIVM.

1. *Intrans in Parlamentum tanquam Procurator potest rogatus substituere aliquem alium in Procuratorem; secus tamen est si videat se ad id rogari vt substituat alium, qui ad iniustam conclusionem facilè condescendat.*
2. *Procurator cum facultate substituendi virtute facultatis sibi traditæ, non tenetur de facto Procuratoris substituti: nam videtur talis Procurator constitutus à Domino, mediante persona Procuratoris.*
3. *Procurator (in casu, de quo agitur) qui vult substituere, cognoscit iniustitiam donatiui, vel alterius rei in Parlamento concludendæ, quæ si est iniusta, illam procuram faciendo peccabit, & tenebitur ad damnum.*

1 RESpondetur affirmatiuè: secus si videat, se ad id rogari, vt substituat alium qui ad iniustam conclusionem facilè condescendat: quia,
2 licet Procurator cum facultate substituendi virtute facultatis sibi traditæ, non teneatur de defectu Procuratoris substituti: nam videtur talis Procurator constitutus à Domino, mediante persona Procuratoris, vt docet Gloss. *in cap.* 1. *de Procuratorib. in* 6. Salicet. *in l. quod quis, de Procurat. q.* 5. tamen hæc omnia intelligi debent, si aliqua culpa Procuratori
3 substituenti imputari non potest: At contrarium accidit in casu nostro: quia, sicuti suppono Procurator, qui vult substituere, cognoscit iniustitiam donatiui, vel alterius rei in Parlamento concludendæ: & cognoscit, quod quæritur substitutio procurationis in personam alterius ad damnum Reipublicæ, & illius Vniuersitatis, cuius est Procurator: ergo illam procuram faciendo peccabit, & tenebitur ad damnum. Vide infra *dubit.* 40.

DVBITATIO XXXV.

An Baro habens procuram alicuius Vniuersitatis possit dare diuersa vota, v. g. vt Baro, votum negatiuum, & vt procurator, votum affirmatiuum?

SVMMARIVM.

1. *Baro habens procuram alicuius Vniuersitatis potest dare diuersa vota si res determinanda in Parlamento habet rationes probabiles pro & contra & non adsit scandalum; secus si non habet, quia in vtroque voto sequitur opinionem probabilem.*
2. *Confessarius, & Responsor casuum conscientiæ potest modo vni secundum vnam opinionem probabilem, modo alteri secundum contrariam etiam probabilem, consilium dare.*
3. *Iudex potest modo secundum vnam, modo secundum aliam opinionem probabilem iudicare, si absit scandalum.*
4. *Consulit quod quicumque plura vota dat, det illa semper eodem modo, nisi, qui ei dedit potestatem dandi vnum votum, expressisset cui vellet dari, &c.*

RESpondetur distinguendo: vel res 1
determinanda in Parlamento habet rationes probabiles pro, & contra vel non habet: si secundum, non potest; si primum, & non adest scandalum, potest quia in vtroque voto sequitur opinio- 2
nem probabilem sicuti confessarius, & Responsor casuum conscientiæ potest modo vni, secundum vnam opinionem probabilem, modo alteri secundum contrariam, etiam probabilem, consilium dare, sicuti notant Vasquez *in* 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 62. *cap.* 9. *num.* 47. & Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 20. *qui num.*
45. addit, quod & Iudex potest modo secun- 3
dum aliam opinionem probabilem, iudicare, si, sicuti dicebam, absit scandalum; quod in casu nostro potest abesse, si ille, qui sic notaret, diceret, esse rationes probabiles pro vtraque, tam pro affirmatiua quam pro negatiua parte, Consulerem tamen, quod quicunque plura
vota dat, det illa semper eodem modo, sicuti 4
notauit Regens de Ponte *de potest Proregis tit.* 4. *§.* 1. *num.* 13. Freccia *lib.* 1. *de subfeudis, quæst. Fuit dubitatum num.* 28. & Borell. *in Addit. ad speculum Princip.* Bellugæ, *rubr.* 45. nisi, qui ei dedit potestatem dandi vnum votum, expressisset, cui vellet dari; quia tunc posset, vt procurator, dare vnum votum iuxta determinationem illius, cuius est procurator, & vt principalis dare aliud contrarium, si in contrarium ipse sentiret.



DVBITATIO XXXVI.

An Procuratores in Parlamento sedere debeant in loco, vbi Barones sederent, si in Parlamento adessent?

SVMMARIVM.

1. *Procuratores in Parlamento sedere non debent in loco, vbi Barones sederent si in Parlamento adessent.*
2. *Procuratores si aliqua lis oriatur inter eos de præcedentia sedere debent secundum qualitatem suorum Principalium.*




1 Espondetur negatiuè. Ita Regens de Ponte *decis.* 15. *num.* 1. vbi ex Marino Freccia expreſsè tradit, quod procurator in Parlamento generali non debet ſedere in eodem loco, vbi Baro ſuus principalis ſederet (ſi adeſſet) nec prætendere in voto dando aliquam præcedentiam; Etſi inter procuratores quidem ſit differentia, 2 vt præcedant ſcilicet. ſecundum qualitatem ſuorum principalium, ſicque teſtatur à Concilio Collaterali in Parlamento facto Neapoli anno 1602 die 16. Nouembris determinatum fuiſſe, in quo fuit Princeps Coriati, qui præcedit Principem Caſertæ, tanquam antiquior, ſed Princeps Caſertæ erat Balius Principis Sulmonis, qui præcedit Principem Cariati, & tamen licet fuerit Balius dicti Principis Sulmonis, non præceſſit, ſed ſedit poſt Principem Cariati.



DVBITATIO XXXVII.

An procuratores, qui intrant in Parlamentum, poſſint concurrere in donatiuum Regis; vbi plura de procurâ ſeu Mandato.



SECTIO I.

1. *Mandatum eſt officium ab eo exequendum, qui gratis illud ſuſcepit.*
2. *Mandatum niſi gratuitum nullum eſt; quia originem ex officio & amicitia trahit, contrarium autem eſt officio merces, quare interueniente pecunia ad locationem, & conductionem potius ſpectat.*
3. *Mandans licet purum mandatum fuerit, neque expreſſa, neque tacita facta promiſſione mercedis, vel ſalarij, poſt præſtitum officium ex gratitudine obligatus manet ad remunerandum, ſtrictè tamen id debitum non eſt.*
4. *Procuratori, ſicut & Aduocato, quos conſtat laborem ſuum gratis non præſtare, ſi certum ſalarium conſtitutum non fuit, ad iudicis officium pertinebit ſalarium iuſtum deſignare.*
5. *Conuentio ſaltem tacita debet interuenire inter mandantem, & mandatarium.*
6. *Obligatio reciproca oritur ex hac conuentione, nempe ex parte Mandatarij, vt mandatum fideliter, & integrè exequatur, alioquin exiſtimationis, ac famæ periculum ſuſtinebit ſi de dolo conuictus, & damnatus fuerit.*
7. *Ex culpa niſi lata, obligari non videtur, ſi mandati executio gratis fiat.*
8. *Mandans ratum habere debet id, quod nomine eius à mandatario geſtum eſt, præter quam ſi fines mandati exceſſit, non ſeruando modum, & formam mandati, quæ ſpeciatim ipſi præſcripta fuerat: nam geſta contra, vel præter formam mandati irrita ſunt.*
9. *Dominus niſi contentus eſſe videatur, vt mandatarius, vel famulus ſibi retineat illud, quanto minoris emptum, vel quanto pluris venditum ab ipſo fuerit, Domino reſtituendum erit.*
10. *Mandans debet indemnem ſeruare mandatarium, vt omnes expenſas, quas ille fecit, reſtituat, quin etiam & fortuitum damnum quod occaſione mandati paſſus eſt, vt ſi ab hoſtibus ſpoliatus eſt, eidem reſarcire debet, ne ipſi officium ſuum damnoſum ſit.*
11. *Excipe niſi merces, vel ſalarium interueniat quapropter famuli, & milites ſtipendiarij ſi quid in profectione ad locum deſtinatum forſan amittant, v.g. pecuniam, vel enſem & à Domino exigere non poſſunt.*
12. *Mandati obligatio, & actio vt oriatur, debet eſſe de re honeſta, & licita, quia rei turpis nullum eſt mandatum & mandatarius ob delictum potius pœnam mereatur, vbi qua pœna puniendus in externo foro &c.*
13. *Mandatum alterum eſt generale, alterum vero partiulare: Habens generale mandatum alicuius negotij exequendi, quidquid egerit, id*
14. *Dominus ratum habere debet, mandatum generale ad omnia, præterquam ad illicita, perinde ſe extendit ac ſpeciale ad quædam ijs exceptis, quæ ſpeciale mandatum exigunt.*
15. *Mandatum ſpeciale requiritur ad alienandum, tranſigendum, oppignerandum, exigendum, aduerſario iuramentum deferendum, ſeu ad iurandum &c. talia enim generali mandato comprehenſa non cenſentur.*
16. *Limita niſi generale mandatum fiat cum poteſtate plena, & libera; quia tale mandatum æquiparatur ſpeciali, præterquam quod donari non poſſit, niſi id exprimatur.*
17. *Syndici, & Adminiſtratores Ciuitatum alienare, & tranſigere poſſunt, quia habent à lege generale mandatum cum libera poteſtate.*

18 Libera

18. *Libera Credentiæ, in quibus generatim continetur, vt offerenti illas plena fides habeatur, non obligant scribentem; secus si fides liberis habenda magis specificata sit, &c.*

19. *Madatum expirat primo si reuocetur à mandante negotio nondum capto, reg. integra.*

20. *Mandatarius, vel procurator si habuerit mandatum contrahendi cum certa persona, reuocatio significanda est contrahenti secus si mandatum habuit indifferenter, tunc enim satis est, reuocationem significari mandatario, qui vero postea cum eo contrahit ipsum solum obligatum habebit.*

21. *Mandatum secundò expirat, si Mandatarius dum res adhuc integra est, tempestiuè renunciet, vt res per alium expediri possit.*

22. *Mandatum tertiò expirat morte mandantis si res adhuc integra sit.*

23. *Excipe nisi sibi mandatum fuerit vt puellæ dotem traderes: nam ob specialem fauorem dotis, exequi debes etiam post mortem mandantis.*

24. *Excipe item mandatum de libertate danda quod mandantis morte non expirat.*

25. *Idem etiam dic de mandato ad pias causas.*

26. *Mandatum morte mandantis non expirat, si quis pecuniam alicui dedisset pauperibus distribuendam.*

27. *Mandatarius si ignorata morte, vel reuocatione mandantis mandatum bona fide executus fuerit, competit ei nihilominus actio mandati, ne iusta, & probabilis ignorantia ipsi damnum afferat.*

28. *Procurator est ex Vlpiano, qui aliena negotia mandatu Domini administrat, &c.*

29. *Procurator autem est vnus specialis ad vnam, vel plures speciatim datus, alter vero generalis.*

30. *Procurator, sicuti & quiuis alius mandatarius, aut delegatus literas, & formam sui mandati, seu commißionis exhibere tenetur, neque ipsius potestas vlterius se extendit quam in literis expressum fuerit.*

31. *Persona Coniuncta sine mandato admittitur ad agendum pro altero, modo caueat alterum ratum id habiturum.*

32. *Maritus cum tali satisdatione admittitur ad defendendum res vxoris etiam ipsius cura non traditas.*

33. *Procurator etiam vnus est ad lites, siue ad iudicia, alter ad alia negotia tractanda, & quale discrimen sit inter eos.*

34. *Procurator ad negotia post 17. ætatis annum rectè constituitur; ad iudicia tamen non recte nisi maior fuerit 25. annis.*

35. *Minor ætas requiritur, nempè 17. annorum completorum ad postulandum, seu ad munus Aduocati, quam ad munus Procuratoris, quia Procurator actione mandati tenetur, & condemnatur, non item Aduocatus.*

36. *Eadem causa est cur minor 25. annis in iudicio stare non possit seu vt Actor, seu vt Reus, absque tutore, vel Curatore, neque filius familias absque Patris assensu &c.*

37. *Procurator ad negotia potest substituere alium, nisi id ipsi prohibeatur, vel nisi specialis negotij grauitas permittere non videatur. Procurator vero ad iudicia non potest, nisi id in mandato contineatur &c.*

38. *Procurator ad iudicia de culpa etiam leui, & leuißima etiam secundum quosdam tenetur, at Procurator ad negotia plerumque tantum tenetur de culpa lata, nisi negotij qualitas exactam diligentiam requirat.*

39. *Procurator ad lites differt ab Aduocato, quia cum Procuratore contrahitur, & mandati actio in eum competit, at Aduocatus obligatione mandati non constringitur.*

40. *Nemo inuitus sicut contrahere, ita etiam nemo officium Procuratoris suscipere cogitur, at Aduocatus à Iudice compelli potest vt certæ personæ patrocinium suscipiat.*

41. *Procurator, sicut & Aduocatus salarium iustè accipit, nisi Clientes sint Pauperes in graui, vel extrema necessitate constituti.*

42. *Pactum de quota litis irritum est.*

43. *Pactum, vt certa quantitas iusta pro labore soluatur, siue victoria litis obtineatur, siue non, immo & de certo præmio præter iustum stipendium dando, si victoria praeueniat, modo id sit moderatum, & lege speciali non prohibitum, irritum non est.*

44. *Procuratori consimilis est syndicus, discrimen tamen inter eos est; quia Procurator instituitur à proprio Domino: Syndicus vero ab Vniuersitate, eiusue administratore v. g. Episcopo, Capitulo, Monasteriis, Prælato, &c.*

45. *Constitutus ab Vniuersitate ad vnam tantum causam potius appellatur actor, quam syndicus.*

46. *Mandatarius in contractu, alioue negotio tripliciter se habere potest.*

47. *Mandatarius ergo in contractu alioue negotio se habet primò vt merus internuncius Domini, vel principalis, cuius nomine contrahit tanquam instrumentum vt v. g. famulus, qui à Domino missus equum nomine illius conduxit, &c.*

48. *Mandatarius secundò vt ipsemet agat, contrahat, & obligationes, & actiones sibi acquirat, quas deinde mandanti cedere debeat.*

49. *Procurator si mandato Domini absentis in iudicio causam egit, non Dominus, sed procurator condemnatur, quod tamen non semper obseruatur.*

50. *Sententiæ executio ordinariè fit in bonis Domini, non Procuratoris, nisi is in rem suam datus sit, vel mandatum se habere mentitus fuerit, vel cum nullum defensor mandatum proferre posset, satis dederit Dominum rem ratam habiturum esse.*

51. *Habens tertiò ab altero mandatum quidem contrahendi v. g. merces emendi, contractum tamen nullo exposito mandato, veluti suo nomine celebret, non solum ius, & obligationem sibi ipsi acquirit; sed etiam executio sententiæ in eiusdem bonis fieri consueuit, licet postea actione mandati hoc ipsum repetere possit à mandante.*

52. *Procurator Parlamentarius cum sit constitutus ad comparendum, & tractandum in Parlamento, non videtur posse donare, etiam si in mandato procuratorio dicatur, quod principalis promittat habere rata omnia gesta*

per procuratorem : nam talia verba generalia ponuntur ex superabundanti.

53. *Procurator Cæsaris licet habeat liberam administrationem, tamen non potest donare.*

54. *Habens mandatum in casu de quo agitur cum libera potestate seu habens liberam administrationem, potest donare, seu donatium facere.*

55. *Procurator prædictus facit in Parlamento Regi donatiuum ob regias gratias, quæ in Populorum, & subditorum fauorem redundant quæ non est simplex donatio, sed in præmium gratiarum remuneratio.*

1 SVppono, quod *mandatum sit officium ab eo, qui gratis suscepit, exequendum,* sicut definit Accursius *in annot. ad principium tit. ff. mandati*: nam vt dicitur *in l. 1. ff. eodem, mandatum, nisi gratui-*
2 *tum, nullum est; quia originem ex officio, & amicitia trahit, contrarium autem est officio merces, quare, interueniente pecunia, ad locationem, & conductionem potiùs spectat*: est enim hoc commune omni contractui, vt si conditio addatur contra naturam eius, faciat eum transire in aliam speciem contractus, quatenùs id possibile est, vt ait Abb. *in cap. vnico, num. 10.*
3 *de commodato.* Etsi verò, si purum mandatum fuerit, nec expressa, nec tacita facta promissione mercedis, vel salarij, mandans post præstitum officium ex gratitudine obligatus maneat ad remunerandum, tamen id strictè debitum non est; quare neque occultæ compensationi in hoc casu locus esse potest, vti notat
4 Molin. *disp.* 148. Attamen Procuratori, sicut & Aduocato, quos constat laborem suum gratis non præstare, si certum salarium constitutum non fuit, ad Iudicis officium pertinebit, salarium iustum designare, qua de re Glos. *in l. salarium ff. mandati, & l. 1. cod. eodem.*

5 Inter mandantem, & mandatarium conuentio debet interuenire, saltem tacita: nam si videas in tui gratiam aliquid à me fieri, v. g. fideiuberi, neque prohibeas, tacitè mandare censeris, *l. si remunerandi §. si passus sim ff. eodem.* Ex hac porrò conuentione oritur reciproca obligatio, nempe ex parte mandatarij,
6 vt mandatum fideliter, & integrè exequatur, alioquin existimationis, ac famæ periculum sustinebit, si de dolo conuictus, & damnatus fuerit, iuxta *leg. in re mandata Cod. eodem*, iuncta
7 Gloss. *verb. existimationis*, ex culpa verò, nisi lata, obligari non videtur, si mandati executio gratis fiat, sicuti docet Glos. *in cit. leg. in re mandata verb. exacto*, & colligitur *ex l. si Procuratorem, §. dolo, ff. eodem, & l. contractus, ff. de regul. iur.*

8 Suppono secundò, quod è contra mandans ratum habere debet id, quod nomine eius à mandatario gestum est, præterquam si fines mandati excessit, non seruando modum, & formam mandati, quæ speciatim ipsi præscripta fuerat: nam gesta contra, vel præter formam mandati, irrita sunt, sicuti habetur *in l. diligenter fines mandati custodiendi sunt, ff eodem, & l. cum mandati Cod. eodem*, & docet Abb. *in cap. vlt. §. is autem num. 6. de offic. deleg.* & Syluest. *verb. mandatum quæst. 7.* v. g. si à me iussus equum vendere centum aureis, vendidisti 90. aut iussus emere centum, emisti 110. non teneor venditionem ratam habere. Sin autem pluris à te res vendita fuerit, vel minoris empta, quam mandaueram, non censeberis fines mandati excessisse; siquidem qui mandauerat, centum aureis sibi equum emi, vel centum aureis vendi, is mandasse intelligitur, vtsi fieri possit, etiam minoris emeretur, vel pluris venderetur iuxta *§. is qui instit. de mandat. & l. diligenter, ff. mandati.* Quare, nisi 9
Dominus contentus esse videatur, vt mandatarius, vel famulus sibi retineat illud, quantò minoris emptum, vel quantò pluris venditum, ab ipso fuerit, domino restituendum erit.

Suppono tertiò, quod mandans debet in- 10
demnem seruare mandatarium, vt omnes expensas, quas ille fecit restituat, iuxta *cap. cum pro causa, de procurat.* quin etiam & fortuitum damnum quod occasione mandati passus est; vtsi ab hostibus spoliatus fuit, eidem resarcire debet, ne ipsi officium suum damnosum sit, sicuti docet Sylu. *quæst.* 6. & Molin. *disp.* 549. Etsi contrarium sentiat Abb. *cum pro causa*, de procurat. propter *l. inter causas. §. non omnia ff. mandati*, qui tamen textus procedit secundùm ius strictum, non secundùm æquitatem, quæ & obseruari debet. Excipe, nisi mer- 11
ces, vel salarium interueniat; quapropter famuli, & milites stipendiarij, si quid in profectione ad locum destinatum forsan amittant, v. g. pecuniam, vel ensem, &c. à dominis exigere non possunt, sicuti rectè docet idem Abb. *in cap. sicut num.* 17. *de iureiur.*

Suppono quartò, quòd vt obligatio, & 12
actio mandati oriatur, debet esse de re honesta, & licita; quia rei turpis nullum est mandatum, *l. si remunerandi §. si passus, ff. mandati, & §. illud quoque instit. eodem*; cum talis ob delictum potius pœnam mereatur. Notant tamen Gomez 3. *resolut. cap.* 3. *num.* 4. & Molin. *tract.* 3. *disp.* 33. *num.* 8. in externo foro à pœna excusari personas alterius potestati subiectas, si eius mandato leuia delicta commiserint, v. g. furtum exiguum; Secus autem esset in delictis grauibus, v. g. furto notabili, vel homicidio; quamuis & in his etiam aliquando mitior pœna mandatario decernatur, si, spectatis personarum circumstantiis, propter metum aliqualis obediendi necessitas fuerit.

Suppono quintò, quòd mandatum vnum 13
est generale, alterum speciale. Qui generale 14
mandatum habet alicuius negotij exequendi, quidquid egerit, id dominus ratum habere debet: nam mandatum generale ad omnia (præterquam ad illicita) perinde se extendit, ac speciale ad quædam, Syluest. *verb. mandatum quæst.* 2. iis exceptis, quæ speciale mandatum 15
exigunt, qualia sunt alienare, transigere, oppignorare, aduersario iuramentum deferre, &c. talia enim generali mandato comprehensa non censentur, *cap. 4. & 5. de procurat. in 6.* Quæ tamen exceptio iterum limitatur, nisi ge- 16
nerale mandatum fiat cum potestate plena, & libera, quia tale mandatum æquiparatur spe-

ciali, præterquam quod donari non possit, nisi id exprimatur, sicuti docent communiter Doctores *in l. Procurator*, § *si generaliter ff. de procurat.* Garz. *de benefic. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 72. Abb. *in cap. petitio num.* 2. *de procurat.* Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 30. §. *de procurat.*
17 & Andr. Gaill, *lib.* 2. *obseruat.* 73. vbi subdit, Syndicos, & administratores ciuitatum alienare, & transigere posse, quia habent à lege generale mandatum *cum libera potestate.*

18 Huc etiam spectat quod docet Bart. *in l. Lucius ff. de fideiussor.* nempe quòd *litera credentiæ*, in quibus generatim continetur, vt offerenti illas plena fides habeatur, non obligent scribentem. Secus verò, si fides literis habenda: magis specificata sit, v. g. *lateri huic plenè à me informato habetis omnem fidem*: *vel fidem ei habetis in omnibus meo periculo.*

19 Suppono sextò, quod mandatum expirat primò, si reuocatur à mandante, re integra, idest negotio non dum cœpto, §. *rectè institut. de mandat.* vbi Gloss. *verb. item si adhuc*, ait, tunc rem integram censeri, cum nondum interesse mandatarij cœpit, *argum. l. si procuratorem* §. *mandati.* Sin verò negotium cæptum fuerit, & intersit mandatarij vt ad finem perducatur, reuocari non potest à mandante, nisi paratus sit restituere, quod illius interest; Et Abb. *in cap. ex parte num.* 12. *de rescriptis*
20 addit, si mandatarius, vel procurator habuit mandatum contrahendi cum certa persona, reuocationem significandam esse contrahenti. Secus, si mandatum habuit indifferenter: tunc enim satis est reuocationem significari mandatario, seu procuratori: qui verò postea cum eo contrahit, ipsum solum obligatum habebit.

21 Secundò expirat, si mandatarius, dum res adhuc integra est, tempestiuè renunciet, vt res per alium expediri possit, *cit.* §. *institut. de mandat.* ibi: *Mandatum suscipere cuilibet liberum est*; *susceptum autem consumandum est, aut quamprimum renunciandum*: *nam nisi ita renuncietur, vt integra causa mandatori reseruetur eandem rem explicandi, nihilominus mandati actio locum habet, nisi iusta causa intercesserit, aut non renunciandi, aut intempestiuè renunciandi,* &c. *consentit l. si mandauero*, §. *vlt. ff. eodem.*

22 Tertiò plerumque mandatum expirat morte mandantis, si res adhuc integra sit. *cit.* §. *rectè*, *& l. mandatum*, *Cod. mandati.*

23 Dixi, *plerumque*, quia aliqui casus excipiuntur, v. g. si tibi mandatum fuerit, vt puellæ dotem traderes, exequi debes, etiam post mortem mandantis, ob specialem fauorem dotis, vti colligitur *ex l. si ego*, *ff. de iure dotium*:
24 *Item in l. si pater*, *ff. de manumissis* decernitur mandatum de libertate danda mandatoris mor-
25 te non expirare: Quapropter idem etiam dicendum est de mandato ad pias causas, vt ex communi docet Couarr. 3. *resol. cap.* 14. *num.* 16.
26 & Molin. *tom.* 2. *disput.* 263. vbi rectè ait, quòd, si quis pecuniam alicui dedisset pauperibus distribuendam, morte mandantis mandatum non expiret, quare pauperibus, non hæredi pecunia debita foret: nam spectato solo iure naturali, & seclusa subtilitate iuris ciuilis tacitam mandati reuocationem inducentis per mortem mandantis, potiùs dicendum est, mandatum executioni mandandum esse secundùm voluntatem defuncti, in qua ipse vsque ad mortem perseuerauit: Cum nihil tam naturali æquitati conueniat, quàm voluntatem Domini rem suam in alium transferre volentis, ratam haberi, §. *traditionem institut. de rerum diuis*, & hæredem facto, ac voluntati defuncti non repugnare, ergo ita seruandum erit in causis piis, vtpote Ecclesiasticis, quibus ciuilis lex nihil præiudicij afferre potest.

His adde, quod, si mandatarius ignorata 27 morte, vel reuocatione mandantis, mandatum bona fide exequutus fuerit, competat ei nihilominùs actio mandati, ne iusta, & probabilis ignorantia ipsi damnum afferat, §. *item si adhuc instit. eodem.*

Suppono septimò, quòd procurator ex Vlpiano *in l.* 1. *ff. de procurat.* sit, *qui aliena negotia mandatu Domini administrat.* Et infra: *Vsus autem procuratoris per quam necessarius est, vt qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint, vel agere, vel conueniri.* Ex quibus apparet, quod Procuratoris officium sit quædam species mandati. 28

Est autem Procurator, vnus specialis ad 29 vnam, vel plures res speciatim datus, alter verò generalis, Doctores *in l. Procurator cui ff. mandati*; quare Procurator, sicuti & qui- 30 uis alius Mandatarius, aut Delegatus litteras, & formam sui mandati, seu commissionis exhibere tenetur. Neque ipsius potestas vlterius se extendit, quàm in litteris expressum fuerit, vti colligitur *ex cap. cum olim* 1. vbi *Abb. num.* 4. *de offic. deleg. & cap. coram*, *num.* 5. *eod. tit.* persona tamen coniuncta sine manda- 31 to admittitur ad agendum pro altero, modo caueat, alterum ratum id habiturum, *l. sed & hæ, ff. de procuratoribus*, *& l. maritus Cod. eod.* vbi dicitur, maritum cum tali satisdatione ad- 32 mitti ad defendendum res vxoris, etiam ipsius curæ non traditas: Qua de re Bart. *ibidem*, & Abb. *in cap. constitutus num.* 5. *extra eodem.*

Procurator etiam, vnus est ad lites, siue ad 33 iudicia, alter ad alia negotia tractanda. Inter quos quædam discrimina sunt.

Primum, licet Procurator ad negotia post 34 17. ætatis annum rectè constituatur, ad iudicia tamen non rectè constituitur, nisi maior fuerit 27. annis, *cop. qui generaliter*, §. *licet eodem in* 6. vbi Glos. rationem affert, cur minor ætas, nempe 17. annorum completorum, ad postulandum, seu ad munus Aduocati sufficiat, 35 iuxta *l.* 1. *ff. de postulanda*, *&* §. *eadem instit. quibus modis manumitt.* quia Procurator actione mandati tenetur, & condemnatur, non item Aduocatus, vt mox infrà dicetur: quæ ipsa etiam causa est cur minor 25. annis in 36 iudicio stare non possit, seu vt Actor seu vt Reus, absque tutore, vel curatore, *l.* 1. *&* 2. *Cod. qui legit personam*, &c. Neque filius familias absque patris assensu, *cap. vlt.* §. *vlt. de iudice.* vbi Glos. casus exceptos numerat, nempe si agat contra patrem, de toro violato, &c.

Secundum, Procurator ad negotia potest 37 substituere alium, nisi id ipsi prohibeatur, vel

nisi specialis negotij grauitas permittere non videatur, *l. si Procuratorem*, *§. si quis mandauerit*, iuncta Glos. *ff. mandati*, & communiter Doctores *in §. mandatum institut. eodem*, Procurator verò ad iudicia non potest substituere alium, nisi in mandato contineatur, vel postquam lis ab eo contestata fuit, vel nisi in rem suam, idest, propriam vtilitatem, datus fuerit, quia titulo donationis cessa ipsi est actio, *cap. 1. § licet eodem in 6.*

38 Tertium, Procurator ad iudicia de culpa, etiam leui, imo secundùm quosdam, etiam de leuissima tenetur; quia exactam rei gerendæ peritiam præ se ferre censetur, *l. in procuratore, Cod. mandati*; at Procurator ad negotia, sicut & alius mandatarius, plerumque tantùm tenetur de culpa lata, nisi negotij qualitas exactam diligentiam requirat.

39 His adde, quod differt etiam Procurator ad lites ab Aduocato; quia cum Procuratore contrahitur, & mandati actio in eum competit; siquidem litem alterius, plerumque absentis nomine, prosequendam sponte suscepit, at Aduocatus obligatione mandati non constringitur, sed clienti in iudicio præsenti, & pro se etiam agenti, vel aduersario respondenti patrocinium aliquod, seu defensionem præstat, Sylu. *ver. Procurator*, & Myssinger. *instit. de his, per quos agere possumus*, *§. Procurator*, *& l. 1. ff de postulando.*

40 Hinc fit, quod, sicut nemo inuitus contrahere, ita etiam nemo officium Procuratoris suscipere cogitur, *l. inuitus Cod. de procurat.* at Aduocatus, vt certæ personæ, quæ se ipsam satis defendere non potest, patrocinium suscipiat, à Iudice compelli potest, *l. 1. §. ait Prætor. ff. de postulando*, & officio aduocationis priuari si, iusta excusationis causa non allata, pro altero postulare recuset; vti constat *ex l. prouidendum, Cod. eodem*, & docet Gloss. *in cit. l. inuitus*, Abb. *in cap. 1. num. 5. de offic. Iudicis*, Armilla *verb. Aduocatus num. 10.* Myssinger. *centur. 4. obseruat. 32.* & Andr. Gaill. *lib. 1. obseruat. 43. num. 3.* vterque

41 tamen, tàm Procurator, quàm Aduocatus, salarium iustè accipit, nisi clientes sint pauperes, in graui, vel extrema necessitate constituti, qui ex misericordiæ lege gratis defendi debeant; ideoque ob talem defensionem Aduocatus Iudicis officio cogi poterit, vti docet Gabriel *in 4. dist. 15. quæst. 6. art. 3. dub. 4.* Abb. *in loc. suprà cit.* Sylu. *Aduocatus, quæst. 18.* Sotus *de iust. & iur. lib. 5. quæst. 8. art. 1.* & Less. *lib. 2. cap. 31. dub. 7.*

42 Porrò irritum est pactum *de quota litis*, idest, vt certa pars eius, quod ex lite prouenturum est, Procuratori cedat, *l. 7. ff. mandati*, *l. si qui Cod. de postulando*, *& l. litem*, *Cod. de procurat.*

43 An autem valeat pactum, non expressè *de quota litis*. Obtentæ, sed vt certa aliqua quantitas detur in casu victoriæ; v. g. vt si ager, de quo lis est, valeat 150 aureis, Aduocato dentur 50. videri poterit Gloss. *in l. sumptus ff. de pactis*, & Nauarr. *lib. consil. 4. de pactis*, *& in summa cap. 25. num. 30.* vbi ait, sine peccato conueniri posse, vt certa quantitas iusta pro labore soluatur, siue victoria litis obtineatur, siue non; Immo & de certo præmio præter iustum stipendium dando, si victoria praeueniat, modo id sit moderatum, & lege speciali non prohibitum.

An etiam Clerici in sacris, vel beneficiati, vel Religiosi possint officium Procuratoris, vel Aduocati gerere, & quando, dixi *suprà cap. 1. dub. 17.*

Suppono octauò, quod Procuratori consi- 44
milis est Syndicus; Differunt tamen, quia Procurator instituitur à proprio domino, iuxta *l. 1. ff. de Procurat.* Syndicus vero (qui latinè defensor dicitur) ab vniuersitate, eiusve administratore, v. g. Episcopo, Capitulo, Monasterij Prælato, sicuti videre est *in cap. petitio de Procurator. & cap. vnic. de Syndico.* Quamuis Canones hoc vocabulorum discrimen non semper obseruent, & Syndicum aliquando etiam Procuratorem appellent, sicuti notauit Glossa *in cap. vnico de Syndico, num. 2.* vbi etiam subdit, constitutum ab vniuersitate 45
ad vnam tantùm causam, potiùs appellari actorem, quàm Syndicum, sicuti colligitur *ex l. item eorum § actor ff. de Procurat.*

An autem Procurator, vel Mandatarius, quando iussu alterius contrahit, v. g. equum conducit, actionem, & obligationem sibi ipsi, an verò mandanti acquirat? Respondetur cum Molina *tom. 2. disput 551.* Mandatarius 46
in contractu, aliove negotio tripliciter se habere potest.

Primò, vt merus internuncius domini, vel 47
principalis; cuius nomine contrahit, tamquam instrumentum, vt v. g. famulus, qui à domino missus equum nomine illius conduxit; Vel Procurator, seu Legatus à Rege missus ad contrahendum matrimonium, aut ad prolem ex baptismo suscipiendam: hi enim omnes sibi ipsis nullum ius, vel obligationem acquirunt, sed tantùm domino, seu principali.

Secundò, vt Mandatarius ipsemet agat, 48
contrahat, & obligationes, & actiones sibi acquirat, quas deinde mandanti cedere debeat: quapropter *in l. 1. Cod. de sententiis, & interlocut. omn. Iudic.* statuitur, vt si Procurator man- 49
dato domini absentis in iudicio causam egit, non dominus, sed procurator condemnetur: quod tamen non semper obseruatur, vt notat Gloss. *ibi, & in cap. suscitata verb. Monasterij de in integrum restitut.* & Myssinger *cent. 6. obseruat. 11.* executio tamen sententiæ ordi- 50
nariè fit in bonis domini, non procuratoris, nisi is in rem suam datus sit, vel mandatum se habere, mentitus fuerit, vel cum nullum defensor mandatum proferre posset, satis dederit, dominum rem ratam habiturum esse, *l. Plantius, ff. de procurat. & §. sin autem instit. de satisdat.*

Tertiò, si quis mandatum quidem contra- 51
hendi ab altero habeat, v. g. merces emendi, contractum tamen, nullo exposito mandato, veluti suo nomine celebret: talis enim non solùm ius, & obligationem sibi ipsi acquirit, sed etiam executio sententiæ in eiusdem bonis fieri consueuit, licet postea actione mandati hoc ipsum repetere possit à mandante. His suppositis.

Ratio dubitandi est: quia, cum Procurator 52

Parlamentarius sit constitutus ad comparendum, & tractandum in Parlamento, non videtur posse donare, etiamsi in mandato procuratorio dicatur, quod principalis promittat habere rata omnia gesta per Procuratorem: nam talia verba generalia ponuntur ex superabundanti, & non operabuntur effectus non specificatos, Iason *in l. quæ acta num.* 21. *ff. de offic. Procons.* vbi ait, esse sententiam communem Doctorum: Tum quia in donatione facienda requiritur specialis potestas, vt voluit Bart. *ex tex. in l. Titius Famil. num.* 8. *ff de donat.* quia licet maritus habeat generalem potestatem disponendi de bonis dotalibus, constante matrimonio, non tamen ea potestas extenditur, vt possit donare, cum donare sit perdere: Et ita etiam docet Didac. de Segura *in tract. de bonis lucrat. constan. matrim. fol.* 66. & Io. Lopez *in Rex. rubr. de donat. inter virum, & vxorem,* §. 66. *num.* 29. Tum quia Procurator Cæsaris, licet habeat liberam administrationem,
53 tamen non potest donare vt *in l.* 1. *ff. de offic. Procur. Cæsar.* Nihilominus,

Respond. affirmatiuè; quia quod qui habet
54 mandatum cum libera potestate, seu liberam habet administrationem, vt est in casu nostro, possit donare; seu donatiuum facere, habetur *in l. Procurator, cui libera ff. de procurat.*

Confirmatur, quia, quod Procurator habens
55 liberam, possit donare, docet Io. Lopez *loc. suprà cit. num.* 29. & Bernard. *in Alphar. collect. iur.* 597. & faciunt notata per Lafredum Lanfranc. *decis.* 52. & per Catelian. Cottam memorab. *in vers. Procurator cum libera.*

Confirmatur secundò, quia talis Procurator facit in Parlamento Regi donatiuum ob regias gratias, quæ in populorum, & subditorum fauorem redundant: Quæ non est simplex donatio, sed in proemium gratiarum remuneratio, ergo valebit. vt habetur *in l. filius familias ff. de donat.* & docent Bart. & alij *ibi*, &, in terminis Francisc. Aretin. *in cons.* 24. & Andr. Tiraquell. *in rep. l. si vnquam in vers. donat. largitus num.* 26. *Cod. de reuocat. donat.*

Ad rationem dubitandi patet ex dictis; neque obstat tex. *in* §. *filius familias, ff. de donat.* quia ibi Procurator non habebat liberam, vt notauit Glos. *in dicta l. Procurator*; neque etiam obstat text. *in l.* 1. *ff. de offic. Procurat. Cæsar.* quia textus loquitur in habente liberam à lege, & ideò ei non permittitur donare. secus in habente liberam ab homine, quia talis poterit donare, vt *in dicta l. Procurator cui*, & voluit ibi Bald. & idem Bald. *in cap.* 1. §. *donare qual. olim feud. alien. pot.*





Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Religiosus absque speciali Abbatis licentia potest agere pro consorte litis; cum tamen hoc munus absque licentia Abbatis præstare nullatenus possit: quinimo pro consorte agere potest sine speciali mandato.*
2. *Consors litis probabilius est, quod non possit absque speciali sui Consortis mandato pro eo restitutionem in integrum petere.*
3. *Consors litis non admittitur pro Consorte in iis, quæ speciale mandatum requirunt.*
4. *Coniunctus, qui etiam ante litis contestationem pro coniuncto potest agere, non admittitur in iis, quæ exigunt speciale mandatum.*
5. *Procurator, &c. petiturus restitutionem in integrum habere debet speciale mandatum; neque sufficit generale ad omnes eius causas, & negotia, etiamsi mandato generali addatur clausula ad omnes causas, & negotia.*
6. *Mandatum licet sit speciale, non sufficit tamen ad petendam restitutionem in integrum; nisi exprimatur facultas petendo restitutionem in integrum.*
7. *Persona, contra quam petenta est restitutio in integrum non est necesse, quod in mandato exprimatur; sufficit enim, si in genere restitutio expressa fuerit.*
8. *Filius non potest ex mandato Patris adire hæreditatem, nisi in eo mandato expressa hæreditas sit; idque ob periculum damnosæ hæreditatis adeundæ.*
9. *Iurare de calumnia nemo potest, quin in mandato speciali exprimatur causa, circa quam iurare debet: quia illud iuramentum refunditur in animam principalis, & proinde conscius esse debet iustitiæ causæ, circa quam iuratur.*
10. *Mandatum speciale licet quis non habeat expressis verbis pro restitutione in integrum petenda; si tamen sub generalibus verbis, quibus mandatum ei concessum est, speciale mandatum ex Iuris dispositione intelligatur, sufficiens erit.*
11. *Mandatum præfatum intelligitur si expressis in eo causis, vel negotiis, speciale mandatum requirentibus addatur generalis clausula, & ad omnia alia requirentia speciale mandatum.*
12. *Mandatum generale habenti, si addatur clausula, cum generali administratione, eo ipso censetur concessa facultas ad ea omnia, quæ speciale mandatum requirunt; maximè quæ in præiudicium mandantis non vergunt, qualis est causa restitutionis in integrum.*
13. *Idem dicendum à fortiori si alicui concedas plenam administrationem suorum bonorum,*

vel liberam facultatem faciendi, quæ tu ipse facere posses.

14. *mandato generali ex eo quod addatur clausula ratihabitionis, seu de rato habendo quodcumque gesseris, non est concessa facultas ad ea, quæ speciale mandatum requirunt, & neque ad petendam restitutionem in integrum.*

15. *Clausula ratihabitionis solum operatur, ne cautionem de iudicato soluendo Procurator præstare teneatur, quam tamen seclusa tali clausula præstare debebat; tametsi de mandato constaret.*

16. *Clausula ad agendum, defendendum, & supplicandum, licet secundum Cassiodorum tribuat potestatem ad petendam restitutionem in integrum; meritò tamen dubitat de hoc Molina, & cur, ex quo dubio petenda est restitutio cum cautione de rato, &c.*

17. *De mandato speciali quoties dubitatur, generale est, restitutionem peti posse præstita rati cautione.*

18. *Procurator ad causam principalem ad petendam restitutionem non directè, sed accessoriè non indiget speciali mandato; sed sufficit mandatum, quod ad causam principalem fuerit requisitum.*

19. *Iudex si non valeat causam restitutionis in integrum tractare: potest de ea cognoscere, si accesserit causæ principali.*

20. *Restitutionis causa censetur accedere principali, non solum cum agitur causa principalis: sed etiam cum ipsa finita non est, & ad eius definitionem restitutio in integrum conducit.*

21. *Restitutio non pendet à contestatione litis, sed ab incidentia, & connexione cum causa principali, quam restitutio habere potest ante litem contestatam.*

22. *Tempus ad petendam hanc restitutionem durat quousque causa finita sit: quapropter à sententiis interlocutoriis, etiam si transierint in rem indicatam, eo quod ab eis non fuerit congruo tempore appellatum, restitutio peti potest, quia causa principalis perseuerat.*

23. *Speciale mandatum licet requiratur ad petendam restitutionem, tamen ad defendendum eum, aduersus quem restitutio petitur, sufficit generale mandatum.*

24. *Mandatum ob fauorem piæ causæ non expirat; sed ab administratore causæ piæ donatio acceptari potest æquè, ac si viuus existeres; licet antequam acceptetur moriaris.*

25. *Idem dic fauore dotis, & fauore scholasticorum.*

26. *Mandatum de manumittendo seruo ob fauorem libertatis, non expirat morte mandantis, quia decedens præsumitur sic voluisse; cum ea donatio in salutem animæ suæ quam maximè cedat.*

1 
X dictis collige, quod, licet videatur dicendum, consortem litis esse admittendum absque speciali mandato ad petendam restitutionem in integrum (provt indicat Felin. *in cap. coram, de offic. deleg.* Decius &Ripa *in cap. cum M n.58. de rescript.* & probari potest *ex Clement. Religiosus, de procurat.* vbi Religiosus absque speciali Abbatis licentia potest agere pro consorte litis, cum tamen hoc munus absque licentia Abbatis præstare nullatenus possit; quinimo pro consorte agere posse sine speciali mandato, tradunt Cardin. *in dicta Clement. Religiosus.* Decius, & Felin. *in cit. cap. cum M.*) probabilius tamen est oppositum, scilicet consortem 2
litis absque speciali sui consortis mandato non posse pro eo restitutionē in integrum petere, sicuti docuit Abb. *in cap. constitutus circa finem, & in cap. cum M.* & ibi Felin. & Couarr. *l. variar. cap. 6. num. 6.* ex eo quia consors litis
non admittitur pro consorte in iis, quæ specia- 3
le mandatum requirunt: nam, si coniunctus,
qui etiam ante litis contestationem pro con- 4
iuncto potest agere, non admittitur in iis, quæ exigunt speciale mandatum, *cit. l. patri pro filio*, à fortiori admittendus non erit consors litis, qui, lite nondum contestata, agere non potest, *l. 2. Cod. de consort. eiusdem lit. & l. si petitor ff. de iudiciis.* Neque his obstat. *cit. Clement. Religiosus*: nam inde solum probatur, absque licentia Abbatis Religiosum pro consorte admittendum esse, sed non ad ea, quæ exigunt speciale mandatum.

Secundò collige, quod ex omnium sententia
Doctorum qui nomine alterius, seu tanquam 5
Procurator alterius, restitutionem petiturus est, habere debet speciale mandatum, neque sufficit generale ad omnes eius causas, & negotia, sicuti expresè habetur *in l. illud in fine ff. de Minor. & cap. coram de in integrum restitutione.* Quod verum est, esto mandato generali addatur clausula generalis, *ad omnes causas, & negotia*; Et iam si speciale mandatum requi-
rant, adhuc non censetur speciale manda- 6
tum concessum ad petendam restitutionem in integrum, vti colligitur *ex cap. qui ad agendum, & cap. qui generale de procurat. in. 6.* sed requiritur, vt mandatum exprimat facultatem petendi restitutionem in integrum.

Non tamen requiritur, vt causa, seu nego- 7
tium, vel persona, aduersùs quam restitutio postulanda est, exprimantur: sufficit enim, si in genere restitutio expressa fuerit, Bart *in l. filius familias num. 10. ff. de donat.* Innoc. & Abb. *in cap. suscitata, & cap. coram de in integrum restitutione*, Molin. *tract. 2. disp. 573.* &
Couarr. 1 *variar. cap. 6. num. 2.* Neque ob- 8
stat, non posse filium ex mandato patris adire hæreditatem, nisi in eo mandato expressa hæreditas sit, *l. si quis, §. sed vtrum, ff. de acquir. hæred.* nam ibi sic cautum est ob periculum damnosæ hæreditatis adeundæ, quod tamen periculum vix, vel numquam esse potest in restitutione in integrum. Neque etiam obstat,
neminem de calumnia iurare posse, quin eo 9
mandato speciali exprimatur causa, circa quam iurare debeat, *cap. vlt. de iuram. calumn. in 6.* quia illud iuramentum refunditur in animam principalis, & proindè conscius esse debet iustitiæ causæ, circa quam iuratur.

Collige tertiò, quod licet expressis verbis
speciale mandatum non habeat pro restitutio- 10
ne in integrum petenda, si tamen sub gene-

ralibus verbis, quibus tibi mandatum concessum est, speciale mandatum ex iuris dispositione intelligatur, sufficiens erit; vti rectè dixit Abb. *in cit. cap. coram num.* 5. & Cauarr. *cit. cap.* 6. *num.* 3. & ratio est, quia eo casu perinde est, acsi speciale mandatum expressum esset: Solùm est dubium, sub quibus verbis censeatur hoc speciale mandatum contineri;
11 Et quidem contineri dicendum est, si expressis in mandato causis vel negotiis, speciale mandatum requirentibus, addatur generalis clausula, *& ad omnia alia requirentia speciale mandatum*: Perinde enim est, acsi ea omnia exprimerentur, vti colligitur *ex cap. qui ad agendum de procurat. in 6* & tenet Abb. *in cit. cap. coram,* Cassiador. *decis.* 1. *circa fin. de procurat.* & Couarr. 1. *variar. cap.* 6. *num.* 3.

12 Deinde si generale mandatum habenti addas clausulam, *cum generali administratione*, eo ipso censeris concedere facultatem ad ea omnia, quæ speciale mandatum requirunt, maximè quæ in præiudicium mandantis non vergunt qualis est causa restitutionis in integrum, *cap. quid ad agendum de procurat. in 6. l. Procurator cui generaliter, ff. de Procurat. & l. transa-*
13 *ctionis, Cod. de transact.* & docet Couarr. *loco suprà cit.* Idem dicendum à fortiori, si alicui concedas plenam administrationem tuorum bonorum, vel liberam facultatem faciendi, quæ tu ipse facere posses, Bart *in dicta l. Procurator*, & Couarr *loco suprà cit. vers. sextò.*

14 Ex eo autem, quod mandato generali addatur clausula *ratihabitionis*, seu *de rato habendo, quodcumque gesseris*, non est censenda concessa facultas ad ea, quæ speciale mandatum requirunt; & consequenter neque ad petendam restitutionem in integrum; quia talis clausula solùm operatur, ne cautionem de iudicato sol-
15 uendo Procurator præstare teneatur, quam tamen, seclusa tali clausula, præstare debebat, tamen si de mandato constaret, vt habetur, *in l.* 1. *Cod. de satisdando*, & ex Accursio *in l. si Procuratorem, ff. de Procurat.* & ex communi sententia Doctorum docet Couarr. *cit. lib.* 1. *variar. cap.* 6. *num.* 4. & Molin. *disp.* 573.

16 Sub clausula verò *ad agendum, defendendum, & supplicandum* putat Cassiodor. *decis.* 1. *de procurat.* & Couarr. *cit. cap.* 6. *num.* 3. potestatem ad petendam restitutionem contineri; sed meritò Molin. *loco suprà cit.* dubitat; quia sub verbis ad agendum, & defendendum, clarum est, non contineri, sub verbo autem supplicandum potiùs indicatur singularis modus agendi, & defendendi, quàm restitutio; quare si ex vi illius clausulæ petenda esset restitutio, peti deberet, præstita cautione de rato ob dubium,
17 Cum generale sit, quoties de mandato speciali dubitatur, restitutionem peti posse, præstita rati cautione, iuxta text. *in l. quod si speciali ff. de minor.* & tradit Abb. *in cap. coram de in integrum restitutione*, Couarr. *num.* 4. & Molin. *vbi suprà.*

18 Collige Quartò, quod ad petendam restitutionem, non directè, sed accessoriè ad causam principalem Procurator non indiget speciali mandato, sed sufficit ad mandatum, quod ad causam principalem fuerit requisitum; vti colligitur *ex cap. suscitata de in integrum restitutione*, & tradit ibi Gloss. Abb. Bart. & Iason *in l. cum procurator in princip. ff. de noui operis nunciat*: & alij, quos refert, & sequitur Couarr. 1. *variar. cap.* 6. *num.* 1. & Molin. *disp.* 19
573. quia, si Iudex non valens causam restitutionis in integrum tractare, potest de ea cognoscere, si accesserit causæ principali, *cap. penult. de in integrum restitutione*, à fortiori id poterit Procurator.

Censetur autem causa restitutionis accedere 20
principali, non solum cum agitur causa principalis, sed etiam cum ipsa finita non est, & ad eius definitionem restitutio in integrum conducit, vti notauit Couarr. *loco cit. ex l. ad rem, & l. ad legatum ff. de procurat.* neque requiritur, vt voluit Innocent. *in cit. cap. suscitatus*, & Abb. *in cit. cap. coram*, vt lis fuerit in 21
ea causa contestata: non enim à contestatione litis pendet restitutio, sed ab incidentia, & connexione cum causa principali, quam restitutio habere potest ante litem contestatam.

Tempus ad petendam hanc restitutionem 22
durat, quousque causa finita sit; quapropter à sententiis interlocutoriis, etiamsi transierint in rem iudicatam, eo quod ab eis non fuerit congruo tempore appellatum, restitutio peti potest; quia causa principalis perseuerat, vti notant Doctores, quos citat, & sequitur Couarr. & Molin. *in locis suprà cit.* A sententia verò definitiua, interim dum est tempus appellationis restitutio peti potest, at eo tempore elapso, cum transierit in rem iudicatam, & causa fuerit finita, non est locus restitutioni, sic vti rectè docent Doctores supracitati.

Collige Quintò, quod licet ad petendam 23
restitutionem requiratur speciale mandatum vti dicebam, tamen ad defendendum eum aduersus quem restitutio petitur, sufficit generale mandatum, vti colligitur *ex l. qui proprio §. qui quæritur ff. de procurat.* & tenet Abb. *in cit. cap. suscitata num.* 5. Cassiodor. *decis.* 1. *tit. de procurat.* Couarr. *cit. cap.* 6. *in fin.* & Molin. *cit. disput.* 573.

Collige Sextò, quod, cum donatio facta 24
est ad pias causas, licet, ante quam acceptetur, moriaris, mandatum ob fauorem piæ causæ non expirat, sed ab administratore causæ piæ donatio acceptari potest æquè ac si viuus existeres, vti docet Tiraquell. *de priuileg. causæ piæ, priuil.* 81. & 132. *& de priuileg. scholasticor. priuil.* 80. addens, idem esse fauore 25
dotis, & fauore scholasticorum; idemque dodocent de pia causa Couarr. 1. *variar. cap.* 14. *num.* 16. Molin. *tract.* 2. *disput.* 163. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 6. *num.* 8. & Lessius *de iustit. & iur. lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. *num.* 40. & colligitur *ex l. si pater ff. de manum.* vbi 26
mandatum de manumittendo seruo ob fauorem libertatis non expirat morte mandantis, & ratiò est, quia decedens præsumitur sic voluisse; cum ea donatio in salutem animæ suæ quàm maximè cedat.



SECTIO III.

Quid dicendum de actione ex iussu, & de in rem verso?

SVMMARIVM.

1. *Contrahens cum eo, qui in alterius potestate est, quandoque actiones acquirit aduersus Dominum, siue eum, qui illum in potestate habet.*
2. *Actiones prædictæ reducuntur ad duo capita scilicet ex iussu, & de in rem verso, & quæ vtraque sit.*
3. *Iussus diuiditur in tacitum, & interpretatiuum, & expressum & quidnam operetur.*
4. *Actio excitatoria, & institoria intelligitur si quis v. g. negotiationi alium præposuit, censetur ratum habere velle, quidquid ille in tali negotio gesserit; dummodo fines, & formam consuetam negotij non excedat, quæ quidem competit aduersus præponentem.*
5. *Actio ex iussu oritur erga seruum, erga liberam personam potius oritur ex mandato, & iussus imponit necessitatem, mandatum vero libera voluntate suscipitur. Hinc fit quod actio non datur contra Iussum; sed contra mandatarium.*

1 Respondetur, quod contrahens cum eo, qui in alterius potestate est, quandoque actiones acquirit aduersus dominum siue eum, qui illum in potestate habet, vti videre est *in tit. Cod. & instit. Quod cum eo, qui in alien. potest.*

2 Quæ actiones ad duo capita reuocantur, scilicet *ex iussu, & de in rem verso*; vel enim qui in potestate alterius est, voluntate, & iussu Domini, patris, vel prælati, &c contrahit, vel sine eius iussu: Si ex iussu, interdum est iussus directus, & expressus, quo casu sine dubio competit actio ex iussu aduersus Dominum, patrem, vel Prælatum, &c. in solidum, quatenùs iussit, siue intra fines, & formam iussionis, *l. 3. ff. quod iussu*: nam quodammodo cum eo contractum esse censetur, qui iussit, *l. 1. ff. eodem.* Neque interest, an specialiter in vno contractu iussum sit, an verò generaliter (*Quod voles cum seruo meo negotium gere periculo meo*) videtur enim ad omnia iussisse, quæ lex permittit, sicuti, *supra de mandato* dicebam.

3 Interdum verò interuenit iussus interpretatiuus, vt si postea ratum habeatur, quod filius, vel seruus gesserat, *cit. lib. 1. §. si ratum*: Vel iussus tacitus vt si quis sciat, seruum, vel filium suo nomine contrahere, neque prohibeat; quia, cum in delicto sciens, & patiens habeatur pro consentiente, & tacitè iubente, *l. 2. ff. de noxalibus actionibus*, multò magis habebitur in contractu; Quapropter in his quoque casibus actio ex iussu competit.

Huc etiam spectant actio excitatoria, & institoria; v. g. si quis negotiationi alium præposuit, censetur ratum habere velle, quidquid ille in tali negotio gesserit, dummodo fines, & formam consuetam negotij non excedat; Immo latius id extendi solet, vt cuicumque negotio, officio, vel ministerio aliquis alterum præposuerit, actio vtilis, atque similis institoriæ competat aduersus præponentem, tamququam ex iussu generali; quia præpositio est veluti quidam iussus, cum nihil referat, an verbo, vel ipso facto voluntatem suam quis explicet, iuxta *l. pro hærede ff. de petit. hæredit.* iuncta Gloss. *verbo quam animi*, vbi ait, *per factum probatur voluntas.* 4

Discrimen autem est, quod, si seruus, vel filius, qui ex necessitate obedire debet, præpositus fuerit, oriatur actio, velut ex iussu, sin vero alia libera persona, oriatur actio potius ex mandato: nam inter mandatum, & iussum hoc interest, quod iussum necessitatem imponat, mandatum autem libera voluntate suscipiatur, *l. 1. iuncta* Gloss. *verb. quemadmodum ff. quod iussu*; ex quo & illud sequitur, vt qui cum mandatario contraxit, contra ipsum etiam directam actionem instituere possit, & similiter aduersus institorem, vel negotiationi præpositum, si homo liber est, & non in potestate alterius constitutus; quapropter in electione contrahentis erit, vtrum malit institorem, an eum, qui præposuit, conuenire, *l. 1. §. est autem ff. de exercit. act.* 5

Quatenùs verò spectat ad alteram actionem *de in rem verso*, vide supra *cap. 1. dubit. 21.*




SECTIO IV.

Quid dicendum de fideiussione.

Respondetur: de hac re vide etiam *cit. dubit. 21.*






SECTIO V.

Quid dicendum de negotiorum gestione?

Respondetur: de hac re vide *cit. cap.* 1. *dubit.* 22.



DVBITATIO XXXVIII.

An qui intrant in Parlamentum, credere debeant Regi dicenti, se esse in necessitate?

Respondetur: de hac re satis dixi *suprà cap.* 2. vbi plura alia inuenies ad Parlamentarios spectantia.



DVBITATIO XXXIX.

An, & quomodo, qui intrant in Parlamentum, obligentur iuramento, si quando interuenerit in Parlamento?

Respondetur: de hac re dicam *infrà tract.* 8. *de iuramento cap.* 2. *dubit.* 40.



DVBITATIO XL.

An, & qui vniuersim intrent, & vocem habeant in Parlamento Regni Neapolis? vbi plura de ipsis scitu digna.

SVMMARIVM.

1. *Barones titulati, & non titulati, nec non Vniuersitates Demaniales Regni, idest, quæ sunt immediate subiecta Regi intrant in Parlamentum.*
2. *Subfeudatarij nullo pacto vocem habent in parlamento.*
3. *Ciuitas ipsa Neapolis vna cum terris Hospitalis Sanctißimæ Annunciatæ non habet vocem in Parlamento; quia habet exemptionem à contributione in donatiuo, quod Regis præstatur.*
4. *Ciuitatis Neapolis Deputati interueniunt in Parlamento, licet non habeant vocem, ad petendas gratias à Rege, ad quem effectum eliguntur à Baronibus duodecim Deputati sex titulati, & sex non titulati, & habent duodecim voces, &c.*
5. *Ciuitatis Neapolis Deputati debent etiam interuenire in electione Nuncij, & in aßignatione salarij pro eodem Nuncio asportante donatiuum ad Regem quia donatiuum mittitur ad Regem etiam pro Ciuitate Neapolis vt est caput Regni, licet à contributionibus eximatur.*
6. *Barones, & Vniuersitates Demaniales Regni possunt constituere Procuratorem ad dandam vocem in Parlamento.*
7. *Procuratores præfati constitui debent Zelantes de bono communi, & tenentur ostendere mandatum, seu procuram &c.*
8. *Procurator cum potestate substituendi, licet si substituat, repræsentet Dominum principalem, id tamen verum est si aliqua culpa Procuratori in substituendo imputari non possit, alias si substituat aliquem, quem præuidit iniustè suffragaturum ipse substituens tenebitur de iniustitia, atque adeo ad damnum.*
9. *Barones debent sedere in Parlamento, & suffragari attenta præcedentia, & antiquitate, quam habent.*
10. *Procurator sedere non debet in loco vti principalis, debet enim sedere inter Procuratores & inter illos suffragari attenta dignitate sui principalis.*
11. *Syndicus, qui eligitur ex vna quinque Platearum Nobilium Ciuitatis Neapolis per girum sedere debet post Proregem, & suffragari in primo loco ante cæteros Barones; quia repræsentat totum regnum, & hic de modo sedendi singulorum.*
12. *Syndicus absente Prorege ad concludendum donatiuum, sedet in sede iuxta infimum gradum scalæ à sinistris cum tabula ornata, tintinabulo, & cæteris ad scribendum.*
13. *Syndico absente Parlamentarij non possunt prosequi parlamentum; quia deficit is, qui repræsentat Regnum, secus si vocatus non compareat.*
14. *De ordine septem officiorum Regni tractat freu.*
15. *Habentes vocem in Parlamento, si nec personaliter, nec per Procuratorem compareant in die pro qua fuerunt intimati, in eorum contumacia proceditur in Parlamento.*
16. *Conuocati ad Parlamentum intelliguntur qui dati à Regia Maiestate si Parlamentum contineat liberalitatem, prout Parlamentum Neapolis; secus si contineat administrationem iustitiæ.*
17. *Habens vocem in Parlamento, vel vt principalis, vel vt procurator, potest habere plures*

voces, vt si v. g. obtineat plures Baronias, vel plures procurationes, vel sit Baro, & Procurator alterius Baronis; quia tunc repræsentat plures personas.

18. *Habentes vocem in Parlamento possunt primò Regi donare ob adeptionem possessionis Regni; quia sicut pro noua possessione Episcopatus datur Episcopo subsidium charitatiuum; ita datur Regi donatiuum pro noua possessione Regni tam de iure communi, quam de iure municipali.*

19. *Secundò ob exercitum construendum contra Regis hostes: nam interest Regni Regis hostes expelli: ideoque etiam procedit quando bellum sit extra Regnum; quia magis expedit Regno, bellum fieri distanter à regno, quam fieri in ipso Regnò.*

20. *Tertiò ob natiuitatem Prolis Regis; idque tam etiam de iure communi quam de iure municipali: nam eo ipso quod nascitur Regi filius destinatur ad militiam pro fidei, & Regni defensione, & filia destinatur ad matrimonium vel carnale, vel spirituale, idque procedit ante natiuitatem prolis: licet exactio non possit fieri ante natiuitatem; sed post.*

21. *Quartò cum Rex captus esset ab hostibus, expedit enim Regno liberum habere suum Regem, à quo sibi administretur iustitia.*

22. *Quintò si rex expensas fecerit pro hospitio Pontificis, Imperatoris, vel alterius Regis.*

23. *Donatiui quantitas debet esse proportionata tum necessitati Regis, tum etiam viribus Regni, quæ proportio seruari debet in quolibet alio grauamine.*

24. *Vires Regni examinare potius est Parlamentariorum, cum consistat in facto, quam Theologorum.*

25. *Habentes vocem in Parlamento non possunt in casu aliquo donare Proregi; quia id prohibitum est à Rege, donantes vero de licentia Regis ProRegi ipsi soli ad tale donatiuum tenentur contribuere; ita vt alij non consentientes ad nihil teneantur.*

26. *Donatiuum Regi faciendum vt concludatur in Parlamento requiritur, & sufficit maior pars, ita vt maior pars Congregatorum dici possit causa formalis Parlamenti.*

27. *In donatiuo faciendo Regi maior pars Parlamenti præiudicat minori, quia licet cum agitur de re communi, pluribus vt singulis maior pars non præiudicet; quia regula prædicta non applicatur in iis, quæ procedunt de iure naturæ, prout est quando maior pars decreuit donatiuum Regi, interest enim Regni subuenire magis capiti, quam membris, vti inspicitur in corpore naturali, cuius quaelibet pars ad incisionem exponitur, vt caput defendatur.*

28. *Amplia vt maior pars præiudicet etiam in casu, quæ non intendat præiudicare minori parti contradicenti; sicque vt etiam conclusio maioris partis operetur vltra intentionem ipsius, ex eo quod in tali casu præiudicium infertur ex lege naturæ posita conclusione maioris partis.*

29. *Maior Pars non præiudicat minori contradicenti quando de licentia Regis decernit donatiuum Proregi, quia cum non sit caput Regni; sed Minister supremus Capitis sit quod maior pars non præiudicet minori contradicenti ex eo quod donare Regi cum sit in subsidium Regni sit actus necessarius; donare vero Proregi de licentia regis sit actus voluntarius.*


Espondetur: intrant Barones, Titulati, & non Titulati, nec non Vniuersitates demaniales Regni, idest, quæ sunt immediatè subiectæ Regi, vt per Belluc. *in specul. Prin*[illegible] *rubr. 7.* 1

Subfeudatarij autem nullo pacto vocem habent in Parlamento, vt per Frecc. *lib. 1. de subfeudis in quæst. incipiente Fuit dubitatum*; 2 similiter nec Ciuitas ipsa Neapolis vna cum 3 Terris Hospitalis Sanctissimæ Annunciatæ; Ratio; quia habent exemptionem à contributione in donatiuo, quod Regi præstatur, vt per eumdem Frecc. *in princip. dicta quæst. fuit dubitatum.*

Petes: cur ergo interueniunt in Parlamento Deputati Ciuitatis Neapolis, si in donatiuo, propter Ciuitatis exemptionem, vocem non habent? 4

Respondetur, illos interuenire ad petendas gratias à Rege: ad quem effectum eliguntur à Baronibus duodecim Deputati, sex titulati, & sex non titulati, qui habent duodecim voces, & eliguntur etiam alij duodecim à quinque nobilibus sedilibus, & à Platea Populari, duo pro quolibet sedili, & duo pro populo, ita tamen vt faciant sex voces; Quod, si illi duo pro sua Platea, vel nobili, vel populari inter se consentiant, faciunt vnam vocem, si verò dissentiant, nullam faciunt vocem, vt per Frecc. *lib. 1. de subfeudis, quæst. 3. num. 28.* iunctis libris Parlamenti, & per Gloss. *in cap. vbi repugnantia ff. de regul. iur. & in l. fundi ff. de euict.*

Petes secundò, an Deputati Ciuitatis Neapolis debeant etiam interuenire in electione nuncij. & in assignatione Salarij pro eodem nuncio asportante donatiuum ad Regem? 5

Ratio dubitandi est, quia, sicuti dicebam ex Freccia, Ciuitas Neapolis est exempta à contributione pro donatiuo. His tamen non obstantibus.

Respondetur affirmatiuè, quia donatiuum mittitur ad Regem etiam pro Ciuitate Neapolis (vt est caput Regni) ne dum pro Baronibus, & reliquo Regno; Atque ita resolutum fuit in Parlamento habito anno 1618.

Petes tertiò, An Barones, & Vniuersitates demaniales Regni possint constituere Procuratorem ad dandam vocem in Parlamento. 6

Respondetur affirmatiuè; patet ex dictis *suprà dubit. 33. & seqq.* & docet Regens de Ponte *de potest. Proreg. in tit. de elect. Officialium §. 5. num. 23.* qui rectè admonet, quod hi Procuratores constitui debeant Zelantes de bono communi; quodque teneantur ostendere mandatum, seu Procuram, quæ secundùm Belluc. *in loco suprà cit. rubr. 7.* ponderari debet, ne exerceatur vltra, quam data sit (vel quoad aliam materiam tractandam in Parla- 7

mento) sed solum ad materiam, ad quam fuit quis constitutus Procurator.

8 Et licet Procurator cum potestate substituendi, si substituat, representet Dominum Principalem, secundùm Gloss. *in cap.* 1. *de Procurat. in 6.* & Salicet *in l. quod quis Cod. de Procurat. quæst.* 5. Id tamen verum est (vt rectè notauit Vincent. de Franchis *tom.* 1. *decis.* 112.) si aliqua culpa Procuratori in substituendo imputari non possit; alias si Procurator constitutus cum potestate substituendi substituat aliquem, quem præuidet iniustè suffragaturum; tunc ipse substituens tenebitur de iniustitia, atque adeò ad damnum, quod inde sequetur.

9 Petes quartò, in quo loco debeant sedere Barones, & suffragari in Parlamento.

Respondetur, debere, attenta præcedentia, & antiquitate quam habent; Atque ita seruatur in praxi.

Petes quintò, an Procurator sedere debeat, & suffragari in loco sui Principalis.

10 Respondetur negatiuè; ita dicebam *supra dubit.* 36. & docet præter alios Frecc. *de subfeud. in fin. num.* 52. & Regens de Ponte *decis.* 13. *num.* 1. debet igitur sedere inter Procuratores, & inter illos suffragari attenta dignitate sui Principalis, sicuti dicebam *cit. dubit.* 6.

11 Petes sextò in quo loco sedere debeat Syndicus: qui eligitur ex vna quinque Platearum nobilium ciuitatis Neapolis per girum.

Respondetur sedere debet post Proregem, & suffragari in primo loco ante cæteros Barones; quia representat totum Regnum, vti habetur in capitulis, & priuilegiis Neapolis, & tradit Freccia *in tract. de subfeud. in fin.* itavt in scalis, per quas ascenditur ad sedem Proregis, sedeant Titulati ordine dignitatis: Deinde à dextris, & sinistris loci, in quo fit Parlamentum, sedeant Barones non Titulati in scabellis, in quibus etiam sedent Procuratores terrarum demanialium, iuxta ordinem, & antiquitatem talium terrarum; Electi autem, & Deputati ciuitatis Neapolis sedent immediatè post Syndicum ante omnes Titulatos, sic vti notauit Frecc. *in eod. tract. de subfend. in fin.* & fuit decisum per Majestatem Regiam, vti videre est in capitulis & priuilegiis Neapolis in actis Parlamenti generalis.

12 Aduerte tamen hic, quod ad concludendum donatiuum, absente Prorege, Syndicus sedet in sede iuxta infimum gradum scalæ à sinistris cum tabula ornata tintinnabulo, & cæteris ad scribendum requisitis, vt per Frecc. *de subfeud. lib.* 1. *cit. quæst., fuit dubitatum* in fine.

Aduerte secundò quòd, absente Syndico, ij qui
13 sunt in Parlamento, non possunt prosequi Parlamentum; quia deficit is, qui representat Regnum, quamuis illo vocato, & non comparente, possint de Iure prosequi Parlamentum in aliquibus casibus, de quibus Signorol. *cons.* 28. Calderin. *cap.* 2. *de constit. num.* 2. & Oltrad. *cons.* 128.

Aduerte tertiò, quod de ordine septem of-
14 ficiorum Regni rectè tractent Frecc. *de subfeud. lib.* 1. & Borrell. in Belluc. *rubr.* 6. *in verb. gloriosissimos.*

Petes 7. quid, si habentes vocem in Parlamento, nec personaliter, nec per Procuratorem compareant in die, pro qua fuerunt intimati?

Respondetur, in tali casu debere in eorum 15
contumaciam procedi in Parlamento, vt per Belluc. *in cit. tract. rubr.* 4.

Petes octauò, an conuocati ad Parlamen- 16
tum intelligantur Guidati à Regia Majestate, itavt non possint, durante Parlamento, nec ciuiliter, nec criminaliter conueniri, vnà cum seruis, & famulis ipsorum?

Respondetur, distinguendo: vel Parlamentum continet administrationem Iustitiæ, & possunt conueniri, *cap.* 1. *de libelli oblatione* cum Gloss. *in c. vocatio quin quæst.* 2. vel Parlamentum continet liberalitatem, quale est Parlamentum Neapolis, & non possunt conueniri, *§. si verò Episcopi auth. de sanctiss. Episcop. l.* 2. *§. Legatis, & l. non alias, & cap. exposuit de dilation.* Nisi differentia sit inter ipsos habentes vocem in Parlamento; quia tunc conquassantur priuilegia, *l. sed & milites §.* 1. *ff. de excusat. Tutor.* vt per Belluc. & Borell. *in dicta rubrica* 21. *per legem veram, §. Item quæritur ff. de minoribus*; Quamuis, quod dixi de Iure communi, in Regno Neapolis receptum non esse, sentiat Rastell. *de regim. Princip. lib. circa finem.*

Petes nonò, an habens vocem in Parlamen- 17
to (vel vt principalis, vel vt Procurator) possit habere plures voces; vt si v. g. obtineat plures Baronias, vel plures Procuratores, vel sit Baro, & Procurator alterius Baronis simul?

Respondetur affirmatiuè, vt per Belluc. *loco supra cit. rubr.* 45. & nos diximus supra *dubit.* 35. Et ratio breuiter est; quia tunc iste talis representat plures personas.

Petes decimò, an habens plures voces in Parlamento possit contraria suffragia dare?

Respondetur de hac re vide *suprà dubitat.* 35.

Petes vndecimò, in quibus casibus, qui vocem habent in Parlamento, possint Regi donare.

Respondetur, possunt primò, ob adeptio- 18
nem possessionis Regni; quia sicut pro noua possessione Episcopatus datur Episcopo subsidium charitatiuum, ita datur Regi donatiuum pro noua possessione Regni, Regens de Ponte *de donis, & expensis Vniuersitatis, num.* 2. *& seqq.* & alij Doctores passim: Idque tàm de Iure communi, quàm de Iure municipali: de Iure communi, *vt in l. vnica Cod. public. letit. lib.* 12. vbi Gloss. & Doctores super illa verba, *si honor datus fuerit Regalium:* De Iure autem municipali, *vt in constit. Regni quamplurium*; quæ constitutio, quamuis loquatur de Barone adipiscente possessionem terræ, extenditur tamen ad Regem, vt per Gloss. & Isern. *in dict. constit.* & per Regen. de Ponte *de Regal. imposit. num.* 46.

Secundò, ob exercitum construendum 19
contra Regis hostes, vt in constit. Regni modò suprà cit. nam interest Regni, Regis hostes expelli, vt rectè per Frecc. *de subfeud. lib.* 2. *in* 2. Author Baron. *num.* 24. *vers. versatur in*

hoc; Idque etiam procedit, quando bellum fit extra Regnum; quia magis expedit Regno, bellum fieri distanter à Regno, quam fieri in ipso Regno, vt rectè per Regen. de Ponte *loco suprà cit. tit. de regal. imposit. num.* 47. Vasq. *in opusc. de restitut. cap.* 6. §. 3. *dub.* 2. *num.* 70. Turrian. 2. 2. *disp.* 46. *dub.* 1. *num.* 5. *& seqq.* & alios passim.

20 Tertiò, ob natiuitatem prolis Regis; idque tam de Iure communi, quàm de Iure municipali: de Iure communi, vt probat Glos. *in l. placet. verb. extraordinarium, & verb. Canonicam de Sacrosanctis Ecclesiis*, vbi Iason. *num.* 19. & alij: De Iure autem municipali, vt in dicta constit. Regni, ibi, *pro milite faciendo filio, vel maritanda, aut monachanda filia.* Nam eo ipso, quòd nascitur Regi filius, destinatur ad militiam, pro Fidei, & Regni defensione, & eo ipso quòd nascitur Regi filia destinatur ad matrimonium, vel carnale, vel spirituale; Idemque procedit etiam ante natiuitatem prolis, quia cum agatur de vtilitate talis prolis, pro nata iam habetur. *l. quod dicimus, ff. de verbor. significat. & l. qui in vtero, ff. de statu hominum*, quod etiam in praxi fuit receptum in cit. Parlamento generali.

Exactio tamen dicti Donatiui non potest fieri ante natiuitatem prolis: quia dari potest casus, quòd non nascatur; & haberi debet ratio ad id quod potest euenire, *l. si quis domum §. idem quærit ff. legat. & §. illud quæsitum*, vbi Gloss. fin. instit. *de rer. diuis.* & docet Bartol. *in l. inter stipulantem*, §. *Sacram. num.* 7. *de verbor. oblig. & in l. si idem*, §. *si vnam num.* 5. *ff. de iurisdict. omn. Iudic.* & Valenzuol. *cons.* 99. *num.* 52.

21 Quartò, cum Rex captus esset ab hostibus, vt *in dicta constit. quamplurium*: expedit enim Regno, liberum habere suum Regem, à quo sibi administretur Iustitia, defensio, & abundantia rerum.

22 Quintò, si Rex expensas fecerit pro hospitio Pontificis, Imperatoris, vel alterius Regis, vt per Frecc. *in dicta* 2. *authorit. Baron.* & per Belluc. *loco supra cit. rubr.* 43. *&* 46. §. *sunt & alia*; vbi discutiuntur prædictæ, & aliæ similes causæ, in quibus magis habetur ratio necessitatis Regis, quàm Regni; ad instar corporis humani, in quo naturaliter pro salute capitis offertur brachium ad incisionem; ideoque, sicuti brachium seruit capiti, ita donatiuum hoc vocatur seruitium, vt per Belluc. *in cit. rubrica* 46. §. *donum.*

Petes duodecimò, quænam debeat esse quantitas donatiui?

23 Respondetur, debere illam esse proportionatam, tum necessitati Regis, tum etiam viribus Regni; itavt si necessitas Regis sit exigua, donatiuum sit minus; similiter donatiuum sit minus si necessitas Regni sit magna: Quæ proportio seruari debet in quolibet alio grauamine, sicuti probabam *supra cap.* 2. & docent communiter Doctores, Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit. de Regal. imposit. num.* 45. Suares *de legib. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 16. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 5. Salas *de legib. disp.* 15. *sect.* 10. *num.* 120. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 44. *dub.* 1. *&* 2. Aragon. *ibidem, quæst.* 67. *art.* 3. Rodrig. *in summ. part.* 2. *cap.* 74. *num.* 2. & alij passim, & meritò: nam optimum est, vti aqua fontis, sed pessimum, fontem exiccare: similiter optimum est, de grege lac sumere, sed pessimum, gregem decoriare.

Cæterum, quænam sint vires Regni, nosse 24 (cum hoc sit quid facti; non autem doctrinale, seu hoc spectet ad factum non autem ad doctrinam) potiùs est munus eorum, qui intrant in Parlamentum, quàm Theologorum, vel Doctorum.

Petes decimotertiò, an in aliquo casu pos- 25 sint, qui habent vocem in Parlamento, donare Proregi.

Respondetur negatiuè; atque ita dicebam *supra dubit.* 31. quia id prohibitum est à Rege, sicuti videre est apud Mastrill. de Magistrat *tom.* 2. *cap.* 15. videri etiam poterit Azeued. *in addit. ad Cur. Pisan. lib.* 2. *cap.* 4. Gomez. *tom.* 2. *variar. cap.* 3. *num.* 14. Barbos. *in collect. tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. & Villag. *tract. de reb. Ecclesiast. non alien. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 101. *num.* 7. & seqq.

Adde, quod, sicuti *cit. dubit.* 31. dicebam, donantes Proregi de licentia Regis, ipsi soli ad tale donatiuum tenentur contribuere, itavt alij non consentientes, ad nihil teneantur: quia in iis, quæ sunt communia pluribus, vt singulis, pars maior non præiudicat minori, sed omnes & singuli necesse est, quòd consentiant, Gloss. Dec. & Abb. *in cap. cum omnes de constit.* & in terminis præter alios docent Barbos. *cit. cap.* 6. *num.* 6. & Gomez *cit. cap.* 3. *num.* 14.

Petes decimoquartò, quænam pars eorum, qui habent vocem, & conueniunt in Parlamento, requiratur ad concludendum donatiuum Regi faciendum in Parlamento.

Respondetur ex dictis *dubit.* 27. requiri, & 26 sufficere maiorem partem, itavt maior pars congregatorum dici possit causa formalis Parlamenti; siquidem, quod dat esse rei, est forma illius, *l. Iulianus*, §. *si quis*, vbi Doctores *ff. ad exhibendum*, sed maior pars Parlamenti dat esse Parlamento (cum minor pars Parlamenti sit astricta ad exequendam conclusionem factam à maiori parte Parlamenti, sicuti dicebam *cit. dubit.* 27. & docet Decius *in l. non omnis num.* 2. *ff. si certum petatur*, Regens de Ponte *de potest. Proreg.* quem citat, & sequitur Valenzuol. *cons.* 99. *num.* 62.) ergo conclusio facta à maiori parte Parlamenti est forma Parlamenti.

Obiicies: cum agitur de re communi plu- 27 ribus, vt singulis, maior pars non præiudicat minori parti, sicuti cum agitur de re communi pluribus, vt vniuersis, Gloss. Dec. & Abb. *in cit. cap. cum omnes de constit.* sed in donatiuo Regi faciendo agitur de pecunia communi pluribus, non vt vniuersis, sed vt singulis (singuli enim tenentur de propriis, non autem de pecuniis vniuersitatis contribuere donatiuo) ergo maior pars Parlamenti non præiudicat minori parti illius; sicque non est forma Parlamenti, cum non det esse conclusioni Parlamenti.

Respondetur, prædictam regulam habere plures

plures fallentias, vt per Dec. *in cit. cap cum omnis*, inter quas habet fallentiam in Parlamento; in quo, quamuis agatur de re communi pluribus, vt singulis, tamen pars maior donans præiudicat minori, vt præter Dec. *loc. supra cit.* docet etiam Belluc. *rubr.* 12. *§. quadam num.* 7. *& rubr.* 48. Regens de Ponte *tit. de Regal. imposit. num.* 17. per doctrinam Innocenti; in materia numismatum *cap.* 4. *de iureiur. & per decis.* 288. Afflicti in materia concurrentium creditorum; Et in terminis Parlamenti, in quo tractatur de donatiuo faciendo Regi, extat decisio Caroli V. anno 1533 vt in cap. 1. Parlamenti generalis eodem anno sub eodem Carolo V. registrati in capitulis, & priuilegiis Regni Neapolis; Et ratio huius decisionis est, quia sicuti suprà dicebam, interest Regni, subuenire magis capiti, quàm membris, vti inspicitur in corpore naturali, cuius quælibet pars ad incisionem exponitur, vt caput defendatur; Vnde, cum hæc obligatio introducta sit à lege naturali, fit, quod maior pars præiudicet mi-
28 nori, Quin etiam fit, vt præiudicet in casu, quo maior pars non intendat præiudicare minori parti contradicenti: sicque, vt etiam conclusio maioris partis operetur vltra intentionem ipsius: ex eo quod in tali casu præiudicium infertur ex lege naturæ posita conclusione maioris partis, vt per Dec, *in dicta l. non om-*
29 *nis, num.* 4 Quoniam verò Prorex non est caput Regni, sed Minister supremus capitis, fit, quod in donatiuo Proregi faciendo de licentia Regis maior pars non præiudicet minori parti contradicenti: Et hæc est ratio, cur in donatiuo faciendo Regi pars maior præiudicet minori, non præiudicet autem in donatiuo faciendo Proregi: Quæ ratio reducitur ad illam eamdem, quam *suprà dubit.* 31. dicebam nempè quod maior pars præiudicet minori in donatiuo faciendo Regi non autem præiudicet in donatiuo faciendo Proregi, ex eo, quia donare Regi (cum sit in subsidium Regni) est actus necessarius; donare autem Proregi (cum non ad talem finem) est actus voluntarius; sicque mirum non est, quòd in hoc posteriori casu requirantur omnes, & singuli, non sic in priori, sed sufficiat in illo pars maior eorum.

Petes decimoquintò, an, & quando peccent, vel non peccent; teneantur, vel non teneantur ad restitutionem, qui consentiunt in donatiuum iniustum, siue iniustum simpliciter, siue iniustum secundùm quid, scilicet improportionatum necessitati Regis, vel viribus Regni?


Respondetur de hac re vide suprà *dubit.* 20. & 21.

Petes decimosextò, an aliquando, qui habent vocem in Parlamento, possint ex causa aliqua rationabili ab illo se absentare.

Respondetur de hac re, vide suprà *dubit.* 22.

Petes decimoseptimò, an dissentientes teneantur se subscribere conclusioni factæ per maiorem partem Parlamenti?

Respondetur de hac re suprà *dubit.* 28.




DVBITATIO XLI.

An, & quomodo inchoetur, & compleatur Parlamentum?

SVMMARIVM.

1. *Parlamentum inchoatur quatenus Prorex proponit aliquam necessitatem Regis, ad quam propositionem Syndicus Regni humiliter petit dilationem ad congruè respondendum iuxta conclusionem faciendam in Parlamento absente Prorege.*
2. *Parlamentum completur quatenus facta conclusione, de illa certior fit Prorex.*
3. *Nuncius eligitur, qui transportet donatiuum ad Regem cum litteris ad eumdem Regem directis in quibus in compensationem donatiui, gratiæ aliquæ petuntur à Rege.*



RESpondetur, inchoari, quatenus 1
Prorex proponit aliquam necessitatem Regis, exprimens etiam Regni beneuolentiam erga Regem, vt per Belluc. *in rubr.* 8. cui Proregis propositioni Syndicus Regni, aperto capite, humiliter respondet, petens dilationem ad congruè respondendum iuxta conclusionem, absente Prorege, in parlamento faciendam, vt in capitulis, & priuilegiis Neapolis *loco suprà cit.*

Conpletur autem parlamentum; quatenùs, 2
facta conclusione in Parlamento de illa certior fit Prorex; qui posteà accedit ad locum, vt recipiat responsionem publicè ipsi à Syndico in Parlamento dandam, vt per Belluc. *loco supra cit. rubr.* 48.

Post hæc tandem eligitur Nuncius, qui 3
transportet donatiuum ad Regem cum litteris ad eumdem Regem directis, in quibus, in compensationem donatiui facti, gratiæ aliquæ petuntur è Rege, inter quas licet olim consuetum fuerit pro bono regimine Proregis, ipsius confirmationem petere (sic vti videre est in libris Parlamenti. & præcipuè Parlamenti anno 1528) posteà tamen id ex rationabili causa prohibitum fuit à Rege, sic vti videre est in iisdem libris Parlamenti posterioribus, teste Rastell. *de regim. Princip. lib.* 3. *circa finem.*







CAPVT IV.

DE CAVSA FORMALI, ET FINALI, SEV DE Forma, & fine Parlamenti.

SVMMARIVM.

1. Causa formalis, & finalis Parlamenti in Regnis Neapolis, & Siciliæ est donatiuum, quod licet sit nomine voluntarium, tamen est re necessarium; sicque habet rationem tributi, seu vectigalis.

1 Voniam de forma Parlamenti plura dicta sunt supra; & præterea alia in aliis Regnis forma solet obseruari, ita vt quoad ipsam standum sit consuetudini locorum; ideò deuenio ad causam finalem Parlamenti, quæ, cum in Parlamento Neapolis, & Siciliæ soleat esse donatiuum; & hoc (sicuti dicebam *cap. 2. dub. 3.*) licet sit nomine voluntarium, tamen sit re necessarium; sicque habeat rationem tributi, seu vectigalis; ideo sit

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit tributum, & Vectigal;

SVMMARIVM.

1. Tributum generatim significat id quod Principi, vel Reipublicæ à Priuatis solui solet ad onera communia substentanda.

2. Tributum quatenus distinguitur à vectigali non est aliud quam pensio, quæ soluenda subditis imponatur iuxta cuiuscumque facultates.

3. Vectigal propriè significat pensionem, quæ soluitur pro rebus, quæ exportantur, vel im-

portantur in Ciuitatem, Prouinciam, vel Regnum, vt ea, quæ soluuntur iam portubus, & Confiniis Regnorum.

4. *Octaua pars rerum asportatarum olim debita erat pro vectigali, sed nunc vectigal istud varium est pro varietate Regnorum, &c.*

5. *Vectigal significat id quod soluitur pro transactione mercium per Pontes, & flumina, quod vocari solet portorium.*

6. *Vectigal significat id, quod soluitur à transeuntibus per aliquam viam pro custodia viarum quod pedagium, seu quidagium dici consueuit.*

7. *Vectigal significat id, quod soluitur ex rebus venditis, vel permutatis, vt si vendas domum centum, & soluas Principi decem &c.*

8. *Vectigal aliquando sumitur latè, vt etiam tributum complectatur, & sic agri dicuntur vectigales &c.*

9. *Onera subditorum præter dicta debita, quæ à Doctoribus munera vocantur sunt triplicis generis, realia, personalia, & mixta.*

10. *Munera realia sunt obsequia; quæ Principi præstantur rebus subditorum, vt Iumentis, Plaustris, Canibus &c.*

11. *Personalia sunt quæ Principi præstantur per ipsas personas subditorum, vt certis temporibus seruiant Principi.*

12. *Mixta sunt quæ Principi præstantur vtroque modo, vt cum quis suis sumptibus illum ad bellum comitatur.*

13. *Tributum si strictè sumatur, & quatenus à vectigali, & pedagio distinguitur est pensio, quæ subditis imponitur Principi, vel Reipublicæ soluenda, vt & statum, & dignitatem suam conseruare, & communibus necessitatibus, & vtilitatibus prouidere possit.*

14. *Tributum strictè sumptum duplex est, vnum quod singulis capitibus, siue personis imponitur non seruata facultatum proportione, quod sane debet esse exiguum, & ferè solum in recognitionem dominij imperatum: idque Capitatio dici solet; alterum est frequentius vsitatum, quod secundum facultatum æstimationem à subditis penditur.*

15. *Dupliciter adhuc diuiditur hoc secundum tributum & in ordinarium, & in extraordinarium: & quid vtrumque sit.*

1 Espondetur, & dico primò Tributum generatim significat id, quod Principi, vel Reip. à priuatis solui solet ad onera communia sustentanda. Quod (vt videre est apud Syluestrum *ver. Gabella* 1.) variis nominibus appellari consueuit, præcipuè tamen nomine tributi, & vectigalis quæ habentur ad Roman. 13. ibi: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui, vectigal, vectigal.* vbi tributum sumitur strictè pro vt distinguatur à vectigale;
2 Et hoc modo tributum non est aliud, quam pensio, quæ soluenda subditis imponitur iuxta cuiuscumque facultates, præsertim prædiales ad Principis dignitatem, vel communia impendia substituenda; quamuis passim à Doctoribus sumatur generalius.

Dico secundò, Vectigal propriè significat 3
pensionem, quæ soluitur pro rebus, quæ exportantur, vel importantur in Ciuitatem, Prouinciam, vel Regnum; vt ea, quæ soluuntur in portubus, & confiniis Regnorum;
Et olim quidem octaua pars debita erat, Co- 4
uar. *ad reg. peccatum par.* 2. §. 5. *& num.* 1. *iuxta textum in l. ex præstatione C. de vectigalibus & in l.* 2. *C. de Eunuchis*; sed nunc vectigal istud varium est pro varietate Regnorum, ex quibus res exportatur, vel in quæ importantur.

Secundò significat id, quod soluitur pro 5
transactione mercium per Pontes, & flumina: Quod vocari solet portorium, quamuis hoc nomen etiam generaliter vsurpetur pro quolibet vectigali.

Tertiò significat id, quod soluitur à tran- 6
seuntibus per aliquam viam pro custodia viarum: Quod pedagium, seu quidagium dici consueuit.

Quartò significat id, quod soluitur ex rebus 7
venditis, vel permutatis, vt si vendas domum centum, & soluas Principi decem, nempe decimam partem pretij; quemadmodum fit in Hispania teste Couar. *loco suprà cit.* & Medina *C. de restitut. qu.* 13. Sed dimidium soluit emptor, & dimidium venditor; si autem domum permutes cum alia domo, vel cum agro, ex vtraque re soluitur decima pars, quasi duplex sit venditio.

Dico tertiò. Vectigal aliquando sumitur 8
latè, vt etiam tributum complectatur. Et sic agri dicuntur Vectigales, ex quibus soluitur tributum, vti notat Couar. *vbi suprà.*

Dico quartò. Præter hæc debita, sunt quæ- 9
dam onera subditorum, quæ à Doctoribus *Munera* vocantur. Ea autem sunt triplicis generis, realia, personalia, & mixta. *Munera* 10
realia sunt obsequia, quæ Principi præstantur rebus subditorum, vt Iumentis, Plaustris, Canibus, &c. *Personalia* sunt, quæ Principi præ- 11
stantur per ipsas personas subditorum, vt certis temporibus seruiant Principi in Aula, vel foris illum ad hæc, vel illa loca, vel etiam ad bellum comitando. *Mixta* sunt, quæ Princi- 12
pi præstantur vtroque modo, vt cum quis suis sumptibus illum ad bellum comitatur.


Ex his igitur habetur, quod, si tributum sumatur latè, significet omne id, quod soluitur Principi, vel Reipublicæ ad onera communia substinenda: qua acceptione comprehendit etiam vectigal, idest, quod pro rebus in Ciuitatem Prouinciam, vel Regnum importatis, vel exportatis penditur; alias Portorium appellatur, *l. omnibus C. de vectigalibus*, & à summistis Gabella dicitur. Ei valde similis est pensio illa, quæ Principi soluitur ex rebus venditis mobilibus; vel immobilibus Et apud Hispanos est decima pars pretij, antiquitus autem erat octaua, *vti suprà dicebam.* Pedagium verò dici solet, quod à transeuntibus, vel equitantibus soluitur pro Pontis conseruatione, vel viæ custodia, &c.

At si tributum strictè sumatur, & quatenus 13
à Vectigali, & Pedagio distinguitur, est pen-

sio, quæ subditis imponitur Principi, vel Reipublicæ soluenda, vt & statum, ac dignitatem suam conseruare, & communibus necessitatibus, ac vtilitatibus prouidere possit.

14 Duplex autem est hoc tributum: vnum, quod singulis capitibus, siue personis imponitur, non seruata facultatum proportione; quod sane debet esse exiguum, & fere solum in recognitionem Dominij imperatum; Idque Capitatio dici solet, *l. vnic. Cod. de* capitatione Ciuium. Alterum est frequentius vsitatum, quod secundum facultatum æstimationem à

15 subditis penditur; Idque adhuc duplex est: Vnum ordinarium, quod certam, & quot annis recurrentem ex communi lege antiqua, vel noua præstationem continet. Alterum extraordinarium, quod propter superuenientem necessitatem extraordinariè imponitur, & dici solet talia, seu Collecta: omitto hic loqui de tributis, seu pensionibus merè realibus, siue, quæ fundis, vel possessionibus ex pacto censuali, feudali, vel alio simili inhærent; ideoque à quibuscunque earum possessoribus, & si alioquin non subditis, quin etiam Clericis, solui debent, vti diffusè probabam *lib. de immunitate, & iurisdictione Ecclesiastica tom. 1. cap. 5.* & videri poterit Suar. *lib. 5. de leg. cap. 15.*



DVBITATIO II.

Quæ conditiones requirantur, vt tributum, vel Vectigal generatim sumptum iustum sit?

SVMMARIVM.

1. *Vectigal generatim sumptum vt iustum sit quinque conditiones requirit, & dicuntur ex vrgente, ex fine, & forma, ex materia, & ex vsu.*
2. *Ex agente iustum est quando imponitur ab habente legitimam auctoritatem imponendi.*
3. *Ex fine quando est iusta causa imponendi; & & hæc duplex est, prima sustentatio dignitatis Principis, secunda necessitas boni communis.*
4. *Ex forma, quando debita proportione imponitur, scilicet pro ratione facultatum, & contractuum, quos quilibet facit, ne pauperes grauentur præ Diuitibus, & non Mercatores præ Mercatoribus &c.*
5. *Ex materia quando grauamen imponitur illis rebus, quæ negotiationis causa deferuntur, & non illis, quæ ad vsus necessarios, vel inopiæ solatium emuntur, vel venduntur vt sunt caro, panis &c.*
6. *Ex vsu quando id quod imponitur, insumitur in causam publicam, ob quam est impositum, & non prorogatur vltra necessitatem.*
7. *Ex iisdem conditionibus, hoc est ys deficientibus iniquitas tributi infertur.*
8. *Tres tantum conditiones recensentur, ob quas tributum dicitur esse iustum, & quænam sint vide ibi per extensum.*
9. *Proportio enim est veluti forma tributorum, aut vectigalium, cum debeant imponi secundum rationem iustiti distributiuæ.*
10. *Prima conditio, vt scilicet tributum, aut vectigal non imponatur ijs rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ alendæ aut ruris colendi; sed quæ negotiationis inuehuntur, aut euehuntur, licet iuri communi sit conformis, non tamen adeo necessaria est, vt contrarium ob iustam causam à Principe statui, vel consuetudine introduci non possit.*
11. *Excipe si pauperes emant aliqua, quæ præcisè necessaria sunt ad subleuandam suam, vel suorum inopiam, quia in tali casu naturalis æquitas non permittit aliquid ab iis exigi.*



Qvidam, inter quos Caiet. *in sum. ver. vectigalia iniqua*, requirunt quinque conditiones, vt scilicet sit iustum ex agente, ex fine, ex forma, ex materia, & ex vsu. 1

Ex agente iustum est, quando imponitur ab illo, qui habet legitimam auctoritatem imponendi; sicque & illis, qui non sunt exempti. 2

Ex fine, quando est iusta causa imponendi. 3 Et hæc duplex est. Prima substentatio dignitatis Principis: cum enim Princeps laboret pro Republica, eam regendo, & defendendo, iustitia postulat, vt vicissim Respublica eum pro dignitate sustentet (dignus enim est operarius mercede sua) hac ratione tributum est iustum Principis stipendium, secunda, necessitas, vel magna vtilitas boni communis, cui aliter subueniri non potest: vt pro necessaria militia, pro instauratione, vel securitate viarum, &c.

Ex forma, quando debita proportione imponitur, scilicet pro ratione facultatum, & contractuum, quos quilibet facit, ne pauperes grauentur præ diuitibus, & non mercatores præ mercatoribus, vel alij præ aliis immodicè: nam iniquum est, si pauperiores ad Principis statum, vel communia impendia plus conferre cogantur, quàm ditiores, vel non mercatores, quàm mercatores, vel si alij præ aliis immodicè grauentur. 4

Ex materia, quando grauamen imponitur illis rebus quæ negotiationis causa deferuntur, & non illis, quæ ad vsus necessarios, vel inopiæ solatium emuntur, vel venduntur; vt sunt caro, panis, & similia. 5

Ex vsu, quando id quod imponitur insumitur in causam publicam, ob quam est impositum, & non prorogatur vltra necessitatem. 6

Ex his inferunt prædicti Doctores quod tributum, vel vectigal quinque modis fieri possit iniquum. Primò, ex agente, vt, si qui imponit, non habeat auctoritatem imponendi, vel imponat exemptis. Secundò, ex fine, vt si non imponatur ob publicam necessitatem, vel 7

magnam vtilitatem. Tertiò, ex forma, vtsi subditi grauentur absque proportione debita, vel si grauamen sit immodicum, vtsi alicui speciei (v. g. cereuisiæ, vel farinæ) tantum imponatur, vt qui illam faciunt, vel vendunt, non possint ex lucro se substentare: nam respectu istorum grauamen est immodicum. Quartò, ex materia, vt si imponatur rebus ad vitam omninò necessariis. Quintò, ex vsu, vt si non insumatur ad publicam necessitatem, vel vtilitatem. His tamen non obstantibus.

8 Respondetur, tres tantum conditiones sufficere, vt tributum, vel vectigal iustum sit. Ita Medina *Cod. de restitut. q.* 13. & Alphon. à Castro *lib.* 1. *de leg. pœnal. cap.* 9. Prima est, vt imponatur ab eo, qui legitimam imponendi auctoritatem habet, *iuxta text. in cap. super quibusdam de verb. significat.* scilicet ab Imperatore, Rege, vel quouis alio Magistratu in terris suis Superiorem non agnoscente; Item ab eo, qui à supremo Principe, vel legitimè præscripta consuetudine tributa, vel vectigalia imponendi potestatem habet. Secunda, vt sit iusta causa, ob quam imponatur; quæ imprimis est Principis substentatio, considerato statu, dignitate, ac meritis eius in Rempublicam. Deinde necessitas, vel magna Reipublicæ vtilitas, cui aliter subueniri non possit. In specie autem, quæ sint tributum, aut vectigal imponendi iustæ causæ, videre poteris apud Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5. *ar.* 3. *concl.* 3. & S. Anton. *par.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13. *§.* 2. Tertia, vt conuenienti forma, seu proportione imponatur, scilicet vt exactio, seu contributio non immodica sit, sed moderata iuxta mensuram causæ, seu finis, ob quem contribui debet, atque secundum proportionem facultatum singulorum, vt non alij plus, alij minus

9 grauentur, quàm iustum sit: proportio enim est veluti forma tributorum, aut vectigalium, cum debeant imponi secundum rationem iustitiæ distributiuæ. Et quod dico de exactione tributi, vel vectigalis, intelligo etiam de compulsione Ciuium ad mutuandum Principi, v. g. Bellum iustum gesturo; qua de re Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 34.

Probatur; quia, his tribus conditionibus concurrentibus, non est cur tributum, aut vectigal iustum non sit, & iustè non exigatur. Quod si posteà non impendatur, vt oportet, cessat tunc causa exigendi, cùm iusta causa exigendi non sit, nisi curetur, vt in eam im-

10 pendatur. Et sic cessat quinta conditio, quam requirebant Aduersarij, cessat etiam prima, vt scilicet tributum, aut vectigal non imponatur iis rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ alendæ, aut ruris colendi, sed quæ negotiationis causa inuehuntur, aut euehuntur iuxta text. *in l. Vniuersi, C. de Vectigal.* quia, licet hæc conditio iuri communi conformis sit, & in multis locis seruetur, non tamen adeo necessaria est, vt contrarium ob iustam causam à Principe statui, vel consuetudine introduci non possit, vti contra Angelum *verb. Pedagium,* §. 3. Driedonem *lib.* 2. *de libert. Christia. cap.* 5. & Tolet. *lib.* 5. *cap.* 73. dicam infra, & tenet Nauarr. *cap.* 17. *num.* 203. Syluest. *verb. Gabella* 3. *q.* 5. S. Anton. 2. *par. to.* 1. *cap.* 13. *circa fin.* Suar. *lib.* 5. *de leg. cap.* 16. *n.* 3. Mol. *tract.* 2. *to.* 3. *disp.* 669. & Valen. *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 6. *punc.* 5. *in fin.* Excepto, si pauperes emant aliqua, quæ præcisè necessaria sunt ad subleuandam suam, vel suorum inopiam, quia in tali casu naturalis æquitas non permittit, aliquid ab iis exigi, sicuti rectè notauit Petr. Nauar. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *n.* 236. 11

DVBITATIO III.

Quidnam habeant legitimam potestatem imponendi Tributum, vel Vectigal?

SVMMARIVM.

1. *Principes, & Respublicæ non recognoscentes Superiorem in sua administratione, habent legitimam potestatem imponendi tributum, vel vectigal.*
2. *Summus Pontifex habet talem potestatem in locis, quæ ipsi in temporalibus subiiciuntur, potest enim ibidem tributa imponere, & ea aliis concedere, in aliis vero locis non potest directè.*
3. *Summo Pontifici pro spirituali non debentur tributa, vectigalia, vel gabellæ, sed decimæ.*
4. *Summus Pontifex, si est necessarium ad bonum Ecclesiæ, puta si ob Hæreticos Religio pateretur iacturam, potest tunc etiam extra ditionem suam temporalem, aliquod tributum imponere, & subsidia necessaria imperare.*
5. *Amplia, prædicta ita vera esse, vt in tali casu posset Pontifex Principem Christianum, qui nollet obtemperare, & succurrere, deponere, & alium substituere, qui tributa necessaria ad huiusmodi causam, seu finem imponat, & Ecclesiam defendat, &c.*
6. *Concilium generale habet eamdem potestatem.*
7. *Potestas tota quæ est in Concilio, est in Pontifice, cum totum Concilium non habeat maiorem iurisdictionem, quam solus Pontifex.*
8. *Textus in cap. super quibusdam citato non dicit Concilium posse imponere vectigalia; sed posse concedere: quod fieri potest dupliciter, & de vtroque modo vide ibi & quomodo Concilium prædicta possit.*
9. *Imperator habet eamdem potestatem, & potest imponere tributa omnibus locis Imperio subiectis; si Principes inferiores, vel Respublicæ legitimè hoc ius contra ipsum non præscripserint.*
10. *Rex habet eamdem potestatem, & omnis alius potestatem quasi regalem habens, eo quòd in suo Regno superiorem non agnoscat, prout alii Duces, & Respublicæ.*

1 Respondetur, illam habere Principes, & Respublicas, quæ in sua administratione superiorem non agnoscunt.

2 Hinc sequitur, quod talem potestatem habeat Summus Pontifex, qui in locis, quæ ipsi in temporalibus subiiciuntur, potest tributa imponere, & ea aliis concedere; in aliis autem locis non potest directè, quia tributa debita sunt Principibus sæcularibus pro regimine
3 ciuili, seu temporali; pro spirituali autem non debentur tributa, vectigalia, vel gabellæ, sed decimæ.

4 Quod si tamen id necessarium esset ad bonum Ecclesiæ (vt si Infideles, vel Hæretici supra modum inualescerent, & Principes Christiani negligentes essent, nec alia succurrendi ratio suppeteret) posset tunc Summus Pontifex, etiam extra ditionem suam temporalem, aliquod tributum imponere, & subsidia necessaria imperare; quia habet, saltem indirectè, plenam potestatem in temporalibus provt opus fuerit ad defensionem Ecclesiæ, & bonorum spiritualium; & omnes Christiani non minus tenentur obtemperare, & succurrere Pontifici ad defensionem Reipublicæ Spiritualis, quàm principi sæculari ad defensionem Reipublicæ ciuilis, seu temporalis; cùm ipsi ad vtramque Rempublicam pertineant, quin principalius ad Spiritalem.


5 Quod adeò verum est, vt in tali casu posset pontifex principem Christianum, qui nollet obtemperare, & succurrere, deponere, & alium substituere, qui tributa necessaria ad huiusmodi causam, seu finem imponat, & Ecclesiam defendat: Vel posset Ciuitati, vel Reipublicæ conferre ius absolutum, & independens se gubernandi, & non agnoscendi superiorem in temporalibus, priuando priorem principem suo Regno, vel Imperio in pœnam talis criminis: quia pontifex sicuti dicebam, saltem indirectè, supremam potestatem habet in temporalibus in ordine ad spiritalia; qua de re diffusè supra *tract. de Parlamentis, cap. 2.*

6 Sequitur secundò, quod eamdem potestatem habeat Consilium generale, iuxta text. in c. super quibusdam § præterea de verbor. signific. ibi: *Duximus declarandum, illa esse pedagia, guidagia, salinaria interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Concilij Lateranensis largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cuius non extat memoria, introducta.* Vnde colligitur, hanc potestatem concedendi Vectigalia esse in quolibet Concilio generali; quia quodlibet Concilium generale æqualem habet auctoritatem cum Latera-
7 nensi. Colligitur etiam, eamdem potestatem esse in pontifice (vt rectè notauit Caiet. in sum. verb. vectigalia) quia tota potestas, quæ est in Concilio, est in pontifice, cum totum Concilium non habeat maiorem iurisdictionem, quam solus pontifex. Cæterum, cum dicitur, quod talis potestas sit in Concilio, sumi debet Concilium cum suo capite, quale fuit Concilium Lateranense: non enim est, cur hæc potestas concedi debeat Concilio acephalo, cum hoc vix dici possit Concilium, & iure diuino debeat eligere caput, si desit.

Aduerte tamen, in cit. c. super quibusdam 8 non dici Concilium posse imponere Vectigalia, sed posse concedere; quod fieri potest dupliciter. Primò, concedendo vectigalia, vel Tributa ex locis Ecclesiæ subiectis; quo modo Ducatus, & Regna Ecclesiæ temporaliter subiecta, Principibus sæcularibus conceduntur in feudum; & hæc sicut Concilium potest concedere, ita etiam & potest imponere. Secundò, conferendo alicui Domino, vel communitati ius supremi Dominij, vel imperij (quo ab alio in sua administratione non dependeat) & consequenter ius exigendi vectigalia, vel tributa; quod posterius ex illo priori sequitur. Hæc tamen non potest ipsum Concilium imponere immediatè, & directè, sed solùm indirectè, sicuti de summo Pontifice dicebam.

Sequitur tertiò, quod eamdem potestatem 9 habeat Imperator qui potest tributa imponere omnibus locis Imperio subiectis, si Principes inferiores, vel Respublicæ legitimè hoc ius contra ipsum non præscripserint: quatenus enim legitimè præscripserunt, eatenus ipse imponere non potest.

Sequitur quartò, quòd eamdem potestatem 10 habeat Rex & omnis alius potestatem quasi regalem habens, eo quod in suo regimine superiorem non agnoscat, qualis est etiam magnus Dux Florentiæ, Dux Sabaudiæ, Mediolani, Mantuæ, Mutinæ, Comes Flandriæ, Haunoniæ & multæ Respublicæ, vt Veneta, Genuensis, Lucensis, & S. Marini, &c.



DVBITATIO IV.

An, legitimam potestatem imponendi Tributum, vel Vectigal habeat quis alius?

SVMMARIVM.

1. *Domini omnes locorum, & Respublicæ, quæ legitimè præscripserunt, ius quasi Regium habent potestatem imponendi tributum, vel vectigal.*
2. *Ius exigendi tributum licet perscriptibile sit; tamen ius imponendi, & exigendi suo nomine vectigalia, seu tributa præscribi non potest, nisi simul illud ius liberæ, & independentis administrationis præscribatur, cum ex hoc illud dependeat, & quale tempus ad id requiratur.*

Respondetur affirmatiuè, habere 1 scilicet illam omnes Dominos locorum, & Respublicas, quæ legitimè præscripserunt ius quasi Regium, seu liberæ, & independentis administrationis: Ita communiter Doctores.

Probatur; quia, licet ius exigendi tributa, vel vectigalia, quæ à Rege imposita, & concessa fuerint, præscribi possit contra alium, qui prætenderet ea sibi à Rege concessa, idque sine iure illo quasi Regio, tamen ius imponendi, & exigendi, suo nomine tributa, vel vectigalia præscribi non potest, nisi simul illud ius liberæ, & independentis administrationis præscribatur, cum ex hoc illud dependeat (sicut ius decimarum non potest à laico nomine proprio præscribi, quia essentialiter dependet ex titulo Ecclesiastico) ergò, cum hoc ius liberæ, & independentis administrationis (quod ius meri, & mixti imperij vocatur) præscribi possit absque titulo, tempore immemorabili, & cum titulo, tempore quadraginta annorum (vti docent Doctores communiter, quos sequitur Couar. *ad Reg. Possessor par. 2. §. 3. num. 3.*) fit, quod etiam ius imponendi tributa, vel vectigalia (quod ex illo sequitur) eodem tempore præscribi possit; quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Alphons. à Castro *leg. 1. de leg. pœn. cap. 11.*




DVBITATIO V.

Cur hæc potestas legitima imponendi tributa, vel Vectigalia sit solum in illis, qui in suo regimine superiorem non agnoscunt?

SVMMARIVM.

1. *Non agnoscentes superiorem immediatè potestatem habent à Populo; & ab eo accipere debent, tam quæ necessaria sunt ad sustentationem sui status, & dignitatis, quam quæ necessaria sunt ad rectam administrationem.*
2. *Principi iure naturæ debentur à Populo tam stipendia ad sustentandum suum statum, & dignitatem, quam necessaria subsidia ad rectam administrationem communitatis.*
3. *Agnoscentes superiorem, & in sua administratione ab alio superiore dependentes, non à populo sed à quo constituti sunt, & officia receperunt, stipendia, & necessarios sumptus accipere debent, ab ijs enim debetur stipendium, à quibus imponitur administratio.*
4. *Proreges, gubernatores, & quiuis alij Principum Vicarij &c. non possunt imponere tributa, vel vectigalia.*
5. *Tributi, vel vectigalis impositio inter regalia numeratur.*
6. *Imponentes sine legitima potestate in suis terris noua tributa, vel vectigalia, pedagia, seu gabellas, vel veteres augentes, vel imponi, vel augeri prohibita exigentes, tenentur ad restitutionem, & insuper ipso facto incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini.*
7. *Exigentium nomine ad effectum incurrendi censuram bullarem intelliguntur etiam hæredes imponentis, qui eos continuat, seu publicanum, seu conductorem, & famulos, qui iussu Dominorum exigunt.*



Respondetur; quia qui superiorem non agnoscunt, immediatè potestatem habent à Populo, ergò à Populo accipere debent, tàm quæ necessaria sunt ad sustentationem sui status, & dignitatis (cum id sit iustum stipendium muneris, quod subeunt boni communis causa) quam quæ necessaria sunt ad rectam administrationem, cùm propterea indigeant, partim, vt officialibus stipendia soluant, partim, vt hostes repellant, & pacem conseruent; quapropter sicut operario iure naturæ debetur merces & omne id, quod necessarium est ad perficiendum opus, prout expressè, vel tacitè conuentum fuerit, ita supremo Principi iure naturæ debentur à Populo, tam iusta stipendia ad substentandum suũ statum, & dignitatem, quàm necessaria subsidia ad rectam administrationem Communitatis. 1 2


At qui superiorem agnoscunt, & in sua adminstratione ab alio superiore dependent, non à Populo, sed ab eo, à quo constituti sunt, & officia receperunt, stipendia, & necessarios sumptus accipere debent; nec vllum ius habent exigendi quicquam à populo, nisi quod ipsis à suo superiore concessum fuerit, cum ab eodem debeatur stipendium, à quo imponitur administratio, vel officium. 3

Ex dictis sequitur, quod tributa, vel vectigalia non possint imponere Proreges, gubernatores, & quiuis alij Principum Vicarij, nec etiam duces, Marchiones, vel comites, qui à Supremis Principibus constituti receperunt dominium aliquotum oppidorum cum parte aliqua tributorum, vel vectigalium, qua statum & dignitatem suam substentarent; quia, cum in sua administratione Superiorem agnoscant, potestatem non habent noua tributa, vel vectigalia imponendi, vti dicebam. 4

Sequitur secundò; cur tributi, vel vectigalis impositio inter Regalia numeretur, iuxta text. *in lib. 2. feudar. cap. 56. quæ sint Regalia*; quia sicuti dicebam, Principes, seu Magistratus Supremi, vel absoluti à subditis accipere debent sumptus necessarios, tam pro suo statu, quam pro bono communi; Proreges verò, Duces, Comites, & Gubernatores ab ipsis Principibus Supremis, vel absolutis, à quibus constituuntur, & dependent. 5

Sequitur tertiò, quod qui sine legitima potestate in suis terris noua tributa, vel vectigalia, pedagia, seu gabellas imponunt, vel veteres augent, vel imponi, vel augeri prohibitas exigunt, teneantur ad restitutionem; quia rapinam committunt, alienum extorquentes sine legitima potestate; Et insuper ipso facto incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ 6

Domini, vt patet ex verbis ipsius Bullæ, in quam videri poterit Nauarr. *cap. 27. n. 61. &*
7 *in cap. Quamquam de censibus in 6.* vbi docet per *exigentes* intelligi etiam hæredem imponentis, qui eas continuat, & publicanum, seu conductorem, & famulos, qui iussu Dominorum exigunt. Videri etiam poterunt Gabriel *in 4. dist. 15. q. 5. ar. 3.* Alphons. à Castro *lib. 1. de leg. pœnal. cap. 10.* Mol. *tract. 2. to. 3. disp. 666.* & Canonistæ *in tit. cap. super quibusdam.*



DVBITATIO VI.

An Ciuitates, etiam subiectæ, possint suis Ciuibus ob publicum bonum imponere quædam onera, quæ vocantur Collectæ?

SVMMARIVM.

1. *Ciuitates etiam subiectæ possunt suis Ciuibus ob publicum bonum imponere quædam onera, quæ vocantur collectæ ad reparationem murorum, pontium, & similium; modo grauamen non imponatur Peregrinis, & id fiat per comitia, &c.*
2. *Quilibet potest si velit rei suæ grauamen imponere, & ideo hæ collectæ non debent esse coactæ, &c.*
3. *Episcopus cum consensu Capituli potest in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis aliquam collectam imponere ad reparationem Ecclesiarum, vel ad necessaria Ministrorum alimenta, cum aliter his prouidere non potest, & cur.*

1 Espondetur affirmatiuè, vt v. g. ad reparationem murorum, pontium, viarum, & similium, modò grauamen non imponatur Peregrinis, & id fiat per comitia, ad quæ omnes Ciues, vel Decani à Ciuibus deputati possint conuenire. Ita Caiet. *in sum. verb. vectigalia iniqua*, & alij passim.

2 Probatur; quia quilibet potest, si velit, rei suæ grauamen imponere, & ideo hæ collectæ non debent esse coactæ, sed in eas Respublica debet liberè consentire, vel suffragiis maioris partis, vel duarum tertiarum, vel aliter pro consuetudine locorum.

3 Qua simili ratione potest Episcopus cum consensu Capituli in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis aliquam collectam imponere ad reparationem Ecclesiarum, vel ad necessaria Ministrorum alimenta, cum aliter his prouidere non potest; quia, cùm sit Princeps Sacrorum in sua Diœcesi, sicut Pontifex in tota Ecclesia, habet saltem indirectè, in temporalibus eam potestatem, quæ necessaria est ad bonum spirituale in sua Ecclesia conseruandum, vel promouendum, nisi a Pontifice limitetur. Vide, quæ mox infra dicam *dubit. sequenti.*



DVBITATIO VII.

A quibus tributa, vel vectigalia iustè exigi possint?

SVMMARIVM.

1. *Tributa, vel vectigalia iustè exigi possunt directè tantum à subditis.*
2. *Tributum soluere signum est subiectionis.*
3. *Tributi exactio ab exteris etiam, & non subditis fieri solet plerumque indirectè, & per accidens, & quomodo & quando id eueniat.*
4. *Recensetur discremen inter collectam, & vectigal, seu gabellam, & qualenam sit.*
5. *Ciuitas, seu communitas qualibet habens potestatem condendi statuta potest ob iustam causam cum consilio, & consensu Primorum Collectam suis subditis imponere, non petita speciali licentia à Principe supremo, cui subest; non vero ita possit vectigal, seu gabellam sine Principis auctoritate de nouo imponere, vel impositam augere.*

Espondetur Directè, fere tantum à subditis, Doctores communiter. 1


Probatur; quia tributum soluere, signum est subiectionis, ex Apost. ad Roman. 13. datur enim Principi, vt bonum statum Reipublicæ conseruare possit: quod eorum interest tantùm, qui sunt eiusdem Reip. membra. 2

Cæterum ab exteris etiam, & non subditis fieri solet exactio tributi, vel vectigalis, plerumque indirectè, & per accidens: nam, qui merces in Regionem inuehunt coguntur vectigal soluere; quæ tamen exactio secundùm effectum in subditos redundat, cum tanto carius merces postea illis vendantur, sicut rectè præter alios notauit Mol. *to. 3. disp. 669.* Secundò, si vectigal, vel similis exactio imposita sit super vino, frumento, aliisque fructibus & mercibus, quæ in tali Regione venduntur, tunc etiam extranei, sicut & Clerici, indirectè grauantur, vt si ibi emere velint, pari cum incolis iure vtantur secundùm pretium consuetum, Syluest. *ver. immunitas 1. in fin.* & Mol. *loc. suprà cit.* Tertiò extranei, qui merces ex Regione euehunt, coguntur soluere gabellam, seu vectigal, partim propter ius negotiationis, quod ipsis in aliena Regione conceditur, partim propter expensas pontium, viarum, & securitatis præstandæ obligationem quæ Domino loci incumbit, Syluest. *ver. gabella, 3. n. 18. &* 3

19. Mynſigerius *centur.* 5. *obſeruat.* 7. & Armilla *ver. gabella, n.* 12. vbi ſubdit, quòd huiuſmodi vectigalia debeant eſſe moderata.

4 Ex his ſequitur, diſcrimen eſſe inter collectam, & vectigal, ſeu gabellam, quod collecta ſubditis tantùm imponitur adueniente aliqua publica neceſſitate, qua ceſſante etiam collecta ceſſare debet; gabella autem, ſeu vectigal tàm ab exteris, quàm à ſubditis exigi ſolet: & plerumque ordinariam, ac permanentem exactionem retinet, Caiet. *ver vectigalia iniqua circa fin.* Angelus *ver. pedagium*, §. 6. Syluest. *ver. gabella* 3. *n.* 16. Armilla *eod. ver. n.* 11. & Sà *n.* 3.

5 Sequitur ſecundò, alterum diſcrimen eſſe, quod quælibet ciuitas, ſeu communitas habens poteſtatem condendi ſtatuta poſſit ob iuſtam cauſam cum conſilio, & conſenſu Primorum collectam ſuis ſubditis imponere, non petita ſpeciali licentia à Principe ſupremo, cui ſubeſt indicere; non verò ità poſſit vectigal, ſeu gabellam ſine Principis authoritate de nouo imponere, vel impoſitam augere. Vide quæ dicebam *cap.* 2. *dubit.* 22.



DVBITATIO VIII.

Quæ ſit legitima cauſa imponendi tributum, aut Vectigal? vbi etiam, quid dicendum de exactore?

SVMMARIVM.

1. *Legitima cauſa imponendi tributum, aut vectigal, eſt neceſſitas publica, cui aliter commode ſuccurri non poteſt, vtſi quid neceſſarium ſit ad ſtipendia militaria, ad vrbium reparationem, &c. Principis ſuſtentationem, &c.*
2. *Cauſa legitima conſideranda eſt penes quatuor conditiones, debet enim primò eſſe iuſta, vel ſi opiniones diuerſæ de ea ſint, debet Princeps habere rationes probabiles: aliàs tenerètur ad reſtitutionem, & cur.*
3. *Secundò debet cauſa eſſe proportionata vectigali, ſeu vectigal non ſit maius quam cauſa poſtulet.*
3. *Vt non inſumatur in alienos vſus, vt in prodigas largitiones, ludos, conuiuia, vel alias expenſas inutiles publicas, aut priuatas, ad quas populus non tenetur contribuere.*
5. *quartò vt non diutius quam cauſa poſtulat continuetur, niſi forſan noua cauſa ſuperuenerit, ob quam de nouo imponi potuiſſet.*

1 Reſpondetur. Eſt neceſſitas publica, cui aliter commodè ſuccurri non poteſt; vtſi quid ſit neceſſarium ad ſtipendia militaria, ad reparationes vrbium, pontium, viarum, vel aliter ad bonum publicum ſit valde expediens. Huc etiam ſpectat Principis ſuſtentatio, conſiderato ſtatu, dignitate, ac meritis eius in Rempublicam: nam & hoc ad bonum publicum pertinet, quia ſicut Princeps tenetur populum regere, ius dicere, hoſtes arcere, & tranquillitatem temporalem totis viribus procurare; ita viciſſim tenetur populus ſumptus neceſſarios ad hæc præbere; quapropter etiam poteſt à Principe, ſi opus ſit, ad hoc populus cogi.

Cæterum, quatuor hîc requiruntur conditiones. 2

Prima, vt conſtet, cauſam eſſe iuſtam, vel ſi de ea ſint diuerſæ opiniones, vt habeat princeps rationes probabiles ob quas poſſit hîc, & nunc prudenter moueri ad tributum ob talem cauſam imponendum: nam ſi tales rationes non habeat, vel certe non conſideret, ſitne iuſtum, necne, quod agit, ſed cæco modo procedat, non poteſt exigere;quia neſcit an ius habeat exigendi: ſicque mala fide exigit: vnde exigendo iniuriam populo facit, & conſequenter ad reſtitutionem tenetur (niſi poſtea conſtet, cauſam iuſtam fuiſſe) cum, quod mala fide acquiritur, obnoxium ſemper ſit reſtitutioni.

Secunda, vt cauſa ſit proportionata vectigal, 3 ſeu vectigal non ſit maius, quàm cauſa poſtulat, quia qua parte excedit, eſt iniuſtum.

Tertia, vt non inſumatur in alienos vſus, vt 4 in prodigas largitiones, ludos, conuiuia, vel alias expenſas inutiles publicas, aut priuatas, ad quas populus non tenetur contribuere, Caiet. *in ſum. ver. vectigalia iniqua*, Petr. Nauarr. *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 255. & alij paſſim.

Quarta, vt non diùtius, quàm cauſa poſtulat, continuetur: niſi forſan noua cauſa ſuperuenerit, ob quam de nouo imponi potuiſſet: 5 quia tunc tributum continuari poterit: ſi quidem cauſa continuatur in ſimili, dum in locum prioris cauſæ alia cauſa æquè iuſta ſuccedit.



Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Vectigalia, vel tributa vt ſint iuſta neceſſarium eſt quod applicentur ad eum vſum ſcilicet publicum cuius cauſa exiguntur, & ſi cauſa temporaria ſit, ea ceſſante ceſſet etiam exactio.*
2. *Vectigal aut Tributum non ſtatim ceſſat, ſi cauſa immediata ipſorum non ſit negotium aliquod tranſitorium, ſed obligatio quædam permanens; quia pro ipſa obligatione exigitur, quæ continua eſt, & ſemper manet, ſecus quando immediate pro aliqua neceſſitate tranſitoria imponitur.*

3. *Tributi &c. causa cessante, tamen interdum fieri potest vt alia æquiualens necessitas obueniat, ob quam prius illud vectigal, aut tributum adhuc durare possit, quapropter noua necessitate obueniente, non augeat ea, si quæ iam imposita sunt sufficiant necessitati.*

4. *Princeps licet subditis tributum, seu vectigal imponere, vel impositum augere non possit, si fiscus ad publica onera substinenda, & Reipublicæ pericula præcauenda sufficiat, id tamen non procedit casu quo se ita depauperet, vt innotescat inter alia non habere thesaurum.*

5. *Tributum, seu vectigal antiquum, quod à tempore immemorabili sine querela populi exactum est, præsumi debet iustum; adeo vt licet constet primam imponendi causam postea cessante, præsumendum tamen sit, aliam iustam causam loco eius successisse.*

6. *Temporis vsus immemorabilis præsertim sine querela, vincit omnem iniustitiæ præsumptionem.*

7. *Princeps quatuor hisce conditionibus non seruatis ad restitutionem tenetur, & ipso non restituente tenetur Exactor; quia fraus est & rapina.*

1 EX dictis sequitur, necessarium esse, ad hoc vt vectigalia, vel tributa sint iusta, quod applicentur ad eum vsum, scilicet publicum, cuius causa exiguntur; & si causa temporaria sit, ea cessante, cesset etiam exactio, Caiet. *ver. vectigalia iniqua*, Angelus *ver. Pedagium* §. 6. Medin. *C. de restitut. quæst.* 13. & Petr. Nauarr. *lib. 3. cap. 1. num.* 252. vbi ait, quod si aliter fiat, tunc necessitas publica assumitur pro forma, re ipsa vero fraus est, & rapina, pauperumque oppressio. Quod præcipuè locum habet in vectigalibus, vel tributis nouis, quorum causa an, & qualis fuerit, cognoscitur, vel saltem facilè coniectari potest.

2 Sequitur secundò, si causa immediata vectigalis, aut tributi non sit negotium aliquod transitorium, sed obligatio quædam permanens (v. g. ad vindicandum perpetuò mare à Piratis, iter à latronibus, &c.) non statim cessare vectigal, aut tributum, si aliquo anno Piratæ, vel latrones non grassentur; quia pro ipsa obligatione exigitur, quæ continua est, & semper manet: tenetur enim Princeps semper esse paratus, & habere naues, & milites expeditos. Secus est, quando immediate pro aliqua necessitate transitoria imponitur: nam illa cessante, cessare etiam debet vectigal, aut tributum, Alphons. à Castro *lib. 1. de leg. pœnal. cap.* 11. & Mol. *tom. 3, disp.* 667.


3 Sequitur tertiò, licet imposito vectigali, vel tributo ob causam extraordinariam, ac temporaneam necessitas expensarum in eo opere cesset, tamen interdum fieri posse, vt loco illius alia æquiualens necessitas obueniat, ob quam prius illud vectigal, aut tributum adhuc durare possit: quapropter, vt in hac re æqualitas seruetur, non debet Princeps pro quauis postea necessitate obueniente nouum vectigal, aut tributum imponere, vel consuetum augere; si, quæ prius imposita sunt, sufficere possint ad nouas necessitates obuenientes, Alphons. à Castro *loco supra cit.* Suar. *lib. 5. de leg. cap.* 15. *num.* 7. & Petrus Nauar. *de restitut. lib. 3. cap. 1, num.* 261.

Sequitur quartò, licet Princeps subditis tributum, seu vectigal imponere, vel impositum augere non possit, si fiscus ad publica onera substinenda, & Reipublicæ pericula præcauenda sufficiat, non tamen censendum esse sufficere quando Princeps non potest se defendere, vel publicum bonum procurare, nisi ita se depauperet, vt nihil remaneat, quo iuuari possit, si iterum intra breue tempus ab aduersariis inuaderetur, maximè si multos insidiatores habeat: tunc enim necessarius est thesaurus, eo quod Aduersarij id scientes magis timent, ideoque magis pacificè viuitur, Syluest. *verb. gabella* 4 *quæst.* 3. quæ quidem Syluestri Doctrina vera est, dummodo periculum in futurum rationabiliter timeatur, & non ad tegendam auaritiam efficiatur. Vide etiam, quæ pro defensione Principum, maiora interdum ad debellandos Hæreticos, vel infideles tributa exigentium, docet Vasq. *tract. de restitut. cap.* 5. §. 3. *dub.* 1. *& cap.* 6. §. *tertiò, num.* 55. 4

Sequitur quintò, si tributum, vel vectigal antiquum sit, quod à tempore immemorabili sine querela Populi exactum est, præsumi id debere iustum; adeò vt, licèt constet, primam imponendi causam postea cessasse, præsumendum tamen sit, aliam iustam causam loco eius successisse, Syluest. eodem *verb. Gabella* 2. *qu.* 6. Medin. *Cod. de restitut. qu.* 13. Mol. *tom. 3. disp.* 674. Valen. *tom. 3. disp. 5. qu. 6. punct. 5. in fin.* Suar. *lib. 5. de leg. cap.* 15. *num.* 8. & sumitur *ex cap. super quibusdam de verbor. significat.* iuncta Gloss *verb. Non extat memoria*; & suadet ratio; quia vsus temporis immemorabilis, præsertim sine querela, vincit omnem iniustitiæ præsumptionem, Doctores *in tract. de Præscriptionib. & Vsucapionib.* 5 6

Sequitur sextò, si dictæ quatuor Conditiones seruatæ non fuerint, ad restitutionem teneri Principem, & ipso non restituente, teneri exactorem, quia sicuti *suprà* dicebam, fraus est, & rapina, & tradunt cum Caiet. *verb. vectigalia. iniqua*, communiter Doctores. 7

Circa tamen Exactorem vide, quæ dicebam, *cap. 2. dubit. 8. sect. 2. & tract. de conscientia dubia, dubit. 10. sect.* 7.






DVBITATIO IX.

An, si Princeps culpa sua ærarium exhauserit (v. g. ludis, conuiuiis, profusis largitionibus, vel bellis inconsultis) possit adhuc, urgente necessitate, noua tributa imponere, vel vetera augere?

Respondetur. De hac re satis dixi *cit. cap. 2. dubit. 9. & 10.*



DVBITATIO X.

An possit Princeps imponere tributum ob iustam vindictam vel ob sumptuum, & damnorum acceptorum compensationem?

SVMMARIVM.

1. *Princeps potest imponere tributum ob iustam vindictam, vel ob sumptuum, & damnorum acceptorum compensationem, idque non solum subditis, qui iniuste rebellarunt; sed etiam hostibus externis, & cur.*

1 Respondetur affirmatiuè; idque non solum subditis, (qui inique rebellarunt contra suum Principem, eique causa fuerunt multorum sumptuum, & damnorum) partim titulo iustæ punitionis, partim iure damnorum sarciendorum, sed etiam hostibus externis iam deuictis (qui vel damnum, vel iniustum bellum intulerunt) partim similiter iure vindictæ, quod iniuriam intulerint, partim iure compensationis sumptuum, & damnorum, quorum causa fuerunt. Atque ità docet Victor. *relect. 4. de iur. belli num. 57.* & probat *ex cap. 20. deuteronom.*



DVBITATIO XI.

Quænam forma seruanda sit, vt tributum, vel vectigal iustum sit? vbi etiam de donatiuis.

SVMMARIVM.

1. *Tributum, vel Vectigal vt iustum sit seruanda est hæc forma, nempe vt imponatur debita proportione, id est pro ratione facultatum, & contractuum quos quisque facit, & non sit immodicum, quo populus nimis grauetur, & in pauperiem redigatur.*
2. *Tributum iniustum est, si vires Regni ad illud ferendum non suppetant, licet causa finalis tributi, nempe necessitas Regis sit iusta.*
3. *Tributa singula per se spectata possunt esse iusta, iniusta tamen quoad quantitatem iniustam.*
4. *Princeps in imponendis tributis debet considerare propriam necessitatem per ordinem ad commune bonum, & necessitatem, & indigentiam subditorum.*
5. *Donatiua, quæ fiunt in Parlamento debent esse in illa quantitate, vt possint Uniuersitates ea soluere, aliter donatiuum erit iniustum ex parte causæ formalis.*
6. *Grauamen, & donatiuum quod imponitur iustum erit si Domini qui intrant in Parlamentum cognoscant Uniuersitates Regni, & populos posse illud sustinere.*
7. *Theologi si nouerint insufficientiam Regni clarè dicere debent sine timore quid de tali insufficientia sentiant, & ita omnes alij Consiliarij, qui intrant in Parlamentum, attentè considerare debent arbitria &c.*



Espondetur, vt imponatur debita 1 proportione, nempe pro ratione facultatum, & contractuum, quos quisque facit, & non sit immodicum, quo populus nimis grauetur, & in pauperiem redigatur. Ita communiter Doctores, Vasquez *opusc. de restitut. cap. 5. §. 2. dub. 1. & 2.* Mol. *de iust. tract. 2. disp. 667. & seqq.* Aragon. *in 2. 2. qu. 62, art. 3.* Salon. *ibid. quæst. 77. art. 3. controuers. 6.* Salas *tract. de legib. disp. 15. sect. 10. num. 120.* Turrian. *disp. 44. dub. 1. & 2.* Valen. *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. punct. 5.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 14. num. 16.* Less. *de iust & iure. lib. 2. cap. 33. dub. 1. & 2.* Reginal. *in praxi tom. 1. lib. 10. cap. 25. num. 352.* Ledes. *in sum. tom. 2. tract. 7. cap. 2.* Bonac. *de contractib. disp. 2. quæst. 9. punct. 1. num. 2.* Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 2.* Tanner. *ibid. disp. 4. qu. 6. dub. 12. num. 343.*

& 344. Syluius *quæst.* 67. *art.* 8. *concl.* 1. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Molfes. *in sum. tom.* 1. *tract.* 12. *cap.* 21. *num.* 37. & 39. Villabo. *tom.* 2. *tract.* 8. *dub.* 13. *num.* 14. 15. Rodrig. *par.* 2. *cap.* 74. *num.* 2. Ortiz *in sum. cap.* 2. *num.* 15. Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 4. *de Regal. impositionib. num.* 45. Vega *in sum. tom.* 1. *cap.* 15. *cas.* 3. Petr. Nauar. *de institut. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 37. & Capiblancus *tract. de offic. Baronum Prag.* 10. *num.* 6.

2 Probatur; quia licet causa finalis tributi, nempe necessitas Regis sit iusta, tamen, si vires Regni ad ferendum tributum non suppetunt, iniustum erit: Optimum siquidem est, aqua fontis vti, non tamen fontem exhaurire, & venas illius exiccare: Optimum vt Pastor de lacte gregis sui comedat, iniquum tamen, illum excoriare; similiter igitur non potest Princeps immoderata tributa subditis imponere; cum non sit Dominus facultatum illorum, sed tantum illis vti possit, & debeat ad vtilitatem ipsorum subditorum, vt à Tyranno differat.

3 Hinc sequitur, contingere posse, singula tributa, per se spectata, esse iusta, & quantitatem esse iniustam; quia excedit moralem facultatem subditorum, Salas *de legib. disp.* 15. *sess.* 10. *num.* 120.

4 Sequitur secundò, Principem in imponendis tributis debere considerare propriam necessitatem per ordinem ad commune bonum, necessitatem, & indigentiam subditorum, Turrian. *loc. suprà cit. disput.* 45. *dub.* 2. *num.* 7. Roderiq. & Ortiz *vbi suprà.*

5 Sequitur tertiò, donatiua, quæ fiunt in Parlamento, debere esse in illa quantitate, vt possint Vniuersitates ea soluere, aliter donatiuum erit iniustum ex parte causæ formalis, Molfes. & Regens de Pon. *in locis cit.*

6 Sequitur, quartò quid dicendum de iustitia donatiuorum cuiuscumque Parlamenti: præsertim. cum agitur de donatiuo extraordinario: Ex dictis enim, si Domini, qui intrant in Parlamentum, cognoscunt, Vniuersitates Regni, & populos posse substinere grauamen, quod imponitur, iustum erit donatiuum: sin aliter, iniustum, & iniquum: quapropter decisio, & resolutiò talis casus magis pendet ex illis, quam ex Theologis: cùm Theologi solùm docere possint, si adest necessitas Regis, & suppetunt vires Regni, donatiuum, vel tributum esse iustum: sed an adsit talis necessitas, & vires Regni suppetant, ipsi viderint, quam primum ante Iudicem Deum rationem reddituri, Petr. de Ledes. *in sum. tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. Vega Petrus Nauarr. & Regens de Ponte *loc. suprà cit* vbi rectè subdit, quod si Theologi nouerint insufficientiam Regni, clarè dicere debeant sine timore, quid de tali insufficientia sentiant.

7 Addo ego, quod & Theologi, & quicumque alij Consiliarij & Domini, qui intrant in Parlamentum, attentè considerare debeant Arbitria, quæ proponuntur: nam sæpè ista sunt difficilia in praxi, atque adeò ad nihil deseruiunt, in præiudicium totius communitatis.



DVBITATIO XII.

An tributum, vel vectigal constitutum super rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, venduntur, vel aduehuntur, vt carnibus, piscibus, sali, frumento, oleo, &c. sit iustum?

SVMMARIVM.

1. *Tributum, vel vectigal constitutum super rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, &c. damnatur à pluribus Doctoribus.*
2. *Pauperes magis grauantur, quam Diuites in recensito tributo, & ita non est seruata forma debita, pro ratione scilicet facultatum, &c.*
3. *Peregrini æque grauantur cum tributo recensito ac incolæ; cum tamen causa ad peregrinos non pertineat.*
4. *Textus in l. Vniuersi, C. de Vectigalibus prohibet sub pœna capitis ne ex rebus, quæ ad vsum proprium inuehuntur vectigalia exigantur.*
5. *Gabellæ de iure ciuili pariter tantum imponi, & exigi debent pro rebus, vel ex rebus mercimonij, & negotiationis causa asportatis.*
6. *Id quod dictum fuit procedit non tam de iure ciuili, sed etiam de iure Canonico.*
7. *Tributorum, vel vectigalium huiusmodi exactores non solum peccant mortaliter, sed etiam sunt excommunicati in Bulla Cœna Domini.*
8. *Sententia superius recensita ordinariè vera est, sed in quatuor casibus fallit.*
9. *Primò, si publica necessitas vrgeat, & vectigalia, quæ aliunde colligi possunt, non sufficiant; quia tunc & prædictis rebus ad vsum familiæ necessariis vectigal imponi poterit; dummodo non sit maius, quam illa grauis Reipublicæ necessitas postulet.*
10. *Reipublicæ membra pro bono communi tenentur omnes fortunas, & etiam vitam exponere, si necesse fuerit. Vide ibi plures rationes, quæ afferuntur, & quæ tributa dicantur æquiora.*
11. *Secundò fallit, si tributum, vel vectigal imponatur ob aliquam causam publicam ex consensu totius populi; quia quisque potest sibi imponere onus modo, quo voluerit.*
12. *Tertiò si imponatur pro securitate viarum, quando alia ratione earum securitati prouideri non potest.*
13. *Quartò, si sit consuetudo, quæ sine murmure memoriam hominum excedat; quia talis consuetudo potest dictum tributum excusare, modo tamen etiam ratio pauperum habeatur, & modo non constet causam ob quam impositum fuit, cessasse.*

14. Tribu-

14. *Tributa recensita secundum aliquos Doctores sunt ordinariè non iniusta; sed iusta; quia seruatur in illis quantum fieri potest æqualitas. Pauperes enim minus emunt ex quibuslibet rebus. Compensantur à Ditioribus, qui pluris emunt operas illorum, redundat etiam in damnum eorum, qui à Mercatoribus emunt, & maiora sunt murmura in impositione census Patrimonij, quam in dicto tributo imponendo, &c.*

15. *Obiecta in contrarium superius allata refelluntur; Peregrini enim vicissim in sua Patria soluerent. Legesque tàm ciuiles quàm Canonicæ non sunt naturalis iuris dispositiones, sed positiui, & ideo mutari possunt & per contrariam consuetudinem iam abrogatæ fuerunt.*

16. *Imponentes tributa recensita etiam in opinione dicentium illa esse iniusta excusantur à censura bullari; quam solum incurrerent defectu causæ efficientis, nempe si non habent potestatem impenendi, non autem ex defectu causæ materi alis.*

1 Qvidam, vt Angelus *verb. Pedagium, n. 3,* Caiet. *verb. vectigal circà Principium, §. ex forma, & circà finem, §. Quintum est.* Sotus *de Iustitia lib. 3. qu. 6. art. 7.* Medina *p. 2. q. 97. art. 4.* Zanard. *p. 2. cap. 12.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 9. n. 9.* Roland. *vol. 3. cons. 42. n. 28.* Bertazol. *vol. 1. cons. 207. n. 4.* Bec. *cons. 96. n. 5. & 18.* Tabiena *verbo vectigal n. 4.* Armill. *verbo gabella, n. 2.* Beia *par. 1. cas. 13.* Gabriel. *in 4. dist. 15. qu. 5. conclus. 2.* Ledesma *qu. 18. art. 3.* Driedo *lib. 3. de libert. Christ. cap. 5.* Tolet. *lib. 5. cap. 73.* & alij condemnant huiusmodi tributum, aut vectigal, & solum admittunt illa, quæ imponuntur rebus causa negotiationis aduectis.

2 Probatur; quia in tali tributo, vel vectigali non seruatur forma debita, vt scilicet imponatur pro ratione facultatum, & contractuum, quos quisque facit, sicque minus grauentur pauperes quam diuites iuxta dictam proportionem suarum facultatum, & contractuum, sed potius è contra magis grauantur pauperes (quibus paruæ facultates sunt & nihil lucri ex negotiatione acquiritur) ergò videtur iniustum & iniquum; Consequentia patet. Antecedens probatur; quia quo quis est pauperior, & pluribus filiis oppressus eò plura de rebus suis debet vendere, & de rebus alienis emere ad necessarium vsum suum, & familiæ; Diuites autem non sic coguntur sua vendere, sed possunt alere pecora, & reliqua necessaria è suis villis parare; possunt etiam expectare tempus, quo res minoris valent, & tunc minoris emere; ergo huiusmodi tributo, vel vectigali potius
3 magis grauantur pauperes, quàm diuites; ergo videtur illud iniustum, & iniquum.

4 Confirmatur, quia ex istis tributis, vel vectigalibus æquè grauantur peregrini, ac incolæ; cùm tamen causa ad peregrinos non pertineat.

5 Confirmatur secundò ex Iure ciuili; quia in *l. Vniuersi, C. de Vectigalibus*, prohibetur sub pœna capitis, ne ex rebus, quæ ad vsum proprium inuehuntur, vectigalia exigantur, & *in l. omnium, Cod. eodem* decernitur, quod gabellæ tantùm imponantur, vel exigantur pro rebus, vel ex rebus mercimonij, & negociationis causa asportatis, vel delatis.

Confirmatur tertiò ex Iure Canonico; 6
quia in *cap. Quamquam, de censib in 6.* dicitur, *Pedagiorum exactiones, tàm Iure Canonico, quàm Ciuili, regulariter meritò esse damnatas.* Quod intellige de Pedagiis, quæ imponuntur rebus, quas quisque ad vsum proprium defert.

Ex his inferunt Angelus, & Toletus vbi 7
supra, Exactores huiusmodi tributorum, vel vectigalium non solum peccare mortaliter, sed etiam esse excommunicatos in Bulla Cœnæ Domini; quia ibi excommunicantur quicumque exigunt pedagia prohibita, qualia sunt ista. Vnde non minus sunt excommunicati, qui exigunt ea à Laicis, quàm qui a Clericis. His tamen non obstantibus.

Respondetur cum Reginaldo *tom. 1. lib. 10. cap. 25. n. 377.* Molfes. *tom. 2. tract. 12 cap. 22. n. 96.* Fausto *in specul. Confess. disp. 33. qu. 22. n. 4.* Laiman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. cap. 3. n. 3.* Tannero *in 2. 2. disp. 4. qu. 6. dub. 12. n. 345.* & aliis, sententiam istam ordinariè quidem esse veram, in quatuor tamen casibus tributum, vel vectigal imponi posse rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, venduntur, vel aduehuntur. 8

Primò, si publica necessitas vrgeat & vecti 9
galia, quæ aliundè colligi possunt, non sufficiant, quia tunc, & prædictis rebus ad vsum familiæ necessariis vectigal imponi poterit, dummodo non sit maius, quam illa grauis Reipublicæ necessitas postulet, Syluest. *verbo gabella 3. q. 5.* S. Anton. *2. par. tit. 1. cap. 13. §. 9.* Medin. *Cod. de restitut. q. 15.* & Nauar. 10
cap. 17. n. 102. quia membra Reipublicæ pro bono communi tenentur omnes fortunas, & etiam vitam exponere, si necesse fuerit; ergo multo magis tenentur ex rebus ad victum necessariis aliquid soluere, si aliter communi bono prouideri non possit; Tum quia, cum res ad vsum familiæ necessariæ pluris valent, pluris etiam pauperes suas operas diuturnas locabunt, in grauamen diuitum. Tum quia vectigal, quod soluunt Mercatores pro suis mercibus, redundat tamden in pauperes, & in eos, qui sibi necessaria comparant, & tamen in omnium sententia huiusmodi vectigal censetur iustum; ergo non est condemnandum illud aliud vectigal de quo loquimur, quandò alia via bono communi commodè prouideri non potest.

Dixi, *dummodo non sit maius, quam illa grauis Reipublicæ necessitas postulet*; quia à iusta forma non nihil exorbitat; quapropter à Iure Canonico, & Ciuili regulariter est prohibitum. Etsi multo æquiora sint vectigalia, quæ imponuntur rebus non ita ad victum humanum necessariis, sed ad elegantiam, vel luxum spectantibus, vt v. g. panno pretioso, serico, tapetibus, vasis argenteis, pretiosis poculentis, aut exculentis, & similibus, sine quibus homines viuere possunt: quia tunc potissimum onerantur ditiores, & qui commodiùs onus ferre possunt.

11 Secundò, si imponatur ob aliquam causam publicam ex consensu totius populi, Medin. & alij; quia quisque potest sibi imponere onus modo, quo voluerit; hic tamen consensus debet esse liber, & astringere solum consentientes: quare qui non consenserit, vel coactè consenserit, non tenebitur.

12 Tertiò, si imponatur pro securitate viarum, quando alia ratione earum securitati prouideri non potest; quia melius est, hoc onus sustinere, quam omnia periculo exponere; modo tamen ratio pauperum habeatur.

13 Quartò, si sit consuetudo, quæ sine murmure memoriam hominum excedat; quia talis consuetudo potest dictum tributum excusare: modo tamen etiam ratio pauperum habeatur: & modo non constet, causam ob quam impositum fuit, cessasse (tunc enim putaretur non bona fide continuatum, ac proinde non legitimè præscriptum) nisi forsan dicas, potius præsumi debere aliam causam legitimam in locum prioris successisse, quàm illud tributum iniquè tanto tempore extortum fuisse: nam vsus temporis immemorabilis vincit omnem iniustitiæ præsumptionem vti *suprà* dicebam ex communi sententia Doctorum in materia de præscriptionibus, & vsucapionibus.

14 Aduerte tamen hìc, quod non desint Doctores, vt Suarez *de legibus lib.* 5. *cap.* 16. & complures alij, quos citat, & sequitur Molin. *tom.* 3. *disput.* 669. *n.* 2. Vasquez *opusc. de restitut. cap.* 6. § 3. *dub.* 1. Azor. *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 21. *q.* 1. Malder. *in* 2. 2. *tract.* 4. *cap.* 6. *dub.* 6. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disput.* 44. *dub.* 3. *n.* 4. & Io. de la Cruz *p.* 1. *præcept.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. *conclus.* 1. qui simpliciter censeant, prædicta tributa vel vectigalia esse ordinariè non iniusta, sed iusta; Quia seruatur in illis, quantum fieri potest, æqualitas.

Primò, quia licet pauperes habeant aliquando plures filios, tamen communiter, qui pauperes sunt, (cum viuere, & contenti esse soleant modico) minùs emunt ex iis rebus, (quæ ad vitæ vsum sunt necessariæ) quàm diuites, qui abundantius emunt, & non solùm pro se ipsis, sed etiam familia filiorum, & seruorum.

Secundò, quia sicuti dicebam, & notat Malder. *in* 2. 2. *citat. tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 6. licet pauperes in his tributis, vel vectigalibus æquè, vel etiam ampliùs contribuant, ac diuites: Hoc tamen ipsum à ditioribus compensatur: quia quò cariora sunt, quæ ad communem vsum pertinent, eò cariùs vendi solent opera, quæ pauperiores in Republica præstant.


Tertiò, quia sicuti etiam dicebam, & notat Molina, tributa, vel vectigalia, quæ Mercatores ex mercibus soluere coguntur, non tàm redundant in grauamen, ac sumptus ipsorum, quàm in grauamen eorum, qui illas ex ipsis sunt empturi: Nam Mercatores quò cariùs emunt merces, quas asportant, & quò plura tributa ex eis soluunt, eò cariùs illas vendunt emptoribus, & tamen huiusmodi tributa, vel vectigalia communiter non reputantur iniusta.

Quartò quia in impositione huiusmodi tributorum, vel vectigalium minora sunt murmura, quàm essent in censu patrimonij, vel capitis per æs, & libram: Nam in æstimando cuiusque patrimonio multum odij multum etiam deprauati Iudicij incurritur. Præterea multò plures requiruntur Officiales ad exigendum, quorum stipendia multum auget tributum: At per tributa, vel vectigalia super poculenta, vel esculenta, & similia, cum perminutim præstetur Reipublicæ subsidium, insensibile quodammodo est detrimentum soluentium: ergo publicæ commoditatis gratia meritò talia tributa, vel vectigalia debent tolerari, & iusta censeri; Itavt licitè possit Princeps, vel Respublica imponere vectigalia, non solùm in rebus, quæ negociationis causa, sed etiam in rebus, quæ vt necessariæ ad vitæ vsum, venduntur, vel emuntur.

Atque hinc respondent ad fundamentum contrarium in principio positum. Et ad primam confirmationem respondent, Peregrinos 15 meritò talia tributa, vel vectigalia soluere: quia, & in sua Patria vicissim Peregrini similiter tractantur, Malder. *in* 2. 2. *tract.* 8. *cap.* 6. *dub.* 6. & alij. Ad secundam & tertiam confirmationem respondent, illas leges non esse dispositionem iuris naturalis, sed positiui, & ideò mutari posse, solumque obseruari, vbi leges iuris communis obseruantur, Turrian. *loco suprà cit. num.* 5. vel respondetur, leges illas per Principis auctoritatem sublatas, aut per contrariam consuetudinem abrogatas fuisse, Megal. *lib.* 2. *cap.* 17. *qu.* 5. *num.* 71. Graff. *in decisionib. p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *nu.* 82. & Duard. *in Bull. Cœnæ, lib.* 2. *canon.* 5. *qu.* 5. *num.* 6.

Aduerte secundò, quod (stando in contraria opinione, nempe supradicta tributa, vel vectigalia esse iniusta) neque desint Doctores, 16 vt Sairus *de censur. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 6. Tolet. *cap.* 22. *num.* 9. Reginald. *lib.* 9. *num.* 274. Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 4. *num.* 105. & alij, qui huiusmodi tributa, vel vectigalia imponentes excusent ab excommunicatione in Bulla Cœnæ, quia putant, imponentes tributa, vel vectigalia incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, solum ex defectu causæ efficientis: Nempe si non habent potestatem imponendi; Non autem ex defectu causæ materialis, (vt esset in casu nostro) vel ex defectu causæ formalis, vt si imponeret Clericis, vel aliis exemptis Sed de hac re vide, quæ dicebam *libro de Immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica, cap.* 5. & quæ dicebam *tract. de censuris in Bulla Cœna.*





DVBITATIO XIII.

An qui tributum, aut Vectigal iustum defraudat, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem? vbi etiam quid dicendum in dubio de iustitia tributi, aut Vectigalis?

SVMMARIVM.

1. *Defraudans tributum, aut vectigal iniustum in sententia aliquorum Doctorum non peccat mortaliter, neque tenetur ad restitutionem.*
2. *Tributum, vel vectigal ordinariè imponitur per statutum, nullum continens verbum præceptiuum, sed tantum verbum statuimus, vel ordinamus: qua forma non significatur obligatio sub peccato mortali.*
3. *Lex purè pœnalis non obligat nisi ad pœnam, idque post Iudicis sententiam.*
4. *Leges ciuiles etiam si contineant verbum præceptiuum, non obligant ad peccatum mortale; maximè cum apponunt pœnam in bonis temporalibus.*
5. *Leges, vel statuta, quibus prohibetur, ne quis aurum, argentum, vel quid simile è Regno efferat sub pœna Commissi, non obligant sub peccato mortali; sed solum tribuunt ius Principi ad rem, si deprehensi fuerint, fisco vindicandam.*
6. *Conductores sibi ipsis imputent cum scienter conducant.*
7. *Defraudans huiusmodi tributum in quantitate notabili multo probabilius est, quod peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem quando illud iustè impositum est; & vtiliter expenditur.*
8. *Comprobatur auctoritate sacrarum literarum ex Apost. ad Rom. 13. & ex Math. 22.*
9. *Respublica lege iustitiæ tenetur Principi iustum stipendium administrationis, & subsidium necessarium ad conseruationem publicæ tranquillitatis præbere.*
10. *Defraudans huiusmodi vectigalia, seu tributa Principi iustum stipendium denegat, atque adeo peccat, & ad restitutionem tenetur.*
11. *Decimam singuli tenentur ex iustitia soluere facta determinatione decimæ partis soluendæ Ministris Ecclesiæ in stipendium substentationis, ergo & sic de tributo Principi.*
12. *Rationes pro fundamento oppositæ sententiæ diluuntur, leges enim tributorum non solum determinant, aut præcipiunt quid sit agendum; sed etiam determinant iustum stipendium Principi, & subsidium ad onera publica ferenda necessarium.*
13. *Princeps potest singulos obligare ad tributa soluenda non solum lege obedientiæ; sed etiam lege iustitiæ.*
14. *Defraudantes talia vectigalia non sunt vrgendi à Confessariis ad restitutionem si restituere nolint; quia sequendo opinionem probabilem licitè possunt à Confessariis absolui.*
15. *Subditi in dubio negatiuo an fraudare possint gabellas discordant Doctores tamen si simus in dubio positiuo conueniunt omnes, quod possint defraudare gabellas.*



QVidam, vt Angelus *verb. Pedagium* 1
§. 6. Tabien. *eod. verb. concl. 3.*
Duardus *in Bull. Cœnæ lib. 1. Canon.*
15. quæst. 12. num. 9. Nauar. *cap.*
23. num. 55. & 60. Beia *par. 1. cas. 13.* negant, & in eamdem sententiam negatiuam inclinat Sotus *de iust. lib. 3. quæst. 6. art. 7. in fin.* Tolet. *lib. 5. cap. 75.* & Rodriq. *tom. 2. sum. cap. 74. concl. 2.*

Probatur, quia tributum, vel vectigal or- 2
dinariè imponitur per statutum, nullum continens verbum præceptiuum, sed tantum verbum *statuimus vel ordinamus*, vt quilibet soluat tale quid sub pœna commissi; qua forma non significatur obligatio sub peccato mortali, sed tantum posse rem à fisco vindicari post sententiam Iudicis, si vectigal solutum non fuerit.

Confirmatur, quia lex purè pœnalis (qualis 3
est ista) non obligat nisi ad pœnam, idque post sententiam Iudicis, vti dicebam.

Secundò probatur; quia leges Ciuiles, 4
etiam si contineant verbum præceptiuum, non obligant ad peccatum mortale, maximè cum apponunt pœnam in bonis temporalibus: tunc enim videntur satis habere, si illa pœna iis, qui deprehensi fuerint per sententiam Iudicis irrogetur.

Tertiò; quia leges, vel statuta, quibus 5
prohibetur, ne quis aurum argentum, vel quid simile è Regno efferat sub pœna commissi, non obligant sub peccato mortali, (vt multi Doctores tenent) sed solùm tribuunt ius Principi ad rem, si deprehensi fuerint, fisco vindicandam.

Confirmatur; quia, licèt per tales fraudationes aliquid Principi, vel vectigalium conductori decedat, per multas tamen, & rerum confiscationes in eos, qui deprehensi fuerint compensatur.

Confirmatur secundò; quia conductores id 6
optimè norunt, & ideò sibi imputent, si non inuigilent, ne fraudentur: Nam sub tali conditione, & præterea ideò minoris vectigalia conducunt. His tamen non obstantibus.

Respondetur, multò probabilius esse, quan- 7
do constat, huiusmodi tributum, aut vectigal iustè impositum fuisse & vtiliter expendi eum, qui illud defraudat in quantitate notabili, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. Ità Caiet. *verb. vectigalia iniqua*, Syluest. *verb. Gabella 3. num. 21. & 22.* Medin. *Cod. de restitut. quæst. 13.* Couar. *ad Reg. peccatum par. 2. §. 5. num. 1.* Alphons. à Castro *lib. 1. de leg. pœnal. cap. 9.* Petrus Nauar. *de restitut. lib. 3. cap. 1. num. 229.* Suar. *lib. quintò de legib. cap.*

18. Vasq. *de restitut. cap. 6. §. 3. dub. 2.* Mol. *tom. 3. disp. 674. concl. 1.* Sayr. *lib. 9. Clau. Reg. cap. 16. num. 30.* Rodriqu. *in summa par. 2. cap. 76. num. 3.* Graff. *prima parte lib. 2. cap. 125. num. 93.* Fernandez *parte prima cap. 15. §. 6. num. 18.* Vega *in summa parte prima cap. 15. cas. 13.* Ortiz. *cap. 3. num. 4.* Homabon. *parte prima tract. 7. cap. 29. quæst. 120.* Molfes. *in summa tom. 2. tract. 12. cap. 22. num. 126.* Salas *de legib. disput. 15. sect. 16. num. 116.* Ledesm. *tom. 2. tract. 7. cap. vltimo concl. 25.* Guttier. *de gabell. quæst. 3. num. 23. & 24.* Sanchez *tom. 2. moral. lib. 6. cap. 4. num. 52.* Megal. *in p. 2. 2. cap. 17. num. 130.* & passim Recentiores.

8 Probatur ex Apostol. ad Roman. 13. *Ideò & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes: reddite ergò omnibus tributa cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal;* vbi clarè Paulus insinuat, vectigal esse debitum Principi propter administrationem Reipublicæ; Et ex Matth. 22. *Reddite ergò, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo:* vbi satis indicatur, vectigalia iusta solui debere.

9 Secundò probatur ratione; quia Respublica lege iustitiæ tenetur Principi iustum stipendium administrationis, & subsidium necessarium ad conseruationem publicæ tranquillitatis præbere: ergò, cum hæc obligatio est in singulas Reipublicæ partes distributa, assignata cuique sua portione, & determinatis rebus, ex quibus soluenda sit, singuli tenentur ex iustitia illam soluere. Antecedens probatur; quia hoc ipsum Respublica tacitè promisit, dum Principem sibi præposuit. Consequentia patet; quia eadem obligatione, qua Respublica tenetur in communi ad sumptus necessarios, singuli tenentur in particulari ad suam partem
10 ipsis debito modo assignatam; Ergò quicumque vectigalia defraudat, Principi iustum stipendium denegat, atque adeò peccat, & ad restitutionem tenetur.

11 Confirmatur; quia facta determinatione decimæ partis soluendæ ministris Ecclesiæ in stipendium substentationis, singuli tenentur ex iustitia Decimam illam soluere: ergò similiter, facta determinatione vectigalis, quantum, & ex quibus rebus soluendum sit Principi, singuli tenentur lege iustitiæ illud soluere. Antecedens patet. Consequentia probatur; quia vtrobique est eadem ratio: sicut enim decimæ debentur Prælatis Ecclesiæ ob gubernationem spiritualem, ita vectigalia debentur Principibus sæcularibus ob gubernationem temporalem.

12 Hinc patet ad fundamenta sententiæ oppositæ; quia leges tributorum, vel vectigalium non solum statuunt, aut præcipiunt, quid sit agendum, sed etiam determinant iustum stipendium Principis, & subsidium ad onera publica ferenda necessarium; Quapropter, sicut aliæ leges, quibus prætia rerum determinantur, obligant in conscientia, etiam si nullum verbum præceptiuum contineant, ita etiam leges, & statuta vectigalium.

Dices nostras rationes solum probare de vectigalibus & tributis antiquis, quæ iam olim statuta sunt in stipendium Principis pro administratione Reipublicæ, non item de iis, quæ de nouo instituuntur ob aliquam publicam necessitatem; quia Respublica non tenetur admittere ex iustitia talia tributa, sed solum ex obedientia, & amore boni communis; ac proinde non censentur singuli ciues in particulari ad id obligati ex iustitia, sed solum ex obedientia Principis, & sub pœna, quam ille statuerit, cum hoc sufficiat ad finem consequendum.

Respondetur. Nego antecedens: quia cum 13
Respublica totam suam potestatem in Principem transtulerit, non est, cur non possit Princeps singulos obligare, non solum lege obedientiæ, sed etiam lege iustitiæ ad vectigal soluendum: nam, cum Respublica potuerit eos sic obligare, non est cur non censeatur fecisse; cum hæc ratio sit efficacior ad finem consequendum.


Dices secundò, licet de Iure naturali debeantur Principibus tributa, tamen fraudantes dicta vectigalia non intendere contrauenire legi naturali, sed cum tractetur de lege purè pœnali, ipsorum arbitrio committi, An tributa velint soluere, vel fraudare, & sic se exponere periculo luendæ pœnæ cum notabili Principis, vel vectigalium conductoris emolumento.

Respondetur: Transeat antecedens: nam 14
ideò complures Doctores, præcipuè Malder. *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 15.* & Sà *verbo gabella num. 6.* aiunt, defraudantes talia vectigalia non esse à Confessariis vrgendos ad restitutionem, si restituere nolint, quia sequendo opinionem probabilem, licitè possunt à Confessariis absolui; sed quod dicebam est probabilius ob rationes iam dictas.

Dices tertiò, quid dicendum in dubio de iustitia tributi, vel vectigalis?

Respondetur: de hac re vide *suprà cap. 2. dubit. 8. sect. 2. & tract. de conscientia dubia dubit. 10. sect. 7.* vbi distinguebam de dubio negatiuo, & positiuo. Et quidem (licèt, si simus in dubio negatiuo, discordent Doctores) tamen, si simus in dubio positiuo, conueniunt omnes, posse subditos defraudare Gabellas; quia potest quilibet se conformare opinioni probabili, ita vt, licet sit dubius speculatiuè, sit tamen certus practicè, quod, stante opinione probabili, licitè possit operari; quia, cum operetur probabiliter, non operatur temerè, seu sine fundamento, sed prudenter; atque adeò sine peccato, iuxta ea, quæ dicebam diffusè in tractatu de conscientia probabili. 15





Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Vectigal ſeu tributum ſi conſtet iuſtum eſſe, ſolui debet, licet officiales, ſeu miniſtri per obliuionem, errorem, vel ſimilem cauſam non exigant.*
2. *Debitum omne, quod ex commutatiua iuſtitia naſcitur, licet Creditor per obliuionem, errorem, &c. non exigat; nihilominus ſolui debet.*
3. *Vectigal, vel tributum, ſi probabiliter exiſtimetur iniuſtum, defraudari poteſt modo abſit ſcandalum.*
4. *Defraudantes tributa, cum tot conditiones ad eorum iuſtitiam, & vectigalis nouiter impoſiti, vel aucti, requirantur non facile in conſcientia, foro ad reſtitutionem faciendam condemnari debent, niſi ſatis conſtet de exactionis iuſtitia, & neceſſitate.*
5. *Accidere poteſt vt exiſtente publico dubio, etiam negatiuo de iuſtitia tributi, vel vectigalis impoſiti, officiales licitè exigant, & ſubditi licitè ſubterfugiant, ſi ſine mendacio poſſint.*
6. *Alia ratio dicitur eſſe de Conſiliariis, ad quos pertinet de iuſtitia tributi cognoſcere: nam ſi non poſſunt eius impoſitionem, vel auctionem Principi proponere, vel ſuadere, niſi affirmatiuè cognoſcant tum tributi imponendi poteſtatem, tum etiam cauſæ, ſeu iuſtitiæ probabilitatem.*
7. *Vectigal in ſententia quorundam non debet ſolui, niſi exigatur, modo nihil fraude factum ſit, præſertim ab Alienigenis, &c. Intellige eſſe verum ſecundum fori externi præſumptionem.*
8. *Alienigena non ſoluens vectigal, ſi probabilem ignorantiam alleget, eamque iuramento confirmet, non damnatur pœna commiſſi, ſeu mercium confiſcatione.*
9. *Vectigal in ſententia quorumdam pariter non debet ſolui, niſi ſimiliter exigatur, modo ſimiliter nihil fraude factum ſit, præſertim ſi vectigal valde graue ſit.*
10. *Limita niſi quis ſoluere poſſit partem vectigalis, quatenus ſpectata conditione, facultate Perſonæ, atque iuſtitia cauſæ iuſtum videtur. retinendo interim exceſſum.*
11. *Vectigal in ſententia aliorum neque debetur ſolui ab illo qui rem aliquam defert, emit, vel vendit, ad ſolatium ſuæ extremæ; vel magnæ neceſſitatis.*
12. *Limita tamen modo quo ſupra; præſertim, ſi Princeps aliundè neceſſaria habere non poſſit; ſi enim aliunde habere poſſit ſubditus non tenetur ad quicquam etiam ſi conſuetudo ſit in contrarium.*
13. *Deputati ad vectigal exigendum in ſententia aliorum diſſimulare poſſunt cum pauperibus, quando ſi hi non habent vnde ſoluant.*
14. *Princeps, qui populum nouis tributis abſque neceſſitate grauat ad reſtitutionem tenetur, de cuius reſtitutionis modo &c.*

EX dictis, poſita iam noſtra ſententia probabiliori & communiori inter Doctores ſequitur, ſi conſtet, vel probabiliter præſumi debeat, vectigal, ſeu tributum iuſtum eſſe, ſolui debere, tametſi Officiales, ſeu Miniſtri, per obliuionem, errorem, vel ſimilem cauſam tributum non exigant. Sumitur *ex cit loc. ad Roman.* 13. *Reddite omnibus debita cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Et ex ratione ſupra aſſignata; quod ſcilicet vectigalis, ſeu tributi ſolutio fundatur in iuſtitia commutatiua, ſecundum quam Principi publica onera compenſare debent ij, quorum gratia ille ſuſtinet; At omne debitum, quod ex commutatiua iuſtitia naſcitur, etiamſi creditor per obliuionem, errorem, aut aliam cauſam non exigat, nihilominus ei ſolui debet; ergò, &c. 1 2

Sequitur ſecundò, ſi vectigal, vel tributum probabiliter exiſtimetur iniuſtum (vt quia eſt nouiter impoſitum, & de eius authoritate, titulo, vel omnimoda iuſtitia cauſæ non ſatis conſtat; ſiquidem v. g. perſuaſio eſt in populo, quod tributa ſub pretextu alicuius neceſſitatis impoſita in non neceſſarios vſus conuertantur, vel aſſeruentur) defraudari poſſe, modo abſit ſcandalum, periurium, & mendacium quæ ſemper illicita ſunt. Qua de re videri poterit Caiet. *in ſumm. verb. vectigal*, *Notando* 4. Sylueſt. *verb. Gabella* 3. *quæſt.* 3. *&* 14. Driedo *lib* 2. *de libert. Chriſtia. cap.* 5. Mol. *tom.* 3. *diſp.* 674. & Sà *verb. Gabella num.* 6. qui etiam ſubdunt, quod cum tot conditiones ad iuſtitiam tributi, vel vectigalis nouiter impoſiti, vel aucti requirantur, non facile in conſcientiæ foro ad reſtitutionem faciendam condemnari debeant defraudantes, niſi ſatis conſtet de exactionis iuſtitia, & neceſſitate. 3 4

Sequitur tertiò, accidere poſſe, vt exiſtente publico dubio (etiam negatiuo) de iuſtitia tributi, vel vectigalis impoſiti, Officiales licitè exigant, & ij, à quibus fit exactio, licitè etiam ſubterfugiant, ſi ſine mendacio poſſint; v. g. ſi in Populo ſit ſuſpicio, exactionem eſſe iniuſtam; & re diligenter examinata, non poſſit agnoſci pro Principe cauſa, ob quam nouiter impoſitum, vel auctum tributum exigat, poſſint ſubditi defraudare tributum, cum melior ſit conditio ipſorum, præſertim bona ſua adhuc poſſidentium; Officiales autem, ſeu executores iuſtè etiam exigant; quia quandiù non adeſt moralis certitudo de iniuſtitia cauſæ, præſumere poſſunt, quod Princeps, ita præcipiens, cauſam iuſtam habeat ipſis incognitam, ſicuti *in cit. cap.* 2. *dub.* 8. *ſect.* 2. *& in cit. tract. de conſcien. dub. dubit* 10. *ſect.* 7. in ſimili dicebam de Militantibus in Bello dubio, & de miniſtris exequentibus 5

iustitiam in causa dubia; Et si alia ratio sit de
6 Consiliariis (ad quos pertinet de iustitia, tributi cognoscere (nam hi non possunt eius impositionem, vel auctionem Principi proponere, vel suadere, nisi affirmatiuè cognoscant, tum tributi imponendi potestatem, tum etiam causæ, seu iustitiæ probabilitatem. Qua de re dicebam *in locis suprà cit.* & videri potest Vasq. *opusc. de restit. cap.* 6. § 3. *num.* 73. & Petr. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 267.

7 Aduerte tamen, quosdam cum Roderiq. *tom.* 2. *summ. cap.* 74. *concl.* 2. sentire, vectigal non debere solui (nisi exigatur; modo nihil fraude factum sit; vt si non absconderis, nec custodes deceperis) præsertim ab alienigenis; quia hi facilè ignorare possunt vectigalis impositionem.

8 Quod quidem verum est secundum fori externi præsumptionem: quapropter alienigena non soluens vectigal, si probabilem ignorantiam alleget, eamque iuramento confirmet, non damnatur pœna commissi, seu mercium confiscatione, sicut ex communi sententia Doctorum notauit Gaill. *lib.* 1. *obseruat.* 48. *num.* 26. in foro tamen pœnitentiæ interioris creditur simplici cuiuscumque assertioni.

9 Aduerte secundò quosdam alios, vt Tabienam *verb. pedagium* §. 8 Sotum *de iust. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 7. *in fin.* Henriq. *de Indulg. capi* 36. & Sà *verb. Gabella* putare, vectigal neque debere solui (nisi similiter exigatur; modo similiter nihil fraude factum sit, vti *suprà* dicebam) præsertim, si vectigal valdè graue sit.


10 Quod tamen ego limitauerim, nisi quis soluere possit partem vectigalis, quatenus spectata conditione, & facultate personæ, atque iustitiæ causæ, iustum videtur, retinendo interim excessum: qua de re videri poterit Suar. *lib.* 5. *de leg. cap.* 18 *num.* 7.

11 Aduerte tertiò alios, vt Caietanum, Nauarrum S. Anton. Syluest. Angelum, Sotum, & Armillam (quos citat, & sequitur Petr. Nauar. *de restitut. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 236.) censere, vectigal neque debere solui ab illo, qui rem aliquam defert, emit, vel vendit ad solatium suæ extremæ, vel magnæ necessitatis; quia respectu talis personæ, censetur immodicum, & nimis graue, ac proindè carens debita forma iusti vectigalis. Vnde infert Petrus Nauar. Pauperes, qui aliquid vendunt ex propriis fructibus, vel ex supellectili, nihil debere, cum id faciant ad supplenda vitæ necessaria, vltrà quæ nihil, vel parum habent.

12 Quod tamen ego limitauerim similiter, *vt suprà* (nisi scilicet quis soluere possit partem vectigalis, quatenus spectata conditione, & facultate personæ, atque institiæ causæ, iustum videtur, retinendo interim excessum) præsertim, si Princeps aliundè necessaria habere non potest: si enim aliundè ea habere posset, subditus non tenetur ad quicquam, etiam si consuetudo sit in contrarium; quia tunc talis consuetudo corruptela censeri deberet, vti docet Angelus, Gabriel, Caiet. & Syluest: quos citat, & sequitur Petr. Nauarra *loc. suprà cit. num.* 237.

13 Aduerte quartò, alios cum Sà *cit. verb. Gabella*, *num.* 10. censere, deputatos ad vectigal exigendum dissimulare posse cum pauperibus, quando hi non habent vndè soluant; Quod etiam docuit Gloss. *in l. Omnes verb. compelletur*, *Cod. de Annonis*, *& Tributis lib.* 10. & Abb. *in cap.* 2. *de immunit. Eccles. num.* 22.

Aduerte quintò, alios tandem cum eodem Sà *num.* 7. ex communi sententia Doctorum docere, Principem, qui populum nouis tributis absque necessitate grauat, ad restitutionem teneri: Quam restitutionem facile præstare poterit, si Collecta pecunia in Fisco Principis asseruetur: poterit enim tunc vel tributa ordinaria minuere, vel extraordinaria, quæ futuro tempore propter aliquam occurrentem necessitatem, exigere posset, omnino intermittere, & pecuniam ante collectam ad talem vsum applicare. Sin verò pecunia tributi nomine collecta à Principe, vel à suis antecessoribus consumpta sit, tunc difficile quidem erit, restitutionem facere, præterquam quod Princeps, præsertim, si ipsemet non necessariis tributis populum grauauit, teneatur parciùs viuere, quatenus sine dedecore status sui potest: alioquin verò, si sine dedecore status sui non potest, à restitutione liberatur; itavt si postea contingat, Rempublicam in periculum deuenire, vel ipsummet Principem ad dignitatem suam conseruandam redditus sufficientes non habere, obligetur adhuc tunc populus ad nouam contributionem faciendam in commodum Reipublicæ; eo tamen pacto: vt, si postea Princeps ad meliorem fortunam reuenerit, obligatus sit compensare damnum: cum id propria culpa subditis suis intulerit, sicuti rectè notauit S. Anton. *par.* 2. *cap.* 13. §. 2. & Molin. *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 667. 14



DVBITATIO XIV.

An, qui emit à Mercatore, quem nouit vectigal debitum defraudare, teneatur ex mercibus emptis, principali non soluente, illud soluere?

SVMMARIVM.

1. *Emptor non tenetur in conscientia soluere vectigal quamuis nouerit Venditorem illud defraudasse, modo tamen non fuerit illi causa defraudationis, si non sit certa pars mercium: sed pecunia aliqua per Venditorem soluenda.*
2. *Vectigal prædictum non est onus reale, sed personale.*
3. *Mercimonium de quo Mercator non soluit vectigal contraxit obligationem hypothecæ, & proinde cum hac obligatione transit ad Em-*

ptorem? ac proinde poterit super re illa fieri excusatio; secus si in alterius dominium deuenerit.

4. *Emptor neque in conscientia tenetur soluere tributum, si vectigal ex ipsis mercibus debitum sit certa aliqua pars mercium.*

5. *Onus soluendi tale vectigal non pertinet ad Emptorem: sed ad Venditorem, qui tales res adducit, & vendit.*

6. *Illa pars mercium antequam sit separata, & tradita, non magis pertinet ad Principem, cui vectigal soluendum est, quam res vendita, & nondum tradita pertineat ad Emptorem.*

7. *Emptor si merces illæ, in quibus continetur pars soluenda nomine vectigalis vendantur nõ tenebitur ad illius restitutionẽ in foro conscientiæ.*

8. *Princeps non habet dominium illarum mercium, vel alicuius partis illarum, antequam ea sit separata, & tradita; sed solum habet ius ad aliquam partem indeterminatè, vt Venditor eam ipsi soluat; & præterea habet ius hypothecæ in totas merces, vt vbicumque fuerint, possit ex eis partem suam desumere, & in cætera omnia bona Venditoris.*

9. *Emptor ex nullo capite tenetur in casu recensito, non enim ratione acceptionis, neque ratione rei acceptæ, neque ratione oneris impositi illi rei; quia hoc onus spectat ad Venditorem, non Emptorem.*

10. *Onus soluendi tributum non est propriè reale: sed personale solam personam venditoris afficiens, etsi secundariò possit dici reale.*

11. *Fructus nondum decimati non possunt alienari absque onere decimarum: quia res transit cum onere suo: idem tamen dici non debet de tributo ob disparitatem, quæ assignatur.*

1 SVppono, vectigal hoc posse esse, vel partem certam mercium, v. g. quintam, vel decimam, &c. vel pecuniam aliquam. Hoc supposito.

Respondetur, & dico primò: Si vectigal non sit certa pars mercium, sed pecunia aliqua per Venditorem soluenda, Emptor non tenetur in conscientia soluere vectigal, quamuis nouerit, Venditorem illud defraudasse; modò
2 tamen non fuerit illi causa defraudationis.

Probatur; quia tale vectigal non est rei affixum onus, quod simul cum re transeat in Emptorem, sed est onus personale Mercatoris, permanens in ipso, quamuis ex mercis deportatio-
3 ne contractum.

Aduerte tamen hîc, quòd, cùm Mercator ante venditionem, dum adhuc res erat ipsius, vectigal deberet, res illa contraxit obligationem hypothecæ; quia omnia bona illius, qui vectigal debet, sunt tacitè instar pignorum pro vectigalibus obligata, iuxtà text. *in l. 1. C. quibus causis pignus vel hypoth. tac. contrahat.* Quapropter cũ hac ipsa obligatione res transit ad Emptorem: ac proindè, si defraudator vectigalis non sit soluendo, vel effugerit, potest super ea fieri executio, alioquin si ab ipso recuperari debitum potest, executio super re illa, postquam in alterius dominium deuenit, fieri non poterit, vbi colligitur *ex authen. Hoc si debitor C. de pignorib. & hypoth.* Quod tamen intelligo, quando Emptor nesciebat, hanc rem esse hypothecatam: nam, si sciebat, videtur omnino liberum Venditori, vel actione personali agere contra Debitorem, vel hypothecaria contra possessorem, vt habetur *in l. distractus, C. eod.*

Dico secundò. Si vectigal ex ipsis mercibus debitum sit certa aliqua pars mercium, 4
adhuc probabilius est, quòd neque tunc Emptor teneatur in conscientia illud soluere, si sciat Venditorem non soluisse. Ita præter alios Mol. *loc. suprà cit. disp. 675.* contra Syluest. *verb. gabella 3. n. 18.* & multos alios.

Probatur: quia & onus soluendi tale vecti- 5
gal non pertinet ad Emptorem, sed ad Venditorem, qui tales res adducit, & vendit: cùm iste iubeatur quintam, vel decimam partem mercium soluere, non Emptor: ergo Emptor non tenetur.

Secundò, quia illa pars mercium, ante- 6
quam sit separata, & tradita, non magis pertinet ad Principem, cui vectigal soluendum est, quàm res vendita, & nondum tradita pertinet ad Emptorem; at si talis res secundo Emptori vendatur, & tradatur hic acquirit eius dominiũ, & non tenetur priori Emptori ad restitutionem: ergo similiter si merces illæ, in quibus conti- 7
netur hæc pars soluenda nomine vectigalis, vendantur, non tenebitur Emptor ad illius restitutionem in foro conscientiæ. Minor patet *ex tex. in l. quoties, C. de rei vindic. & l. traditionibus, Cod. de pactis.* Maior Probatur: quia 8
Princeps non habet dominium illarum mercium, vel alicuius partis illarum, antequam eã sit separata, ac tradita, sed solum habet ius ad aliquam partem indeterminatè, vt Venditor eam ipsi soluat, & præterea habet ius hypothecæ in totas merces, vt, vbicumque fuerint, possit ex eis partem suam desumere: Et in cætera omnia bona Venditoris, vti *suprà* dicebam.

Confirmatur, quia Emptor non tenetur ratione 9
acceptionis: quia emit à vero domino, & non fuit causa, cur is non solueret, vt suppono: Neque ratione rei acceptæ, quia iam acquisiuit dominium rei per emptionem, & possessionem: Neque ratione oneris impositi illi rei, quia hoc onus spectat ad Venditorem, non ad Emptorem, vti dictum est: ergo ex nullo capite tenetur.

Obiicies: illud debitum, seu onus est reale, & inhærens ipsis mercibus immediatè: ergo tenetur, quia res transit cum onere suo ad quemcumque possessorem.

Respondetur. Nego antecedens: quia, si- 10
cuti dicebam, illud onus soluendi tributum non est propriè reale, sed personale, solam personam venditoris afficiens: etsi secundariò possit dici reale, quatenus solutio non ex pecunia, sed ex rebus ipsis per Venditorem fieri debet.

Obiicies secundò. In *cap. cùm non sit, de* 11
decimis habetur, *fructus nondum decimatos* (scilicet ex quibus decimæ nondum sunt desumptæ) *non posse alienari absque onere decimarum*: & ratio redditur: *quia res transit cum onere suo,*

ergo idem dici debet de tributo, quando tributum est certa pars ipsius mercis.

Respondetur. Nego consequentiam, & disparitas est: quia decimas soluere iubetur non solùm is, qui fructus colligit sed etiam quilibet, ad quem fructus indecimati peruenerunt, vt colligitur *ex cit. cap. Cùm non sit.* & docet S. Tho. *2. 2. q. 87. ar. 2. ad 4.* Quin imo valde probabile est, hoc ipso, quo fructus extant, decimam partem indeterminatè ad Ecclesiam spectare, & in eius dominium cedere. Et quamuis Ecclesia dominium non haberet, tamen statuere potuit, vt ad quemcumque dominium rei indecimatæ peruenerit, is hoc ipso obligationem soluendi contrahat: quia sicut hypotheca, licet non sit, vel tota, vel ex parte in dominio Creditoris, tamen onus habet, vt, apud quemcunque fuerit, possit is ex ea petere solutionem, si opus fuerit: ita etiam res indecimata potuit immediatè habere onus, vt in cuiuscumque dominio fuerit, is teneatur ex ea decimam partem Ecclesiæ soluere. Simile quidem statui potuisset in illis tributis, vbi pars mercis loco tributi debetur, sed re ipsa non videtur ita statutum fuisse, ac proindè non est vtrobique eadem ratio.



DVBITATIO XV.

An, is cui Princeps debet, & non soluit, possit defreudatione vectigalis sibi compensare?

SVMMARIVM.

1. *Difficultas est solum si alteri sit venditum, vel locatum vectigal, qui certam pecuniæ summam Principi soluit, vt totum vectigalis emolumentum in se transferat.*
2. *Creditor Principis, si Princeps non soluat non potest secundum aliquos Doctores defraudatione vectigalis sibi compensare, quia non fit damnum Extorsoribus; sed vectigalium iustorum conductoribus, quibus nihil est imputandum.*
3. *Compensatio fieri non debet, nisi inter easdem personas; cum res inter alios acta aliis præiudicare non debeat.*
4. *Damnum, & pœna suos debet tenere auctores, & non alios.*
5. *Creditor Principis in casu de quo agitur potest in sententia Auctoris & plurimorum Doctorum fraudatione vectigalis sibi compensare.*
6. *Conductor verè damnum non patitur, cum ob multas subditorum fraudes, quas ipse interuenire rectè nouit, longè minoris conducat, quam vectigal valet.*
7. *Conductoris ius pendet à iure Principis; quia nihil est aliud quam facultas exequendi illud ius, quod Princeps habet.*
8. *Effectus pendens ab aliqua causa non potest habere maiorem vim, quam habeat ipsa causa, ex quo infertur quod conductor non habeat maius ius, quam habeat Princeps.*
9. *Idem dicendum in censibus, decimis, & similibus iuribus, quæ possunt locari; quia cum conductor ius habeat continuè pendens à iure Domini locantis, non plus potest, quam ipse Dominus posset, si ipsemet exigeret; secus tamen esset, si totum ius vectigalis, vel decimarum, vel census in alterum transferretur, non retento Dominio directo.*
10. *Vsufructu agri concesso fructus inde nati eo ipso spectant ad vsum fructuarium, vel conductorem; at si des vsum fructum census, quem ego tibi debeo, fructus illius census non efficiuntur vsufructuarij, sicut nec tui priusquam consignentur, sed manent in meo Dominio.*



Difficultas non est, si vectigal non 1
sit venditum, vel locatum alteri, sed Princeps ipse per suos Ministros illud immediatè exigit (tunc enim dubium non est, quòd possit is compensare) sed difficultas est, si alteri sit venditum, vel locatum, qui certam pecuniæ summam Principi soluit vt totum vectigalis emolumentum in se transferat. Hoc posito.

Quidam, vt Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 10. cap. 24. n. 383.* & Iacob. de Graff. *in decisionibus p. 1. lib. 2. cap. 125. num. 39.* negant:
Quia non fit damnum extorsoribus, sed vecti- 2
galium iustorum conductoribus, quibus nihil est imputandum, an iusta vectigalia exigant. &
compensatio non debet fieri nisi inter easdem 3
personas: Cum res inter alios acta aliis præiudicare non debent, *cap. penult. de re iudicat.* Et damnum, & pœna suos debet Authores te-
nere, & non alios, *cap. quæsiuit, de his, quæ* 4
fiant à maiori parte capituli. His tamen non obstantibus.

Respondetur, quod etiam in tali casu pos-
sit compensare, Syluester *verbo gabella. 3. qu.* 5
9. Petr. Navarr. *de restitut. lib. 3. cap. 1. num. 274.* Bonacin. *de contract. disput. 2. qu. 9. punct. 1. num. 12.* (qui citat Vasquez, & Molinam) Faust. *in Specul. confess. disp. 33. qu. 37.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. disp. 46. dub. 3. num. 2.* Vega *in summa p. 1. cap. 15. cas. 10.* Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. dub. 16.* & Molfes. *in summa tom. 2. tract. 12. cap. 22. n. 142. & 143.*

Probatur, quia conductor verè damnum 6
non patitur: cùm ob multas subditorum fraudes, quas ipse interuenire rectè nouit, longè minoris conducat, quàm vectigal valet: quapropter & in ipsomet contractu censetur esse paratus talia incommoda subire, præsertim cum ista interdum per mulctas, & rerum confiscationes in eos, qui deprehensi fuerint, soleat satis compensare.

Secundò probatur, quia ius, quod acquirit 7
conductor, pendet à iure Principis (nihil enim est aliud, quàm facultas exequendi illud

ius, quod Princeps habet) ergo non potest esse maius, quàm ius, quod habet Princeps (effectus enim ab aliqua causa pendens non potest habere maiorem vim quam habeat ipsa causa) ergo conductor non potest habere maius ius ad exigendum à subditis vectigal, quàm ipse Princeps in subditos haberet: ergo cum ratione iuris, quòd subditus vicissim in Principem habet, ius Principis compensatione elidatur, fit, vt in conductorem nullum ius exigendi à subditis vectigal transferre possit.


8 Idem dicendum in censibus decimis, & similibus iuribus, quæ possunt locari, quia, cum conductor ius habeat continuè pendens a iure domini locantis, non plus potest, quàm ipse Dominus posset, si ipsemet exigeret: ergo si is, cui ego debeo decimas vel pensionem annui census mihi vicissim aliquid alio nomine debeat, nec possim solutionem obtinere, potero ego compensare, non soluendò decimas, vel pensionem annui census. Quod si conductor damnum patiatur, repetat à locatore: quia non potest creditor locare ius, quod habet in Debitorem, cum damno Debitoris.

9 Secus tamen esset, si totum ius vectigalis, vel decimarum, vel census in alterum transferretur, non retento dominio directo, quia tunc, si prior Dominus mihi ex aliqua causa debitor fieret post illam alienationem, non possem ego compensare, non soluendo: nam solutio census nullo modo esset debita priori Domino, & is nullum ius ad illam haberet. Quod si tamen ante alienationem mihi debitor fuisset, possem etiam tunc, alia via non suppetente, compensare; quia non potuit transferre alteri ius in me, si ipse erat mihi debitor: transtulisset enim cum damno meo. Pari modo, si ego debeam tibi censum annuum, & tu mihi intuleris damnum iniustum, non potes illum censum ita vendere, vt ego compensatione vti non possim, si aliter mihi debitum à te non possim obtinere: nam hoc iniquum esset; quia ratione iuris, quod in te habeo possum ius tuum, quod habes in me, secundum iustam proportionem extinguere: sicut enim debitor non potest debitum transferre in alterum sine concessu creditoris, ita creditor non potest ius suum, quod habet in debitorem, in alterum transferre, quando ipse vicissim est debitor; quia id fieret cum alterius iniuria.

Obiicies. Si tu mihi sis debitor, & gratis, vel pretio des vsum fructum agri tui Titio, non possem ex eo clam mihi compensare; ergo neque ex censu, quem ego tibi debeo, si eius vsum alteri concesseris.

10 Respondetur. Nego consequentiam, & disparitas est: quia, concesso vsufructu agri tui, fructus indè nati eo ipso spectant ad vsufructuarium vel conductorem; at si des vsumfructum census, quem ego tibi debeo, fructus illius census non efficiuntur vsufructuarij, sicut nec tui, priusquàm consignentur, sed manent in meo Dominio: vnde retinendo illos, non vsurpo alienum, sed retineo meum, in quod tu quidem ius habebas, sed illud ius pari iure per compensationem extinguitur.

Ex dictis patet ad fundamentum Aduersariorum in principio positum.



DVBITATIO XVI.

An Actor Mercatoris teneatur ad restitutionem suo Domino, si cum Gabellario transigat, & sibi vectigal retineat?

SVMMARIVM.

1. *Actor si vel mandatum habet à Domino vt cum Gabellario transigat pro mercibus, quas inuecturus est, & tunc tenetur illud exequi si potest, alioquin tenebitur de damno, nam hoc ipso, quo suam operam locauit ad negotia alterius facienda tacitè se obligauit ad eius mandata implenda.*
2. *Actor si non habet mandatum à Domino, tunc vel vna cum Gabellario conducit gabellas, & sic potest accipere partem sibi obuenientem per societatem conductionis, tam ex mercibus sui Domini, quam ex mercibus alienis.*
3. *Actor Mercatoris vel non inita societate emit sibi totum ius Gabellarij, quod Gabellarius in merces Domini habiturus erat, & tunc non tenetur ad restitutionem, etiam si totum illud vectigal sibi retineat, non enim tenetur ex iustitia illud ius in vtilitatem sui Domini redimere.*
4. *Actor Mercatoris vel denique intendit absolutè redimere, seu extinguere obligationem vectigalis, & tunc non potest sibi vectigal illud retinere: quia non transtulit in se ius Gabellarij, sed illud extinxit, & Dominum suum illa obligatione liberauit.*



Respondetur, & Dico primò. Vel Actor mandatum habet à Domino vt cum Gabellario transigat pro mercibus, quas inuecturus est, & tunc tenetur illud exequi, si potest, alioquin tenebitur de damno, siue vectigal sibi retineat, siue non. 1

Probatur; quia hoc ipso, quo mandatum acceptauit, se obligauit ad illud exequendum. Quin imo hoc ipso, quo suam operam locauit ad negotia alterius facienda tacitè se obligauit ad eius mandata implenda, quæ ad eiusdem negotia pertinent; ergo, si omisit, ad restitutionem tenetur.

Dico secundò. Si non habet mandatum à Domino (vt quia dominus non cogitauit) tunc vel vnà cum Gabellario conducit gabellas, & 2

sic potest accipere partem sibi obuenientem per societatem conductionis, tam ex mercibus sui domini, quàm ex mercibus alienis.

Probatur; quia tunc est socius Gabellarij: sicut enim alius poterat cum Gabellario hanc societatem inire, ita etiam & ipse.

Non obstat, quòd sit Actor Mercatoris, quia non propterea factus est inhabilis ad alios contractus suo nomine ineundos.

3 Dicò tertiò, Vel, non inita Societate, emit sibi totum ius Gabellarii, quod Gabellarius in merces domini habiturus erat, & tunc non tenetur ad restitutionem, etiam si totum illud vectigal sibi retineat.

Probatur; quia non tenetur ex iustitia illud ius in vtilitatem sui Domini redimere, cum ad hoc non haberet mandatum: Neque inhabilis erat ad illud sibi emendum, quia sicut quiuis alius potuisset illud emere à Gabellario, ita etiam potuit & ipse.

4 Dico quartò Vel denique intendit absolutè redimere, seu extinguere obligationem vectigalis, & tunc non potest sibi vectigal illud retinere.


Probatur: quia non transtulit in se ius Gabellarii, sed illud extinxit, & Dominum suum illa obligatione liberauit: hoc enim ipso, quo quis intendit redimere aliquam obligationem, intendit eam extinguere, vt desinat esse obligatus, qui prius obligatus erat; Quapropter aliud est transferre in se ius Gabellarij, aliud redimere obligationem sui Domini; quia potest ius Gabellarij in Actorem transferri, manente obligatione in Domino non tamen potest hæc obligatio redimi, vel ius Gabellarij extingui, nisi Dominus liberetur: ergò in hoc casu tenetur Domino gabellas redemptas, & acceptas restituere.




DVBITATIO XVII.

An Ecclesiastici sint exempti à Vectigalibus? Et an in omni casu?

Respondetur. De hac re satis dixi *in libro de Immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica cap. 1. 4. & 5.*






DVBITATIO XVIII.

Quo iure Ecclesiastici sint exempti à Vectigalibus?

Respondetur. De hac re etiam satis dixi *cit. lib. de Immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica cap. 1. dubit. 2.*



DVBITATIO XIX.

Quinam Ecclesiastici sint exempti à Vectigalibus? vbi etiam, quatenus spectat ad priuilegium fori, & Canonis?


Respondetur. De hac re dixi ibidem *cit. cap. 1. 4. & 5.*



DVBITATIO XX.

An Princeps possit grauare exteros?

Respondetur. De hac re dixi supra *dubit. 7. & etiam supra cap. 2. dubit. 21. per totam.*






DVBITATIO XXI.

An, si Princeps grauet subditos iniustis Gabellis, nouas imponendo, vel veteres augendo, non solum peccet contra Iustitiam, sed etiam sit excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini?

RESpondetur. De hac re etiam dixi *suprà cit. lib. de Immunit. & Iurisdict. Eccles. cap.* 5. & dicam *in tractatu de censuris, in Bulla Cœna.*



DVBITATIO XXII.

An Retrahens rem venditam teneatur soluere gabellam? Vbi multa alia scitu digna.

SVMMARIVM.

1. *Retrahens rem venditam tenetur soluere Gabellam; quia retractus est prioris contractus emptoris subrogatio.*
2. *Retrahens rem venditam probabilius est quod teneatur soluere non duplicem; sed vnam tantum gabellam.*
3. *Gabella vna tantùm debetur ex vnius contractus in alium subrogatione.*
4. *Retractus est alienatio necessaria, cum sit contra voluntatem Emptoris ex beneficio legis, & ex contractu necessario non debetur Gabella.*
5. *Retractus durante tempore si primus Emptor alteri fundum patrimonialem vendiderit, & hic alteri, & tamen intentetur retractus, vna tantum debetur Gabella contra aliquos Doctores; ex prima venditione, reliquæ enim omnes tacitam conditionem habent, nisi retractus succedat, & retrahens loco primi Emptoris subrogetur.*
6. *Nulla gabella debetur ex contractu, qui ex Iuris dispositione resoluitur, & fit nullus adueniente conditione in eo imbibita.*
7. *Retrahens tenetur soluere etiam in casu, quo primus Emptor non soluerit Gabellam debitam, quia loco primi Emptoris subrogatur; neque aliquid ab ipso exigitur, quod ex obligatione soluendum non esset.*
8. *Retrahens si primus Emptor sit exemptus à solutione Gabellæ, licet non teneatur, secundum aliquos soluere Gabellam Emptori, tenetur tamen soluere fisco; quia exemptio à solutione gabellæ, quam prior emptor habet, est personalis, nec transmissibilis in alios.*
9. *Opposita opinio, nullam scilicet ex dicto retractu deberi Gabellam, est satis probabilis: nam licet exemptionem à gabella non habeat contractus, quatenus talis est, sed quatenus à tali persona procedit, id tamen sufficit vt retractus eamdem exemptionem habeat, cum non sit nouus contractus; sed pracedens in distinctam personam subrogatio.*
10. *Retrahens an si Dominus laudemium, & fiscus Gabellam Emptori remiserit, teneatur illa soluere Emptori eorum solutionem exigenti, quidam negant, & quidam affirmant & Cur.*

LOquor pro iis locis, in quibus pro contractu soluitur Gabella, vt in Hispania. Hoc posito.

Respondetur affirmatiuè. Patet ex *l.* 9. *tit.* 11. *lib.* 5. *compilat.* & Probatur; quia retractus est prioris contractus emptionis subrogatio: ergò iisdem oneribus, & conditionibus subiici debet. 1

Petes. An teneatur soluere vnam, vel duplicem Gabellam? 2

Respondetur, quod (licèt prima facie videatur teneri soluere duplicem, vnam ex contractu, alteram ex distractu, quando lege statutum est ex omnibus contractibus Gabellam deberi) probabilius tamen sit, vnam tantum teneri soluere. Ita Mol. *disp.* 371. & Gomez *leg.* 70. Tau. *num.* 3.

Probatur; quia retractus non est nouus contractus, sed prioris subrogatio; At ex vnius contractus in alium subrogatione vna tantùm debetur Gabella, vt diffusè probat Bald. *in l. Cum dotem C. de iur. dotium, num.* 4. ergò. 3

Secundò; quia retractus est alienatio necessaria, cum sit contra voluntatem emptoris ex beneficio legis; sed ex contractu necessario non debetur gabella: ergo. 4

Petes secundò. Quid dicendum, si, durante tempore retractus, primus emptor alteri fundum Patrimonialem vendiderit, & hic alteri, & tandem intentetur retractus. 5

Respondetur, quod (licet nonnulli, quos sequitur Lasarte *de* 10. *vendit. cap.* 13. *num.* 23. puteni, tot Gabellas deberi, quot fuerint factæ venditiones) probabilius tamen sit cum Mol. *cit. disp.* 371. *circa fin.* vnam tantum deberi Gabellam ex prima venditione.

Probatur: quia reliquæ omnes tacitam conditionem habent, nisi retractus succedat, & retrahens loco primi emptoris subrogetur (vt rectè probat Mol. vbi suprà) At ex contractu, qui ex Iuris dispositione resoluitur, & fit nullus, adueniente conditione in eo imbibita, nulla Gabella debetur, vt per se patet, & admittit Lasarte *loco suprà cit.* ergò. 6

Petes tertiò; An in casu, quo primus Emptor non soluerit gabellam debitam, retrahens teneatur soluere? 7

Respondetur affirmatiuè; quia loco primi Emptoris subrogatur; neque aliquid ab ipso exigitur, quod ex obligatione soluendum non esset: Per accidens enim est, quòd primus Emptor, in cuius locum retrahens subrogatur, gabellam non soluerit. Videri poterit Matien. *leg.* 7. *Gloss.* 3. *num.* 28.

8 Petes quartò. An, si primus Emptor sit exemptus a solutione gabellæ soluere teneatur retrahens?

Quidam quos sequitur Tiraquell. *lib.* 1. *de retractu*, §. 29. Gloss. 4. *num.* 3. & Matien. *cit. Gloss.* 3. *num.* 30. putant, quòd talis, estò non teneatur soluere gabellam Emptori; quia ipse non soluit, nec sua interest illa solutio, tamen teneatur soluere Fisco, quia exemptio à solutione gabellæ, quam prior Emptor habet, est personalis, nec transmissibilis in alios (quapropter etsi prima venditio transferatur in consanguineum retrahentem, non transfertur exemptio gabellæ) ergo retrahens tenetur gabellam cuilibet venditioni debitam soluere. His tamen non obstantibus.

9 Respondetur, oppositum etiam esse satis probabile, nullam scilicet ex prædicto retractu deberi gabellam.

Probatur; quia in retractu non spectatur, an à solutione gabellæ retrahens exemptus, vel non exemptus sit, sed an primus Emptor gabellam soluerit, vel non soluerit?

Secundò, quia retractus est prioris contractus subrogatio: ergo habere debet easdem qualitates, & conditiones, ac habet prior contractus.


Et licèt exemptionem à gabella non habeat contractus, quatenus talis est, sed quatenus à tali persona procedit, id tamen sufficit, vt retractus eamdem exemptionem habeat; cum non sit nouus contractus, sed præcedentis in distinctam personam subrogatio: nam ideo Clericus, aliusque à gabella exemptus retrahens tenetur soluere gabellam, quam primus Emptor soluit, vel soluere tenebatur, quia loco primi Emptoris succedit: ergo priore Emptore non soluente, neque soluere obligato, retrahens non tenetur soluere gabellam.

10 Petes quintò. An, si Dominus Laudentium, & Fiscus gabellam Emptori remiserit, retrahens teneatur illa soluere Emptori eorum solutionem exigenti?

Quidam negant: quia illa remissio est quædam gratuita donatio, & à venditione omnino distincta: ergo non tenetur retrahens loco talis Emptoris subrogatus soluere.

Alij affirmant; quia illa gabellæ remissio est gratia Emptori facta, ob quam non videtur excludendus, quin gabellam sibi donatam à retrahente exigat, sicuti si eam soluisset, & solutam illi Fiscus reddidisset. Videri poterit Matien. *loco supra cit.*

Vtraque opinio probabilis mihi videtur.



DVBITATIO XXIII.

An ex emptione, & venditione, tametsi nulla rei vel pretij traditio subsecuta fuerit, & postmodum fuerit dissoluta, debeatur gabella.

SVMMARIVM.

1. *Gabella debetur gabellario ex emptione, vel venditione, tametsi nulla rei, vel pretij traditio subsecuta fuerit, & postmodum fuerit dissoluta; quia est perfecta venditio, & ius Principi acquisitum, cui contrahentes præiudicare non possunt nouo suo dissensu; nisi forsan hic dissensus sic in continenti fuerit appositus; vt prudentis arbitrio viri non censeatur venditio facta.*
2. *Gabella duplex debetur, si dissoluatur venditio vtrinque perfecta, & completa; quia est duplex venditio.*
3. *Gabella vna tantum debetur si contractus venditionis, cum non est vtrinque perfecta, & completa, sed solum ex vna parte, dissoluatur. Quæ tantum priori correspondeat venditioni, non autem dissolutioni, vel augeatur, vel diminuatur pretium.*



Respondetur affirmatiuè, quia est perfecta venditio, & ius gabellario acquisitum, cui contrahentes præiudicare non possunt nouo suo dissensu; nisi forsan hic dissensus sic incontinenti fuerit appositus, vt prudentis arbitrio viri non censeatur venditio facta, sicuti docent Gomez. 2. *variar. cap.* 2. *num.* 21. & Molin. *disput.* 373. 1

Quod, si dissoluatur venditio vtrinque perfecta, & completa, non solùm vna, sed duplex debetur gabella; quia est duplex venditio; Lasart. *decima vendit. cap.* 14. *num.* 8. & Molin. *cit. disput* 373. *circa finem.* 2

At, si dissoluatur, cum non est vtrinque perfecta, & completa, sed solùm ex vna parte, vnica tantùm debetur gabella, priori venditioni correspondens, nulla tamen correspondens dissolutioni; tamen si dissoluatur contractus diminuendo pretium, vel augendo mercem, vel è contra; Quia esto in rigore videatur nouus contractus, communiter tamen idem, etsi variatus, reputatur contractus, ergo vnica tantum debetur gabella; aucta tamen, si pretium fuerit auctum; iidem Doctores *in locis suprà citatis.* 3



DVBITATIO XXIV.

An ex venditione facta vi pacti reuendendi debeatur gabella?

SVMMARIVM.

1. *Gabella nulla debetur ex reuenditione facta ex vi pacti reuendendi; non enim est propriè venditio, sed prioris venditionis decisio, & resolutio, neque voluntaria, sed necessaria ex vi pacti in priori venditione iuncti.*
2. *Secus videtur dicendum si contrahentes conuenirent de redimenda re diuerso pretio iuxta qualitatem, & æstimationem rei tempore redemptionis.*
3. *Item secus dicendum si pactum esset de redimenda re intra quinquennium, & antequam illud esset lapsum ad aliud quinquennium prorogaretur redemptio.*
4. *Item secus dicendum si conuenires cum Emptore non de reuendenda re, sed casu, quo illam reuendere voluerit, tu sis in emptione præferendus.*


1 RESpondetur: licet ex venditione sub pacto reuendendi, cuilibet venditioni, & emptioni apposita, debeatur gabella, quia est vera, & absoluta venditio, quàmuis sub pacto, & conditione resoluenda, tamen ex reuenditione postmodum subsecuta ex vi prædicti pacti nulla debetur gabella, Molin. *disput.* 374. *circa finem.* Gomez. *lib.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 31. Pinell. *in l.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* 2. *par. cap.* 3. *num.* 36. & alii.

Probatur, quia hæc non est propria venditio, sed prioris venditionis decisio, & resolutio, nec voluntaria, sed necessaria ex vi pacti in priori venditione initi.

2 Quamuis Secus videatur dicendum, si contrahentes conuenirent de redimenda re diuerso pretio, iuxta qualitatem, & æstimationem rei tempore redemptionis: Quia tunc conuenirent de celebrando nouo contractu, nouaque venditione, & emptione.

3 Item secus dicendum, si pactum esset de redimenda re intra quinquennium, & antequam illud esset lapsum, ad aliud quinquennium prorogaretur redemptio; Quia illa prorogatio præstat, redemptionem postmodum subsecutam non fieri vi Primæ venditionis, & ex pacto in ea imbibito, sed vi secundi pacti, ac proinde censendus est nouus contractus.

4 Item secus dicendum si conueniret cum Emptore non de reuendenda re, sed casu quo illam reuendere voluerit tu sis in emptione præferendus: quia Emptor eam tibi reuendens, licet eodem pretio, ac illam accepit, nouam instituit venditionem subiectam gabellæ, Lasart. *cit. cap.* 14. & Molin. *cit. disp.* 374. *circa finem.*



DVBITATIO XXV.

An ex venditione sub pacto legis commissoriæ, & adiectionis in diem, aut ex pacto reuendendi adiecta clausula, Quòd res sit inempta iuxtà l. si à te C. de pact. int. empt. & vendit. *debeatur gabella?*

SVMMARIVM.

1. *Difficultatas procedit de hac venditione resoluta ex vi pacti in venditione appositi.*
2. *Gabella secundum aliquos debetur etiam ex venditione sub pacto legis commissoriæ, & adiectionis in diem, aut ex pacto reuendendi adiecta clausula quod res sit inempta; quia ille contractus fuit purè, & simpliciter celebratus.*
3. *Grauatus restituere rem sub conditione, si eam interim vendat, alienatio valet, & gabella debita est; tamen si postea adueniente conditione resoluatur contractus, & alienatio.*
4. *opinio in oppositum dicitur probabilior, ex vi scilicet talis contractus nullam deberi gabellam; adeò quod si fortè facto contractu fuerit soluta, eo resoluto repeti possit tamquam indebita.*
5. *Resolutio illius contractus, quæ ex prædictis pactis efficitur, est ita efficax vt ex iuris fictione contractus reputetur numquam esse factus.*
6. *Fundamentum Aduersariorum reijcitur.*
7. *Gabella debetur ex prædicta traditione, licet non debeatur ex venditione resoluta: quia est noua venditio nullo adiecto pacto.*

DIfficultas procedit de hac venditione resoluta ex vi pacti in venditione appositi. Hoc posito. 1

Quidam (quos sequitur Gomez. 2. *variar. cap.* 2. *num.* 81. *circa finem*) affirmant: Quia ille contractus fuit purè, & simpliciter celebratus, & per consequens fuit ius Fisco acquisitum Et licet postea resoluatur quasi factus non fuisset, id intelligi debet respectu contrahentium, non autem respectu Fisci, cui ius est acquisitum; Et adducunt textum in *l.* 3. *ff. de contrahend. emption.* & textum *in l.* 1. *ff. de leg. commissor.* & textum *in l.* 2. *ff. de in diem adiectione*, & Bartolum *in l. finali*, §. 2


sin autem Cod. communia de legatis; vbi ait, quod si grauatus restituere rem sub conditione, eam interim vendat, alienatio valeat, & gabella debita sit; tametsi postea, adueniente conditione, resoluatur contractus, & alienatio. His tamen non obstantibus.

4 Respondetur, probabilius esse oppositum, ex vi scilicet talis contractus nullam deberi gabellam: Adeò quod si fortè, facto contractu, fuerit soluta, eo resoluto, repeti possit tamquam indebita: Atque ita ex communi sententia Doctorum tenet Lasarte, *de decima venditione cap.* 14. *num.* 19. Molin. *disp.* 378. Lessius *de Iustitia & Iure lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 15. *num.* 127. & alij, quos refert ipse Lomez *loco suprà cit.*

5 Probatur, quia resolutio illius contractus, quæ ex prædictis pactis efficitur, est ita efficax, vt ex iuris fictione contractus reputetur nunquam esse factus: At si contractus numquam esset factus, non deberetur gabella, ergo neque debetur, eo facto, & resoluto.

6 Ad fundamentum aduersariorum respondetur, gratis ipsos asserere resoluendum esse contractum respectu contrahentium, & non respectu fisci. Siquidem eodem modo Emptori, ac Fisco ius acquisitum est, infirmum scilicet, & ex vi tituli, quo dominium acquiritur, resoluendum. Neque contrarium probant leges, quas adducunt aduersarij. Neque casus *citata l. finalis* facit ad rem quia illa alienatio, & venditio vera est, neque resoluitur ex pacto in ea imbibito, sed ex Testatoris voluntate, qua grauatus fideicommissum restituere tenetur.

7 Cæterum dicendum est, quod (cum venditio resoluitur ex pacto adiectionis in diem, & res traditur offerenti meliorem emptionem) esto ex venditione resoluta non debeatur gabella, debetur tamen ex prædicta traditione: Quia est noua venditio nullo adiecto pacto, vt rectè dixit Lasarte *cit. cap.* 14. & Molin. *cit. disput.* 378. *in fine.*



DVBITATIO XXVI.

An ex constitutione census reseruatiui debeatur gabella?

SVMMARIVM.

1. *Gabella deberetur ex constitutione census reseruatiui, si verum esset, quod talis census constituatur permutatione, vel venditione; at quia probabilius est dictum censum constitui donatione sub modo, nequaquam debetur, quæ tamen venditioni, emptioni, & permutationi imponitur.*
2. *Gabella debetur, si cum constituis censum reseruatiuum concedis censuario facultatem redimendi pensionem, facta redemptione; quia tunc vera emptio constituitur.*
3. *Gabella soluenda est gabellario temporis creationis census: quia eo tempore contractus emptionis sub conditione celebratus est.*
4. *Secus autem est, quia illa conuentio non est venditio, sed obligatio vendendi.*


Respondetur; Si vera esset sententia eorum, qui tenent, talem censum constitui permutatione, vel venditione, deberetur quidem Gabella, at quia probabilior est sententia eorum, qui docent dictum Dominum censum constitui donatione sub modo, nequaquam debetur Gabella, quæ tamen venditioni, emptioni, & permutationi imponitur. Ita ex communiori sententia Doctorum docet Lasarte *de decima vendit. cap.* 10. *num.* 50. & 51. Auendan. *de censib, cap.* 15. *num.* 8. & Molin, *disput.* 382. 1

Quod, si cum constituis censum reseruatiuum, concedis censuario facultatem redimendi pensionem, facta redemptione, Gabella debetur; quia tunc vera Emptio constituitur, siquidem Pretio à te dato redimis obligationem Pensionis soluendæ; Lasarte, Auendanus, & Molina *in locis suprà citatis.* 2

An autem soluenda sit Gabella Gabellario temporis creationis census, vel temporis redemptionis?

Quidam, vt Lasarte *cit. cap.* 10. *num.* 37 putant, deberi Gabellario eius temporis, quo census creatus est; quia eo tempore contractus Emptionis sub conditione factus est, quippe conuenisti cum censuario de remittenda pensione, si pretium soluerit

At, vt rectè aduertit Auendanus *cit. cap.* 15. *num.* 13. illa conuentio non est venditio, sed est obligatio vendendi, & facultas emendi censuario concessa. 4



DVBITATIO XXVII.

An ex censu consignatiuo debeatur Gabella, & à quibus personis, & in quo loco soluenda?

SVMMARIVM.

1. *Gabella debetur ex censu consignatiuo; quia in censu consignatiuo interuenit vera emptio, & venditio.*
2. *Id habet locum non solum in censu perpetuo; sed etiam in censu vitalitio contra Sarmientum.*

3. *Id habet locum quamuis nulla res fuerit hypothecata contra Acebedum.*
4. *Gabella debetur non solum ex constitutione noui census, sed etiam ex venditione census iam constituti, & in alterum translati.*
5. *Gabella debetur ex quantitate, & æstimatione census, ac proinde ex integro pretio conuento, eo quod totius rei pretium, & æstimationem census Emptor soluerit.*
6. *Opposita sententia neque videtur improbabilis, & cur gabellæ solutio inspecto iure communi,*
7. *pertinet ad Emptorem; in Regno tamen Castellæ hoc ius competit Venditori.*
8. *Gabellæ, locus, vbi solui debet, est vbi bona censui specialiter hypothecata sita sunt; si vero nulla sint bona specialiter hypothecata, sed solum generaliter, locus solutionis est locus contractus.*
9. *Venditio, vel permutatio censuum regalium eximitur ab hac obligatione soluendi gabellam.*
10. *Gabella locum non habet, cum Rex hos redditus vendit, quia Rex, cui gabella competebat, vtpotè Venditor reddituum, obligari non potest.*

1 Responddetur, & dico primò. Ex censu consignatiuo debetur Gabella; quia in censu consignatiuo interuenit vera emptio, & venditio ... debetur Gabella, quæ debetur ex emptione venditione, vel permutatione, vt in Hispania ex *lege Regia prima, & secunda tit. 7. lib. 9. collect.* Ita Lasarte *de decima vendit. & permutat. cap. 10. num. 4. & seqq.* Roderic. *de redditib. lib. 2. quæst. 4.* & Molin. *disput. 384.*

2 Adde contra Sarmientum *7. select. cap. 1. num. 40.* Id locum habere, non solùm in censu perpetuo redimibili, sed etiam in censu vitalitio; quia in tali censu interuenit venditio Iuris exigendi pensionem, durante vita, Lasarte *cit. cap. 10. num. 38.* Auendam *de cens. cap. 93. num. 2.* Molina *cit. disput. 384.* & Felician. *de censib. lib. 2. cap. finali num. 2. & 3.*

3 Adde secundò contra Azebedum *l. 1. tit. 17. lib. 9. collect. num. 110. & seq.* Id etiam locum habere, quamuis nulla res fuerit hypothecata quia satis est ad venditionem, quod censuarius pro pecunia accepta subeat obligationem soluendi vitalitiam pensionem, Auendanus, & Felicianus *in locis supra citatis*, vbi rectè aduertunt, deberi Gabellam ex censu, siuè perpetuo, siue vitalitio, tamquam ex re immobili.

4 Adde tertiò, deberi Gabellam, non solum ex constitutione noui Census, sed etiam ex venditione census iam constituti, & in alterum translati; Quia & hæc est vera emptio, & venditio Lasart. *vbi suprà num. 8.* & Auendan. *num. 3.* quod tamen intellige, cum ob pecuniam acceptam transfertur.

An autem (si rem censui suppositam venderes eo pacto, vt loco pretij, Emptor ad solutionem census obligetur) pro tali contractu Gabella debeatur ex quantitate, & æstimatione census, vel solum ex residuo, si quid tibi vlterius solutum est?

Quidam, vt Molina *disput. 384.* affirmant, 5
deberi ex quantitate, & æstimatione census, ac proinde ex integro pretio conuento, eo quod totius rei pretium, & æstimationem census emptor soluerit: Perinde enim est, te ab onere soluendi censum liberare, ac pecuniam, qua onus illud æstimatur, soluere. His tamen non obstantibus.

Respondetur, etiam Oppositum, quod docet 6
Azebed. *dicta l. prima num. 17. lib. 9. collect. 117.* & Felician. *de censib. lib. 2. cap. finali num. 11.* non esse improbabile; Quia quoad æstimationem census attinet, non videtur celebrata venditio: Nam nihil accipis, sed rem censui affectam alteri sub eo onere donas, & in eum obligationem soluendi transmittis, tranmissa re censuali.

Dico secundò solutio Gabellæ, inspecto 7
Iure communi, pertinet ad emptorem, vt rectè probat Roderic. *lib. 2. de reddit. quæst. 4. num. 6. & seq.* per text. *in l. debet ff. de edilit edict.* In Regno tamen Castellæ hoc ius competit venditori, Roderic. *in loco suprà cit.* & alij passim *ex l. prima tit. 17. lib. 9. nouæ collect.*

Dico tertiò, locus vbi Gabella solui debet, 8
est, vbi bona censui specialiter hypothecata sita sunt, si verò nulla sint bona specialiter hypothecata, sed solum generaliter, locus solutionis est locus contractus. Ità ex communiori sententia Doctorum docet Azebed. *num. 118.* Felician. *num. 5.* & Auendan. *cap. 93. num. 4.*

Cæterum ab hac obligatione soluendi Ga- 9
bellam eximitur venditio, vel permutatio censuum Regalium; quia esto ex rigore Gabella deberetur, tamen in fauorem donationum Regiarum non exigitur.

Prætereà, cum Rex hos redditus vendit, 10
Gabella locum non habet; quia Rex, cui Gabella competebat, vtpotè venditor reddituum, obligari non potest: ac proindè tales redditus, licet in alterum venditione transferantur, à Gabella soluenda in perpetuum eximuntur, Lasart. *de decima vendit. & permut. cap. 10. num. 76.* Molin. *cit. disput. 384. in fine*, & Auendan. *cap. 95. num. 6.*




DVBITATIO XXVIII.

An ex æstimatione rerum dotalium, quæ emptionem constituit, debeatur Gabella?

SVMMARIVM.

1. *Gabella non debetur ex æstimatione rerum dotalium, quæ emptionem constituit, idque fauore dotis.*
2. *Amplia, etiam si à principio certa quantitas in dotem promissa esset, quæ postea in rebus æstimatis solueretur; quia harum rerum traditio est dotis æstimatæ constitutio.*
3. *Amplia, etiamsi ex interuallo fundus dotalis æstimaretur à marito pro certa pecunia contra aliquos tenentes gabellam tunc deberi; quia probabilius ea non debetur, cum illa æstimatio nullius sit effectus.*

1 RESpondetur negatiuè: Quod fauore dotis factum est, Doctores communiter *ex l. 35. tit. 8. lib. 9. noua collect.*

2 Quod extendi debet, etiamsi à principio certa quantitas in dotem promissa esset, quæ posteà in rebus æstimatis solueretur; Quia harum rerum traditio est dotis æstimatæ constitutio, ergo dotis priuilegio gaudere debet, Lasarte. *vbi suprà cap. 20. num 36.* Molin. *disput. 426.* & Rabell. *de obligation. iustit. 2. parte lib. 5. qu. 2. num. 26.*

3 At si ex interuallo Fundus dotalis æstimaretur à marito pro certa pecunia, licet quidam, vt Lasarte, putent validam esse æstimationem, & gabellam deberi, quia illa non est dotis constitutio, cui priuilegium exemptionis à gagabella conuenit, sed est dotis constitutio, æstimatio, & venditio: Nihilominus probabilius Couarr. *pract. cap. 28. num. vltimo,* Molina *cit. disput. 426.* & Rabell. *lib. 5. qu. 2. nu. 26.* censent, non deberi gabellam: Quia illa æstimatio nullius est effectus: Nam cum fundus dotalis, etiam ex consensu vtriusque coniugis, alienari non possit, non potest marito æstimatus concedi, alias hac via alienationi subiectus esset.

DVBITATIO XXIX.

An is, cuius bona ob non solutum vectigal, vel ob res importari, vel asportari prohibitas, sunt ipso facto commissa, seu addicta Fisco, Vectigalium conductori, vel alteri, si hoc fraude, vel mendaciis impediat, teneatur ad restitutionem.

SVMMARIVM.

1. *Impediens fraude, vel mendaciis rem debitam Fisco, vel vectigalium conductori ob non solutum vectigal, vel ob res importari, vel asportari prohibitas, tenetur ad restitutionem secundum aliquos.*
2. *Impediens vi, vel fraude, vel mendaciis rem non debitam v. g. legatum, quod Testator volebat alteri relinquere, tenetur ad restitutionem, & à fortiori quando res est debita.*
3. *Fiscus, cui constaret Reum iuridicè interrogatum negasse veritatem, potest vti compensatione occulta bonorum, quæ ipsi Fisco in pœnam applicanda erant; eo quod Reus ius ipsius Fisci iniustè impedierit.*
4. *opposita opinio est probabilior; quia cum occupatio bonorum sit constituta in pœnâ criminis, & pœna non debeatur ante sententiam saltem declaratoriam criminis, clarè patet quod impediens in casu, de quo agitur non teneatur ad restitutionem, &c.*

QVidam, vt Sotus *de instit. lib. 1. qu. 6. art.* Castr. *de leg. pœnal. lib. 2. cap. 15.* Molin. *de Iust. tom. 1. tract. 2. disput. 95. n. 36.* & Layman: *lib. 3. sect. 5. tractatu 2. cap. 7. num. 4.* affirmant; quia iniustè impedit pœnam Fisco, vel alteri applicandam, & debitam per sententiam: Tum quia qui iniustè impedit vi, vel fraude, vel mendaciis rem non debitam, v. g. Legatum, quod Testator volebat alteri relinquere, tenetur ad restitutionem: Ergo multò magis tenebitur, quando res est debita, sicuti contingit in casu nostro: Quapropter infert Molina *loc. suprà cit.* Integrum esse Fisco, cui constaret, reum iuridicè interrogatum negasse veritatem, vti compensatione occulta bonorum, quæ ipsi Fisco in pœnam applicanda erant. eò quòd reus ius ipsius Fisci iniustè impedierit. His tamen non obstantibus. 1 2 3

Respondetur oppositum (quod docent Nauarr. *cap. 18. num. 49. & lib. 5. consil. 4. de Iniuriis,* Salon. *qu. 62. contr. 2. art. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 8. qu. 5.* Vasquez *p. 2. disput. 175. cap. 12.* Lessius *de Iust. & Iur. lib. 2. cap.* 4

31. *dub.* 8. S[...]ez *lib.* 10. *de matrim. disput.* 8. *num.* 14 [...]2. *moral. cap.* 22. *num* 22. Tannerus *in* 2 [...]*put.* 4. *qu.* 7. *dub.* 2. *num.* 76. & Carbonn[...] *de restitut. qu.* 31. *conclus.* 5.) esse probabilius.

Probatur, quia huiusmodi occupatio bonorum est constituta in pœnam criminis, sed pœna non debetur ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, vt communiter fatentur Doctores: Immò non debetur antè sententiam constitutam pœnæ, per quam ipsa pœna iubeatur solui: Ergo, sententia non sequuta, non debetur pœna.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Hareticus, vel quicumque similis Reus, si fraude, mendaciis, vel falsis testibus se defendat, & impediat sententiam, aut confiscationem bonorum, non tenetur ad restitutionem.*
2. *Adultera, si legitimè accusata de adulterio, falsis se tueatur testibus, vel vicissim de marito adulterium falsis allegationibus ostendat, non tenetur ad dotem reddendam licet in conscientia teneatur ad litis expensas.*
3. *Amplia, etiamsi appellet à sententia iusta aduersus ipsam latam, etsi iniquè, cum appellatio suspendat sententiam.*
4. *Iudex si in proferenda sententia fuerit negligens, & non condemnans, non tenetur ad mulctam pecuniariam Fisco, vel parti læsæ soluendam.*
5. *Idem dicendum de Procuratore Fiscali, si non accuset, eo quod ad huiusmodi mulctam nondum est acquisitum ius Fisco, vel parti læsæ.*
6. *Custodes Ciuitatum, syluarum, vel fluminum, &c. si transgreßores ad Magistratum deferre negligant, non tenentur ad soluendam illam pœnam pecuniariam, qua ad fiscum, &c. peruenißet.*
7. *Idem dicendum est de æstimatoribus publicis rerum venalium, neque enim hi tenentur ad mulctam pecuniariam, quam soluerent denunciati Rei fisco.*
8. *Ciuitas neque tenetur ad restitutionem si impediat fraude, vel etiam vi direptionem eidem in pœnam iustè à Principe inferendam.*
9. *Idem dicendum de testibus, si falsò testimonio impediant sententiam, & confiscationem, vel mulctam pecuniariam, fisco vel alteri applicandam, idemque dic de principali auctore, & mandante.*
10. *Impediens fraude aliquam denunciationem, vel ne delinquens deueniat ad manus iustitiæ, neque occultans, aut faciens vt fugiant Officiales tempore syndicatus, tenetur ad restitutionem pœnæ supradictis personis imponendæ.*
11. *Pœna legalis non solum & iudicialis; sed etiam conuentionalis inter partes posita non est in conscientiâ soluenda ante Iudicis sententiam.*
12. *Pœna cum sit contra voluntatem, eius conditio naturalis postulare videtur, vt non sit debita solutio, nisi quis cogatur.*
13. *Excipe nisi certò consuetudo sit in contrarium, quæ non requirat condemnationem Iudicis; sed solam requisitionem Partis.*

Ex dictis sequitur, quod Hæreticus, vel quicumque similis Reus, si fraude, mendaciis, vel falsis testibus se defendat, & impediat sententiam, aut confiscationem bonorum, non teneatur ad restitutionem. 1

Sequitur secundò, quod neque adultera, si legitime accusata de adulterio falsis se tueatur testibus, vel vicissim de marito adulterium falsis allegationibus ostendat, ideoque absoluatur (licet quidem teneatur in conscientia ad expensas litis marito soluendas) non tamen teneatur ad dotem reddendam, quam maritus alioquin propter mulieris adulterium lucrari deberet. Similiter, si à sententia iusta aduersus ipsam lata appellet, & si iniquè, cum Appellatio suspendat sententiam. 2 3

Sequitur tertiò, quod neque Iudex, si in proferenda sententia fuerit negligens, & non condemnans, teneatur ad mulctam pecuniariam Fisco, vel parti læsæ soluendam. Idem dicendum de Procuratore fiscali, si non accuset, eo quod ad huiusmodi mulctam nondum est acquisitum ius Fisco, vel Parti læsæ, sicuti dicebam, Et non satis constat, debere Iudicem, & Fiscalem propriè ex officio, & iustitia huiusmodi fortuita Fisco vel Parti læsæ emolumenta procurare. 4 5

Sequitur quartò, quod neque custodes Ciuitatum, Syluarum, vel fluminum, etsi transgressores ad Magistratum deferre negligant, teneantur ad soluendam illam pœnam pecuniariam, quæ alioquin ad Fiscum, vel ad Dominos peruenisset. 6

Sequitur quintò, quod idem dicendum sit de æstimatoribus publicis rerum venalium, quod scilicet neque hi teneantur ad mulctam pecuniariam, quam soluerent denunciati Rei fisco, vel aliis personis. 7

Sequitur sextò, quod neque ad restitutionem teneatur Ciuitas si fraude, vel etiam vi impediat direptionem, vel vastationem suarum rerum per milites iussu Principis in pœnam iustè inferendam. 8

Sequitur septimò, quod idem dicendum sit de testibus, si falso testimonio impediant sententiam, & consequenter confiscationem, vel mulctam pecunianiam Fisco, vel alteri applicandam, quod neque scilicet, sicuti Principalis Auctor, vel mandans, teneantur ad eius restitutionem. 9

Sequitur octauò, quod neque, qui impedit fraude, aliquam denunciationem, vel ne delinquens deueniat ad manus Iustitiæ; Neque qui occultat, vel facit, quod fugiant officiales tempore Syndicatus, teneatur ad restitutionem pœnæ supradictis personis imponendæ; quia ante condemnationem Fiscus, vel quis- 10


alter nullum ius ad illam habet, vti *suprà* dicebam.

11 Quod adeò verum est, vt nonnulli teneant, non solum pœnam legalem, & iudicialem, sed etiam conuentionalem inter partes positam non esse in conscientia soluendam ante Iudicis sententiam; atque ità docent Adrianus *quodlibet 6. art. primo concl. 2. illat.* (vbi generaliter ait, nullam pœnam esse soluendam ante condemnationem) Lopez *lib. 1. de contractib. cap. 31. & lib. 2. cap.* 34. victoria vt refert idem Lopez, Guttier. in quæstionibus Canonic. *lib. 2. cap. 29. num.* 13. Sanctarell. *tract. de heresi cap. 21. dub. 1. num.* 10. & Sanchez *lib. 1. de matrim. disput.* 37. vbi subdit, multos recentiores doctissimos ità sentire. Et ratio esse potest, quia talis videtur esse mens contrahentium, & pœnam apponentium, nisi aliud exprimant: Nam ideò apponunt pœnam, vt cogant secum contrahentem ad seruandam fidem, & vt ius habeant compellendi

12 ad eius solutionem, si fefellerit; Tum quia, cum pœna sit contra voluntatem, eius conditio naturalis postulare videtur, vt non sit de-

13 bita solutio, nisi quis cogatur. Excipe, nisi certò consuetudo sit in contrarium, quæ non requirat condemnationem Iudicis, sed solam requisitionem Partis.

Cæterum, quia cum tributo magnam similitudinem habet subsidium charitatiuum, quod Episcopi, vel similes Prælati, occurrente aliqua necessitate, à Clericis petere, quinimmò exigere solent, ideò sit.



DVBITATIO XXX.

Quid dicendum de subsidio charitatiuo?

SVMMARIVM.

1. *Charitatiuum subsidium sic dicitur; quia nascitur ex charitatis, & vnionis vinculo, quod inter Episcopum, & Clerum intercedit.*
2. *Iura afferuntur, ex quibus subsidij charitatiui obligatio decernitur.*
3. *Charitatiuum subsidium petendi ius habent Episcopi, & quicumque alij qui similem Episcopalem iurisdictionem, & Diocæsim habent.*
4. *Charitatiuum subsidium petendi causa debet esse publica necessitas, vel magna vtilitas, eaque manifesta.*
5. *Episcopus si propria culpa in necessitatem deuenerit non tam facile illi contribuitur.*
6. *In dubio de causæ æquitate inter Episcopum, & Clerum recurrendum est ad Superiorem.*
7. *Charitatiuum subsidium peti debet moderatum, vt Ecclesiæ & Clerici non nimis grauentur, quod recusantes Clerici præstare compelli possunt etiam excommunicationis censura.*
8. *Charitatiuum subsidium solui debet Episcopo eius Diocæsis, vbi Ecclesia sita est, non in ea vbi habet prædia.*
9. *Charitatiuum subsidium non est onus reale adhærens Prædio, qualia solent esse tributa agrorum, sed est onus adhærens personæ in ordine ad prædia, vel redditus Ecclesiasticos.*
10. *Charitatiuum subsidium peti potest è Clericis Episcopo subiectis, qui beneficia obtinent; quia onus huius subsidij præstaudi mixtum est.*
11. *Clericus in Diocæsi non habens redditus Ecclesiasticos, non tenetur contribuere ex redditibus patrimonialibus.*
12. *Pensionarius tenetur soluere subsidium charitatiuum pro rata, si beneficium pensione grauatum sit; nisi pensio assignata libera sit ob oneribus, & contributionibus.*
13. *Capitula Collegiatarum Ecclesiarum sæcularium tenentur ad subsidium charitatiuum Episcopo præstandum.*
14. *Canonici Cathedralis Ecclesiæ spectato iure communi tenentur ad subsidium charitatiuum Episcopo præstandum.*
15. *Monasteria, & Ecclesiæ Regularium spectato iure communi ad subsidium Episcopo Diocæsano præstandum non tenentur, nisi ratione Ecclesiarum, vel Capellarum Populum habentium.*
16. *Episcopus adhibito Capituli consilio, & consensu, potest componere cum Monasteriis, vel aliis Ecclesiis de certa parte aliqua præstanda.*
17. *Episcopus non potest remittere in totum; quia talis remissio cederet in detrimentum Ecclesiæ; nisi Pontifex id ex plenitudine potestatis confirmet.*
18. *Episcopus potest ob iustam causam, semel atque iterum remittere, quinimmo Clericis, qui pauperes sunt, debet remittere.*



Respondetur. De subsidio charitatiuo (ideo sic dicto, quia nascitur ex charitatis, & vnionis vinculo, quod inter Episcopum, & clerum intercedit) mentio fit *in cap. cum Apostolus, de censib. §. Prohibemus* (quod sumptum est ex Concilio Lateranensi, ibi *sustinemus, pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superueniunt, vt si manifesta, ac rationabilis causa extiterit cum charitate moderatum ab eis* (nempè subditis) *valeant auxilium postulare*; *& in cap. conquerente de offic. ordinar* vbi Pontifex ait: *Non amplius exigas* (scilicet ab Ecclesiis, & cappellis Monasterij) *præter moderatum auxilium, quod iuxta formam Lateranensis Concilij, si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate postulandum sicuti ab aliis Ecclesiis eiusdem Diæcesis pro necessitate temporis.* 1 2

Ex quibus sequitur, quod subsidium charitatiuum petendi ius habeant Episcopi, & quicumque alij similem Episcopalem iurisdictionem, & Diæcesim habentes, Bellencinus *de charitat. subsid quæst.* 1. 2. & 3. 3

Sequitur secundò, quod causa petendi subsidium charitatiuum debeat esse publica necessitas, vel magna vtilitas, eaque manifesta, qualis est v. g. vt grauia onera debitorum sol- 4

nantur, vt Ecclesia contra hostes defendatur vt eiusdem Ecclesiæ fabricæ, vel Profectioni ad Concilium sucurratur &c. Bellencin. *loco suprà cit. quæst.* 16. Azor. *tom.* 2. *l.* 9. *cap.* 14 *quæst.* 4. Gonni *de charitat. subsid. qu.* 5. & alij passim.

5 Quod vero Bellencinus ibidem ait (si Episcopus propria culpa in necessitatem, v. g. in grauia debita deuenerit, non esse illi contribuendam à Clero, quia suæ culpæ id imputari debet) intellige, vt non tam facile illi contribuatur; si enim grauis interim, & manifesta necessitas sit, debent adhuc membra reliqua capiti suo nihilominus subuenire, sicuti in simili de Principe dicebam *suprà cap.* 2.

6 Porrò, si dubium sit inter Episcopum, & Clerum de causæ æquitate, recurrendum est ad superiorem sicuti tenet Gloss. *in cit. cap. cum Apostolus verb. rationabilis*; vel statuendi sunt arbitri consensu Partium, sicuti docet Azor. *cit. qu.* 4. & Bellencin. *qu.* 17.

7 Sequitur tertiò, quod subsidium charitatiuum peti debeat moderatum, vt Ecclesiæ, & Clerici non nimis grauentur: Sin verò hoc moderatum subsidium charitatiuum ob iustam causam petitum præstare Clerici recusent compelli possunt, etiam excommunicationis censura, sicuti colligitur ex Iuribus in principio citatis, & tradit Innocent *in cit. cap. cum Apostolus*, Azor. *tom.* 2. *lib.* 40. *cap.* 14. *qu.* 2. Bellencin. *qu.* 15. & Gonn. *quæst.* 8. Quia in tali casu, inquiunt ipsi, si deficit charitas, valere debet potestas.

8 Sequitur quartò, quod si Ecclesia sita in vna diœcesi, habeat Prædia, & redditus suos in alia diœcesi, solui debeat subsidium charitatiuum Episcopo eius diœcesis, vbi Ecclesia sita est. Ita sumitur *ex cit. cap. conquerente*, & tradit Bellencin. *qu.* 35 & Gonn. *q.* 25. *&*

9 *seqq.* Quia subsidium charitatiuum non est onus reale adhærens prædio (qualia solent esse tributa Agrorum) sed est onus adhærens personæ in ordine ad Prædia, vel redditus Ecclesiasticos.

10 Sequitur quintò, quod subsidium charitatiuum peti possit è Clericis Episcopo subiectis, qui beneficia obtinent, quia onus huius subsidij præstandi mixtum est, annexum scilicet personis in ordine ad beneficia, vel Ecclesias, ex quibus redditus Ecclesiasticos percipiunt; Bellencin. & Gonn. *in loc suprà cit.*

11 Quapropter si quis Clericus in diœcesi nullos Ecclesiasticos redditus, etsi bona alia patrimonialia vel quasi Patrimonialia abunde habeat nihil contribuere tenetur, Bellençin. *qu.* 37. *num.* 23. & Gonn. *qu.* 40. *&* 41.

12 Si verò beneficium pensione grauatum sit, Pensionarius tenetur soluere pro rata, nisi pensio assignata libera sit ab oneribus, & contributionibus, sicuti plerumque contingere consueuit. Azor. *cit. cap.* 14. *qu.* 2.

13 Petes, quid dicendum de Capitulis collegiatis Ecclesiarum sæcularium?

Respondetur, absque dubio ad subsidium charitatiuum Episcopo præstandum tenentur, extrauag. *Vas electionis, circa finem, verbo eorumque capitulis.*

14 Petes secundò, quid dicendum de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis?

Respondetur spectato iure communi, etiam hi tenentur, Hostiens. *in cap. vt præterita de elect.* Bellencin. *qu.* 27. Gonn. *qu.* 3`. & alij communiter; Quia hoc potissimum tangit Canonicos Cathedralis, quippe magis Episcopo vnitos.

Petes tertiò, quid dicendum de Monasteriis, 15 & Ecclesiis Regularium?

Respondetur, spectato iure communi ad subsidium Episcopo diœcesano præstandum non tenentur, nisi ratione Ecclesiarum, vel Cappellarum populum habentium. Bellencin. *qu.* 29. & Gonn. *qu.* 2`.

Probatur, quia subsidium charitatiuum est de lege diœcesana, vnde in *cap.* 1. *de statu monach.* & alij passim. At Monasteria Regularium exempta sunt a lege diœcesana Episcopi (licet subdita sint legi iurisdictionis, Gloss *in cap. Dilectus de offic. ordinar.*) Respectu tamen Ecclesiarum, quibus cura populi incumbit, censentur esse de lege diœcesana, ergo ratione istarum ad subsidium charitatiuum tenentur sicuti colligitur *ex citato cap. conquerente.*

Quæ doctrina adeò vera est, vt Azor *qu.* 6. Bellencin. *qu.* 29. & Gonn. *qu.* 22. putent, quod & Ecclesiæ collegiatæ, tàm sæculares, quàm regulares, quamuis alioquin à iurisdictione Episcopi sint exemptæ, tamen Episcopo diœcesis subsidium charitatiuum præstare debeant, ratione Ecclesiarum, vel Cappellarum populum, seu curam plebis habentium, vel quæ aliquando huic oneri subiectæ, postea Ecclesiæ, vel Monasterio exempto vnitæ, seu incorporatæ sint; Quia numquam præsumitur, quòd talis vnio, seu incorporatio facta fuerit cum præiudicio iurium Episcopalium.

Potest tamen Episcopus, adhibito capituli 16 consilio, & consensu; componere cum Monasteriis, vel aliis Ecclesiis de certa parte aliqua præstanda ratione talium onerum, Bellencin. *qu.* 48. & alij passim.

Petes quartò, an Episcopus possit remittere 17 in totum.

Respondetur negatiuè. Ita Bellencin *qu.* 47. Azor. *cit. cap.* 14. *qu.* 7. & alij *in cap. cum venerabilis de censib.* ex communiori sententia Doctorum.

Probatur, quia talis remissio, seu renunciatio in totum cederet in detrimentum Ecclesiæ, & in aliorum grauamen, ergo Episcopus non potest in totum remittere, nisi Pontifex id ex plenitudine potestatis confirmet.

Potest tamen Episcopus ob iustam causam 18 semel, vel iterum remittere; Quia tunc proprio tantum commodo renunciat, quod facere non prohibetur: Quinimmò Clericis, qui pauperes sunt, vt vix ex beneficio sufficientem victum, & vestitum habeant, secundùm æquitatem debet remittere Azor. *loc. suprà cit. qu.* 6. & Bellencin. *qu.* 30.



DVBITATIO XXXI.

An contra subsidium charitatiuum præscribi possit?

SVMMARIVM.

1. *Prescriptio non currit contra subsidium charitatiuum, quia sic præscriberetur contra charitatem, sicque præscriptio non habet iustam causam.*
2. *Præscriptio neque currit contra tributa, & similes præstationes publicas.*
3. *Præscriptio non habet locum in iis, quæ meræ facultatis sunt, secus de præscriptione temporis immemorabilis qua stante supradictæ rationes non conuincunt, & cur.*
4. *Ecclesia aliqua particularis quod eximatur à communibus oneribus non est contra dictamen rationis seu per priuilegium summi Pontificis, seu per aliquam compositionem, vel commutationem cum Episcopo factam.*
5. *Præscriptio temporis immemorabilis cum fama priuilegij, vel alterius concessionis valet contra subsidium charitatiuum.*
6. *Tributa licet non admittant contra se præscriptionem tempore ordinario, admittunt tamen temporis immemorabilis præscriptionem.*
7. *Donatio, vel omnis gratuita præstatio, vel alia qualibet remissio si tempore diuturno continuetur præsumitur in dubio potius ex obligatione, siue debito proficisci.*
8. *Episcopus si semper exegerit subsidium charitatiuum à suis Ecclesiis excepta aliqua earum per tempus immemorabile præsumitur non ex præcedenti voluntate, sed per aliquam compositionem, vel priuilegium id fecisse.*

1 Respondetur negatiuè, atque ita tenent Hostiens. Abbas, & alij Canonistæ *in cap. cum Apostolus de censib.* Azor. *tom.* 2. *lib* 11. *cap.* 14. *qu.* 7. Bellencin. *de charitatiuo subsidio qu.* 50. & Gonn. *qu.* 28.

Probatur, quia hoc esset præscribere contra charitatem; Sicque præscriptio non habet iustam causam.

2 Secundò, quia etiam contra tributa, & similes præstationes publicas præscribi non potest, *l. competit, Cod. de præscript. triginta annorum,* & tradit gloss. *in cap. Cum non liceat de præscript.* quam communiter sequuntur Doctores. 3

Tertiò, quia præscriptio locum non habet in iis, quæ meræ facultatis sunt; At in mero arbitrio Episcopi positum est, vtrum subsidium charitatiuum exigere velit, ergò.

Cæterum, si de præscriptione temporis immemorabilis loquamur hæ rationes non conuincunt.

Non enim conuincit prima; quia non est 4 contra charitatem, vel rectæ rationis dictamen, quod particularis aliqua Ecclesia à communibus oneribus eximatur, seu per Priuilegium summi Pontificis, seu per aliquam compositionem, vel commutationem cum Episcopo factam, vti suprà dicebam (qua simili ratione Princeps, saltem ob causam ad bonum publicum spectantem, aliquos subditos à communi tributorum onere eximere potest, siue per priuilegium in remunerationem meritorum, siue per aliquam compositionem, vel venditionem, sicuti notauit Molina *tom* 3. *disp.* 673.) At quidquid obtineri potest per priuilegium vel alium concessionis modum, obtineri etiam poterit per præscriptionem temporis immemorabilis, vt communiter docent Doctores, ergo tanto tempore cum bona fide præscribi poterit contra subsidium charitatiuum, vel 5 tributum præstandum; Præsertim, si accedat fama priuilegij, vel alterius concessionis olim iam factæ.


Neque conuincit secunda ratio, quia licet 6 tempore ordinario præscribi non possit contra tributa præscribi tamen potest tempore immemorabili, Præsertim cum fama alicuius priuilegij, adeòque cum titulo præsumpto, vti dicebam.

Neque conuincit tertia ratio, quia licet 7 verum sit, quod donatio, & omnis gratuita præstatio, vel remissio quantocumque tempore ita continuetur, numquam alteri tribuat ius præscriptionis, tamen si diurno tempore præstatio, vel remissio aliqua continuetur (nisi ex circumstantiis appareat, à gratuita voluntate procedere) in dubio præsumitur potiùs ex obligatione siue debito proficisci; quia nemo facile sua bona iactare, & indebita effundere censetur, iuxta Tex. *in l. cum de indebito ff. de probat.*

Quapropter, si in casu nostro Episcopus ab 8 aliis Ecclesiis subsidium charitatiuum sæpius exigit, ab aliqua tamen Ecclesia per temporis immemorabilis spatium numquam exigere consueuit, præsumitur id egisse, non ex gratuita voluntate, sed quia propter præcedentem aliquam compositionem vel priuilegium ius exigendi desiuerit habere.

FINIS.

Laus Deo, & B. Virgini.



INDEX
RERVM VERBORVM, ET SENTENTIARVM
omnium quæ in hoc Tractatu Sexto continentur.

A

Actio & Actor.

Brachium.

C

Canonici.

Canones.

Capitulum.

Censura.

Circumstantia.

Ciues & Ciuitas.

Communitas.

D

Damnum.

Debitor & Debitum.

Deceptio, Deceptor, & Deceptus.

Decimæ.

Index.

Dubium & Dubitans.

Dux Belli.

E

Ecclesia.

Euocare, & Euocatio.

Exactor.

Executor.

Exceptio.

Excusare.

Exigere.

Gratiæ.

Libri.

Licere.

Lites.

Littera.

Locant.

Locumtenens.

Locuples.

Lucrum.

M

Magistratus.

Maritus.

Index.

Præsumptio.

Pretium.

Princeps.

Priores.

Priuignus.

Priuilegium.

Probatio.

Procurator.

Prodigus.

Promotio.

Protestatio.

Q

Quantitas.

Retractus, & Retrahens.

Superior.

Syndicus.

T

Tabellio.

Taxa.

Telonarius.

Tempus, & Temporalia.

Territorium.

Testari.

Testis, & Testimonium.

Tutor.

V

Vagi.

Valor.

FINIS.

AVENIONE,

Ex Typographiâ I. PIOT, Sancti Officij Typographi, in foro S. Deſiderij.

Cum Superiorum permiſſu. M. DC. LVIII.